




M. E. Barry.

HORTUS QUADRAGESIMALIS

SIVE

DISCURSUS PRÆDICABILES

IN OMNES TOTIUS QUADRAGESIMÆ DOMINICAS ET FERIAS.

Authore Admodum Reverendo Patre,

ALOYSIO JUGLARIS
SOCIETATIS JESU PRESBYTERO,

PRIMO ITALICE CONCINNATUS

Deinde à

VENER. PATRE BRUNONE NEUSSER
Provinciæ Rhenanæ FF. Minorum Recollectorum SS. Theologiæ Lectore, maximo ſtudio ac operâ Latinæ linguæ cum Indicibus donatus.

Quibus additus eſt ſingularis Index per totum Annum ad Conciones formandas ſummè neceſſarius.



MOGUNTIÆ,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.
M DC LXVII.



APPROBATIO.

CUM librum, qui inſcribitur Quadrageſimale R. P. Aloyſii Juglaris ſocietatis noſtræ Sacerdotis, quatuor ejuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognoverint, & in Lucem edi poſſe probaverint; facultate nobis ab Admodum Reverendo Patre Joanne Paulo Oliva Vicario Generali ad hoc tradita, poteſtatem facimus, ut typis mandetur, ſi ita iis ad quos ſpectat videbitur. Datum Mediolani 25. Septembris 1663.

Ignatius Moncada. Soc. Ieſu in Provincia Mediolanenſi Viſitator.

OPus hoc cui titulus Quadrageſimale Patris Aloyſii Juglaris Societatis Jeſu, juſſu Reverendiſſimi Patris Inquiſitoris legi, & uti laude, ita luce omnino dignum cenſui. Mediolani 10. Octob. 1664.

Hortenſius Pallavicinus Societatis Ieſu.

Attenta ſupradictâ relatione, imprimatur.

F. Vincentius de Seraphinis Magiſter, & Vicarius Generalis Sancti officii Mediolanenſis Alexander Perlaſca pro Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo P. D. Archiepiſcopo. Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

Facultas Miniſtri Provincialis.

CUM Duo SS. Theologiæ lectores legerent Quadrageſimale R. P. Aloyſii Juglaris Societatis Jeſu Sacerdotis latine donatum à V. P. Brunone Neuſſer SS. Theologiæ Lectore, & in lucem edi

edi posse censuerint, hinc concedo ut imprimatur, servatis tamen sacri Concilii Tridentini; & ordinis nostri constitutionibus, in cujus fidem has manu meâ subscripsi, & officii sigillo munivi Coloniæ ad olivas die 15. Martii 1667.

F. Bernardinus Vettvveis Sacrosanctæ Theologiæ Lector Iubilatus, totius ordinis Minorum Pater perpetuus, & per Provinciam Rhenanam. F.F. min. Recollectorum Minister Provincialis.

Approbatio Theologorum Ordinis.

HOc Quadragesimale R.P. Aloysii Juglaris Societatis Jesu sacerdotis latinitate donatum. A.V.P.F. Brunone Neusser Provinciæ Rhenanæ Sacrosanctæ Theologiæ Lectore, nil continet contra bonos mores, aut sanctam nostram fidem, ideo utiliter imprimi poterit. Ita censeo infra scriptus. 24. Martii 1667.

F. Iosephus Biburus conventus Moguntini pro tempore Commissarius, & Sacræ Theologiæ Lector actualis.

COnciones Quadragesimales R. P. Aloysii Juglaris Societatis Jesu Italicè depromptas Italis typo beneficii communicatas, toti nunc orbi studio, & labore, V. P. F. Brunonis Neusser Lectoris Sacræ Theologiæ communicandas latine prodeuntes accurate percurrens fidei, aut bonis contrarium moribus nihil reperi. At animadverti magis verum in iis semen contineri Evangelicum, quod seminatum ubi ceciderit in bonam terram extra haud dubiò, fructu centuplo non cariturum. Ita sentiens, dabam Moguntiæ ipsâ Sancti Bonaventuræ translationis die 1667.

F. Bonaventura Goffa SS. Theol. lector Iubilatus.

INDEX RERUM NOTABILIUM, QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

A.

B.

C.

omni-

Com-

FINIS INDICIS RERUM.



CON-



CONCIO I.

PRO DIE PRIMO QVADRAGESIMÆ:

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, Matth. 6.

Primum cognitum Christianæ philosophiæ est scire, quod terra nobis non conveniat.

1.



QUamvis ex mutua cönsensione affectuum, quam in pluribus reb⁹ cernimus, semper fas fuerit elicere inter eas aliquam maiorem amicitiam, vel cognationem intercedere; attamen, ut veniamus in cognitionem, quod nos homines simus filii terræ (quantumvis divina scriptura in initio Genesis id non assereret, nec in capite quadragesimæ Ecclesia per cineres in memoriam nobis id revocaret) sufficeret parumper oculos reflectere ad sympatiam, quæ inter nos & terram reperitur. Nulli rei plus innitimur, quàm terræ, cùm nulla frequentius agimus, nulli magis quam terræ nos impendimus, ita ut nostri mores in terra exprimantur; Nam sicut terra nisi excolatur sylvescit, & defectu pluviæ indurescit, ita nos solum ad imum tendimus, & à Deo, ac cœlo quàm longius possumus, abimus.

Cum aliis tribus Elementis nemo est, qui amicitiam colat. Ignis quantumvis lucidus, subtilis, & activus, cum genio nostro non sit accommodus, eum cominus non toleramus, sed ad vilissimum angulum domus relegamus, parcè sustentamus, aquis extinguimus, cineribus sopimus. Aerem haurimus, nec ob id tamen nobis amicus est. Ventosus displicet, rigidus nocet, nubibus obductus terret, serenus intemperans est. In morbis eum criminamur, in tempestatibus eum incusamus. Aquæ nos non fidimus, nisi aliquid terræ interjaceat. In lacubus ut minime congruentem sanitati eam censemus, in fluminibus nimis vicinam nocivam, in torrentibus furiosam, in mari perfidam.

Sola terra nostros amores sibi ven-

vendicat, primum, & ultimum nobis refugium est. In ea nos vivere oblectat, ab ea mortui tegimur. Quod si contra iniurias cœli nos munire volumus, subito ad terram recurrimus. Ex ea lapides, calcem, arenam, ligna, ferrum, domibus exstruendis accipimus, & eo magis nos securos putamus, quo profundius sub terra recondimur. Si incursus hostiles metuamus, statim in terra cuniculos fodimus, substructiones formamus, munitiones excitamus, præsidiaria refugia, aggeres, valla, & alios quoscunque apparatus necessarios exstruimus. Si possideamus thesaurum, cuius asservatio nos angit, non recurrimus ad cœlum, sed quam secreto possumus terræ eum velut depositum committimus. Videmur in primo gradu terræ coniuncti, ideoque tam faciliter Dei, qui est pater, obliviscimur, terramq; cum omnibus nostris affectibus tanquam numen adoramus, & rogamus, ut nostra mater subito esse velit. Et revera dementia nostra cœcitati haud dissimilis abominanda est; dum enim in terra reperimus tot spinas quæ pungunt, tot amaritudines quæ affligunt, tot venena, quæ inficiunt, tot adversitates, quæ nos incursant, tot nimbos lacrymarũ, quos non evadimus, tot præcipitia, è quibus non eruimur, tot angustias, & asperitates, quas non superamus; adhuc nihilominus pro loco tam misero, tam sordido, tam calamitoso, renuntiamus cœlo, nido omnis fœlicitatis, patriæ impassibilitatis, elemento proprio Angelorum, aulæ solo Deo dignæ. Et ubi quæso nos oblectamus, ubi ridemus, ubi voluptuamur, ubi exultamus? nos terram elementorum stabilissimum putamus, cum tamen ipsa vafritie pessimâ, per cuniculos nostris propugnaculis se ingerat.

Christus apprimè id sciens, nos esse traditos amicè monet: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Ecclesia insuper instar benevolæ Matris sumens cineres nos edocet quod tandem post aliquot dies, hebdomadas, menses, annos in terram remeaturi simus. Porro, ut melius veritas, doctrinæ adeo salutaris, ex duabus partibus adeo securæ, magis eluescat, ego, qui meis laboribus exiguis nullũ alium applausum exspecto, quam ut illi meis benignis Auditoribus proficui evadant, in hac Cathedra primum cognitũ philosophiæ explicare intendo. Cumq; terra in depositis servandis tam exiguæ sit fidei (cui tamen nos fidimus,) nisi brevi deceptos videre nos velimus, ab ea secedere, & ad Deum, qui solus nequit fallere, confugere, eique omnia nostra consignare debemus. Cœlestis protomedice Christe Jesu, qui purgandis animabus infectis salutarem quadragesimam, quam hodie ordimur instituisti, labris meis assiste, cumque ad ministerium Apostolicum me evehere dignatus sis, unam ex iis linguis, quas inter Apostolos dispertitus es, mihi instilla. Tu bene scis, talem mihi necessariam esse, ut obligationi meæ satisfaciam. Nec extrema indigentia mundi minus efficacem requirit. Talem si concesseris, eam solùm, ad tuam gloriam, & salutem auditorum meorum impendam.

Pars

Pars prima.

II. Quod si adeo justè Evangelicus ille pater familias servo illi excanduit, qui talentum commissum, velut depositum tutius conservandum terræ commisit; quomodo non justius hodie vobis omnibus succensebit, qui terrei facti, terræ solùm fiditis? Altissimus revera tantam vilitatem sufferre non potest, ac spiritus purus corpori sordidissimo convenire nequit. Veritas nunquam fucis utitur. Unde si excandescat intelligere nequit, quomodo, terra, quæ fidem Deo non servavit, homines fidem expectent.

Superna Majestas ab initio creaturas suas in duas classes divisit, unam terræ, alteram cœlo credidit. Verum enimverò, ubi cœlum nec ullam perdidit, terra econtra nullam servavit. Veritatem hujus accusationis quæso vos, paulisper examinemus, & ut informationes magis authenticas habeamus, cœlum lustrando perniciter percurramus. Deus Angelis bonis illud replevit, malos nec momento admittere volens, illos distinxit in tres magnas hierarchias. Nunc videamus, an ex una, vel unicus desideretur. In musica ex novem choris composita nec una exigitur vox, in cytharis nec una rupta est fides tanto temporis spatio, in eorum flammis tanta annorum serie ardentibus nec unica est extincta scintilla. In statu primævo perseverant, per ætatem non decrepiti, gratiâ nullâ minuti, viribus non debilitati. Præterea omnes stellas reperietis. Delectum instituite lucidæ illius militiæ, & reperietis planetarum principaliorum esse adhuc septem, ex alio gradu centum viginti duos, magis visibilium queindecim, primæ magnitudinis quadraginta quinque, secundæ octuaginta sex, tertiæ ducentos & octo, quartæ quadringentos septuaginta quatuor, quintæ ducentos septendecim, sextæ quadraginta novem, nubilosos novem, obscuros novem. Nec ullus oculus cœlestium illorum Argorum ex unquam est clausus, nec ullus flos horti illius cœlestis unquam emarcuit, nec ullus clavus aureus tam bellæ machinæ unquam est rubigine obductus. Nullum unquam lumen cœli periit nisi malignitate terræ prius infectum. Declarat illud non esse suum, quod non conservat. Quod si luna deliquium patiatur, id terræ tribuendum, quæ dum corporibus vicinis suam mutabilitatem affricare nititur, lumen quod ventis extinguere nequit, umbris tingit.

III. Verbo; cœlum cum Christo dicere potest: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam,* quod non potest dicere terra, quæ dum simulatione haud ferendâ se ipsam constantiam fingit, omnium mutationum est causa, instrumentum, scena, theatrum, cunæ, & sepulchrum. *Væ,* exclamabat quondam propheta Nahum, *civitas sanguinum, universa mendacij dilacerationeplena.* Diris devoveatur illa, quæ discerpit omne id, quod in eius incidit manus. Jam in eius processu habemus, quod, *vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficijs suis.* An nunquam hæc stryga incantationibus suis creaturas Dei interemit? Ex tot arboribus,

Ioann. 17.

Nahum c.3.

quæ cum ea plantatæ ſunt, nec ulli pepercit. Nec unus florum, qui eam à principio ornarunt monſtrabilis eſt. In pratis nec ullum folium herbæ à Deo productæ invenies. Quidem fingit, quod omnia ſemper durent, verum mentitur; nam quæ jactat tam diu durare, ea brevi interitura videbis, & mortua. *Luxit*, dicebat Iſaias oculatior nobis, *& defluxit terra, & infirmata eſt.* Hebræus legit, *Hypocrita facta eſt terra.* Terra talis non eſt, qualis nobis videtur.

Iſaiæ 24.

Nos omnino exiſtimamus terram, quam incolimus eſſe eandem, quam calcavit Adamus, verum non ita eſt; Nam eſto veluti illa germinet, vireat, floreat, fructificet, plana ſit in campis, declivis in vallibus, acclivis in montibus, attamen nulla eſt herba, quæ hoc anno non ſit plantata, & quæ aliud ſæculum agnoſcat. Solus Deus ſcit, an non ipſi arbori vitæ mortem intulerit; quum enim eam propriorum liberorum inimiciſſimam videamus, cum ex unâ parte eos alat, & concipiat, ex alterâ vero parte emittat exhalationes, vapores, (qui dum paulò poſt relabuntur) reſolvuntur in nebulas, pluvias, nives, grandines, ventos, fulmina, alia conquaſſat, alia diſcerpit, alia dejicit, alia ſolo æquat. An non ergo videtis, quod vaferrimus ſit impoſtor? an exiſtimatis, ita integros ſervatos ab ea Pyrenæum, Appenninũ, Alpes uti ipſi conſignati fuêre? Nequaquam. Quodſi attentè evolvamus hiſtorias reperiemus non ſolos montes evanuiſſe. Quolibet ævo terræmotus, diluvia hanc veritatem oſtenderunt. Nec ipſi itaque montes ſunt ſtabiles, ſed motu ac trepidatione alterantur, nulla eſt pluvia, quæ non aliquam partem abripiat, viſibiliter fulminibus eos minuit, & latenter mille generationibus eos ſpoliat. Suppoſito, quod terra non moveatur uti voluerunt Pythagorici, qui deceperunt Copernicum adhuc, neſcio quodnam elementum mutationi magis ſubjectum ſit. Nunc nivibus ſternitur, nunc viriditate veſtitur, nunc rore inargentatur, nunc frugibus inauratur, nunc luto deturpatur, nunc pulvere exſiccatur. Diceres eam non mutari, & tamen mutatur in plantas, ex ea generantur herbæ, ranæ, culices, ſerpentes, muſcæ, apes. Hic ſub variis coloribus deliteſcens ardet in carbunculis, ſcintillat in Adamantibus, candet in Alabaſtris, rubet in jaſpidibus, viret in Smaragdis, micat in Amethiſtis. Alibi totaliter igneſcit in ſalnitro & ſulphure, totaliter eſt gelu in ſtanno & plumbo, tota eſt venenum in cicuta, tota medicina in Bezoar & Agarico, tota cruditas in Chalybe, & ferro, tota divitiæ in argento & auro. Interim nos ſimplices non videmus terram ſerpere inſtar ignis, fluctuare inſtar aquæ, ſalire inſtar aeris, quin potius ob ſtabilitatem ſuam eam adoramus. Verum enimvero parumper advertite, num talis eſſe poſſit, quæ tam ubertim ſinu ſuo fovet hydrargyrum, ſeu argentum vivum. Ipſamet rationem reddat, inquit Tertullianus de Delo, & Samo, inſulis nobiliſſimis, quarum nomen ſolum reliquit. Ipſamet edicat, cur inſtar hominum enecet provincias, cum de ſola Palæſtina non poſſit dici, *vaſtitas ingens, & orba regio, & fruſtra ager, & propinquitas maris una cum ſolo mortem bibit.*

Tertul. l. de pallio. c. 2.

IV. Nos

IV. Nos miseri putamus nos firmos consistere, cum tamen omnia subtus, & circa nos fugiant. Cum ipsimet Jaspides non sint in tuto, & ipsi montes patiantur ruinam, quomodo nos carnei, & lutei possimus conservari, & stabiliri? O mortales, parum cognoscitis terram est cum illa continuo agatis; Non advertitis ab ea vos circumveniri, dum interim omnia suam substantiam mutant, causa hæc est, non penetratis eius fraudes, sola siquidem nomina invariata manent. Ipsa præterea jactat, quod immutata usque hodie conservet flumina, in Italia Padum, & Tyberim, in Gallia Ararim seu Saonam, Rhodanum, in Hispania Tagum, Iberum, in Germania Danubium, Rhenum, sed si eam parumper examinetis, subito falsitatem deprehendetis; vel enim per hos fluvios intelligitis aquas eorum, & ita certum est, aquas quæ hodie fluunt, differre ab hesternis; Vel capitis ripas, & littora, & de his etiam experientiâ clarâ scimus, quod per quamlibet alluvionem, & inundationem mutentur. Addit Romam, quæ hodie extat, esse eandem, quæ fuit ante bis mille annos, sed rursus falsissime; nam nomine Romæ, vel intelligis Cives, & ita constat hodiernos non incepisse ante centum annos, vel accipis muros & ædes, & toties hæ sunt mutatæ, ut valde dubitem num, vel unicus murus a Romulo extructus nunc extet. Adjungit ipsa iam à mille sexcentis, & pluribus annis in mundo degere Papam, & diutius Imperatorem, verum pauci Pontifices, & Imperatores pluribus annis regnarunt. Ita caducitati rerum æternitatem nominum affingit; nam species continua nos fallit, dum non advertimus individua, quibus solis Philosophus esse reale tribuit exiguo tempore perire. Nos interim stolidi credimus, quod adeo fideliter nostra conservet, dum sua tam male perdi permittit. Non, non, inquit sanctus Cyprianus: *Caduca sunt, quæcunque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilia, quæ possessionis non habent Veritatem.* *Cypria. epist. 2. ad Donandum.*

V. Prisci hunc terræ pessimum morem perspectum habuere, & ideo deformem adeo defectum naturæ suâ industriâ emendare decrevêrunt, & concluserunt indagare modum, quo reliquis pereuntibus ipsi stabiles, & fixi manerent. Altissima itaque iuga, & climata selegerunt sanitati magis propitia, in ijsque rempublicam formarunt, sibi persuadentes ex iis se nunquam dimovendos. Verum cum Tertulliano video Troianos in Italia, Phœnices in Affrica, Schytas in Persia, Gallos in Græcia, Græcos in Asia, Phocenses in Provincia, Corinthios in Sicilia a pravo genio terræ traditos, loco eiectos, deceptos, deletos.

Verum enimvero dixerunt prudentiores, habeat terra ius à nobis repetendi quod suum est, perpetuitatem, quam non promittit vitæ forsitan concedet famæ. Agedum, agedũ, adeste huc marmora Numidiæ, lapides Parii, ut augustam extruamus fabricam, adeste huc prætiosa metalla, ut statuæ fundantur prætiosæ. Huc adsis Rhodos, & forma Colossum, huc Caria, & erige Mausoleum, huc Persia, & hortum Cyro planta, huc totus Ægyptus, & Py-

Pyramides Ptolomæo conſtrue, huc omnes minæ Ophir, & templum Salomoni fabricate, huc totum imperium Romanum,& Neroni aulam para. Totius Græciæ ingenia adlaborent, ut Athenæ ornentur, omnes provinciæ Aſiæ conſervandæ Troiæ adnitantur, tota fæx Affricæ Carthagini æternandæ colligatur, omnes vires Judææ Solymorū urbi conſervandæ impendantur; cum Semiramis Niniven muris cinxerit, a terra ſub ruetur, poſtquam urbs Roma in latitudine quadraginta duo milliaria complexa fuerit, & ſex mille civium numerarit, terra eam in aera evibrabit, ſternet, & ſubvertet. *O usqueque parvuli diligitis infantiam?* Videte, an non terra vos circumvenerit. De ipſis ſeptem miraculis orbis verificatur, inquit Plinius, quod: *Obliteratis tantæ vanitatis authoribus veſtigia ædificationis nulla extant.* Quoties Roma, quæ titulo æternæ decorata fuit, flammis hauſta, & ſepulta non eſt? Illæ, quæ quondam fuerunt urbes, hodie non ſunt columbaria. Cadmus ſuam non reperiret amplius Theben, Archimedes ſuas non agnoſceret Syracuſas, Dido ſuam Carthaginem haud agnitam præteriret. Non ſola antiqua Luna,& famoſa. Polentia infidelitatem terræ in jus vocare poſſunt. Ipſa urbs Veiiorum altius indolere poteſt,inquit Florus,quæ cum decennalem obſidionem tulerit; *Nunc fuiſſe quis meminit? Quæ reliquiæ, quodve veſtigium? Laborat annalium fides, ut Veios fuiſſe credamus.*

Prov.22.

.36. hiſto. c. 12.

Flor l.1.c.12

Flor. c. 15.

Veruntamen cum Samnio ſolamen admittit, hæc urbs, dum cum Roma per quinquaginta annos ob dignitatem dimicuit, adeo evanuit, *Vt Samnium in ipſo Samnio requiratur.* Inter octodecim millia urbiū, quas Diodorus in Ægypto recenſuit, una Thebas centum portas,ad quas viginti mille Equites communiter excubabant, habuit, omnes voracitati terræ ceſſerunt. Tu itaque animam tuam perde, ut domum amplam, ædes commodas tibi ſtruas, terra,quæ fabricis Salomonum, Ptolomæorum, Cæſarum non pepercit, nec tibi parcet. Innitere ergo ſoliditati tuarum ſtatuarum. Demetrius Athenis numeravit trecentas, quas tamen omnes in cineres redactas conſpexit. Demades ſuas ſtatuas æreas propriis oculis vidit fundi, & in vaſa abjectiſſima mutari.

Ex Plutar. & Plinio

VI. Quæſo vos, ne me enarrare patiamini, quam exiguum reſpectum terra detulerit ſtatibus, & imperiis. Chriſtus, cujus diadema tantum in capite radices fixit, id dudum præmonuit. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Imperia Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, non defectu Politicorum, quos mundus ubertim ſemper dedit, ſed quia ſuper terram fundata erant inſtar impiæ Jezabelis ſubverſa ſunt. *Omnes hæ monarchiæ*, ſunt verba Dragonis, *non invenerunt niſi calvariam, & ſummas manus, hoc eſt operum extrema veſtigia.*

Lib. 4. Regum c. 9.

Stupore dignum eſt, quod cum in titulis magnatum reperiamus altitudinem, & eminentiam montium, ſerenitatem, & claritatem cœlorum, reverentiam & ſanctitatem Altarium, Majeſtatem, & potentiam DEI, nullius tamen mentem unquam ſubierit, titulum aſſumendi a ſoliditate, firmitate,

tate, immobilitate. Sit aliquis quantumvis ebrius, & vino optime potus, ex se tamen advertit, & probat, terram quam calcat instar muli, quo vectus est Absolon subtus pedes evadere, & fugere. *Pendit Absolon,* inquit Drago, *& mulus, cui insidebat pertransit; quia mundus transit, & concupiscentia ejus.*

rm. de pass. Domini.

Hanc veritatem Deus edocere voluit fastuosum Macedonem, dum vento capiti diadema excussit, & in arundinem palustrem transtulit, quod tamen miser non advertit. Hoc etiam, dum non agnosceret Thiridates, Deus vix eo ad solium Parthorum evecto plures coronas spumeas in Euphrate effinxit, ita hanc veritatem edocere volens. De his spumis ita Gregorius: *Cum excrescunt, ut appareant, crescendo peragunt, ne subsistant.* Nec nimium scrupulo angaris, quin omnibus Regibus attribuas id, quod de Samaria dixit Oseas juxta textum hebræum: *Sic evanuit Rex Samariæ, sicut spuma super aquam.* Væ ei, qui sua in manu habet, qui omnia sibi appropriat. An non advertitis, quomodo omnia terrena instar ebriorum pedes vacillent? Eos non tangis & se ipsis ruinam minantur. Credite Pelusiotæ. *Temulentum est inter mortales bonum, ac nemine etiam concutiente vix consistit.*

Tacit. l. 6. Annal.

lib. 6. Moral. c. 5.

Ose. 10.

lib. 6. epla 126.

VII. Neque docti quantumvis volatu sublimi contra hanc pravitatem terræ se munitos existiment. Profecto terra ridet hunc iactabundum ita fantem. *Non omnis moriar, multaque pars meis vitabit libithinam.* Subsannat, & alterius voces thrasonicas: *Nomen erit indelebile vestrum.* Insultat præterea aliis, hæc & similia iactantibus, *si quis adhuc prætendit, nubila livor occidet, & meriti post me referentur honores.* Quis dixisset Livio decades eius perituras, quarũ tot millena exemplaria extabant Romæ? Quis superbo Tullio persuasisset, eius libros de republica maximo studio ratione materiæ elaboratos, tam parum duraturos. Volumina itaque æternitate dignissima eandem subierunt fortunam, quam experti sunt libri tetrici Bassi, & Cheruli stulti. Empedocles volumina scripsit quadraginta tria. Attheius Capito sexaginta, Servius Sulpitius centum octuaginta, Theophrastes trecenta, Chrysippus septingenta, & Aristarchus grammaticus plus quam mille. Gordianus in quadam bibliotheca censuit sexaginta duo mille tomos, Plutarchus in alia ducentos mille. At vero, quis reliquias tot voluminum mihi monstret? Paulatim terra tot libros subduxit, & in pulverem reduxit, in despectum eorum, qui illud, quod est mors secunda, vitam vocant, nec cui minus, quam morti primæ resisti potest.

VIII. O nos cæcos, ô nos inconsideratos, ô nos stultos, qui necdum advertimus, quomodo *Terra ista devorat habitatores suos!* Hæc terra paulisper nobis suaviatur, blanditur, dum nos alit, vestit, recipit, ut eam agnoscamus tanquam nostram benefactricem, nutricem, matrem. Verum ô Talpæ delusæ aperite oculos. Nam technæ non in principio, sed in fine sese prodent. Judas Christum osculo, & salute adivit, sed dein laqueum collo induit. Jahel Sisaram potavit, tecto admisit, sed postea tempora clavuo transfixit. Dalila Samsonem mille blandimentis oble-

ctavit,

ctavit, sed tandem captum, inimicis eius capitalissimis consignavit. Cavete vobis ab illa, quæ tam patienter à vobis se sinit calcari, arari, sulcari, pastinari, effodi, erui, sub his modis gratiosissimis fraudes pessimas occultat. Vos pascit, id non nego, verum & satis cito venenum vobis porrigit, ita ut tunciam mori incipiatis, quando nutrire vos incipit. Vos vestit, id verum est, sed ejus vestes, ac si essent intinctæ sanguini Nessi Centauri, quas Dejanira occultissimo cum igne misit Herculi, vos in cineres redigunt. Quo abierunt tot nobilissimi, compositissimi, Eruditissimi, qui in hac urbe vixerunt? Eos non amplius video his insidere scamnis, frequentare curiam, senatui, illi concilio præesse. Respondetis mihi illos mortuos, & humo traditos. Humo? Et quid quæso humus cum eis egit? In lapide lego talem sub eo recondi. Tollite eum. Ohimè; Et hic sit locus dignus hospite tam nobili, opulento, & honorato? Ergone illustrissimo hæ tenebræ, serenissimo hæc luta, Eminentissimo hæ vilitates conveniant? Aperite illam tumbam. O qualis fœtor, qualis putor, qualis fœditas! Quò avolarunt illi Cincinni? Ocellus ille vivus ubi evanuit? Vultum illum gravem, quis deturpavit? Quis tineas induxit, quæ genas consumpserunt? Terra. Quis vermes è naribus prodeuntes? Terra. Quis serpentes è capite prosilientes? Terra. Hoc tamen non obstante S. Cyprianus, ut nos à terra aversos reddat, desudat, & clamat; *Oculos, oculos erigamus in cœlum, ne oblectamentis nos terra decipiat.* O terra, terra, terra, & an hoc non est aliquem circumvenire, & prodere, per quatuor dies tam suaviter blandiri & postea ut exiguum illud quod restat obtineas, incarceras, vulneras, & interimis? O nos omni supplicio dignos, qui adhuc ob terram amittimus cœlum! Seneca ideo validissime exclamat: *Insanitis, erratis, neminem æstimatis suo.*

Episto. 8.

Equi Græciæ, dum prope Thebam Amphiaraum è suo curru à terra absorptum viderunt, omnem fiduciam erga eandem deposuerunt, ita ut nec pedem ei infigere auderent. Quid dico de Equis? Ipsimet mures, quos Plinius omnium animantium stolidissimos censet, hac prudentiâ pollent, ut cum domum per rimas plures ruinam minari vident, victu quantumvis abundanti contempto, timidi fugiant. Et nos, *quibus mundus ipse jam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur*, postquam tot ac tantos à terra haustos videmus, adhuc ei innitamur? Nec vos permittatis furores subeant caput meum Zelosi Salviani, qui videns quosdam Nobiles Trevirenses è priscis Christianis, dum ipsa urbs iam oppugnanda esset dissolutionibus majoribus, quam unquam ante diffluxisse, totus in fermento dicebat, *Quid primum accusandum est? quod honorati? an quod senes? an quod Christiani? an quod periclitantes?* Et revera ego ei accino. *Quis enim hæc fieri posse credat, vel in securitate à senibus, vel in discrimine à pueris, vel unquam à Christianis?* sed quid, nonne nos idem facimus? Videmus à terra cuncta oppugnari. Nostra moriuntur, quamvis nos non moreremur: *habent enim*, inquit Seneca, *finem*

Lib. 10. c. 45.

Cypria. ad Donat.

Lib. 5 de provident.

L. 3. Natu quæst.

finem suum, non finem tuum. Nos tamen interim nullum thesaurum extra terram corradimus, ac si diu in terra stabiliri possemus. Quod si montes, saxa, intereant, interibimus quoque nos. Ergo unicâ vice cogitemus, quod *Municipatus noster in cœlis est*, & ad eos aspirando respiremus.

Pars secunda.

IX. Quod si aliquis vestrum sciret urbem expugnandam, annon statim omnia sua, quæ posset, efferret, ac in tuto collocaret? Quinimo, id enim scio, ait Augustinus, *Æstuares, laborares, satageres.* Nunc autem bene scitis, esto ego id non dicerem, quod terra omnibus nostris illudat, & subsannet. Ergo quicquid potestis ex ea auferte, & ad cœlum deferte. Vis adjutorem? Ecce pauperes. *Laturarios tibi pauperes fecit.* Cum ergo terra nobis non conveniat, viam versus cœlum scrutari oportet. Et en fides se ducem effert, sed quia oculis est obvelata, nonnulli ei diffidunt. Crastinâ, si DEO lubet, in contradictorio ostendam, quàm multi eam recusarint, & demonstrabo unicam esse, quæ non decipit, ex quo maximũ hauriemus solamen, Catholicos esse certos, se in fide nõ errare.

Serm. 24. de temp.

Porro, quoad cæremonias, & ritus, quibus vos auditores salutare desidero, eos sumpsi ex epistola ad Philippenses à S. Ignatio Martyre exarata. *Quadragesimam nolite pro nihilo habere, invitationem enim continet DEI conversationis* Quadragesimam à à bachanalibus distinguite, non per cibos, sed per mores. Quod si negotiis domesticis toto anno distineamini, cur hisce paucis diebus saluti animæ vestræ vos impendere negligatis? Conciones sub pœna damni ne omittatis. Ad meas vos non invito, nam esto certò sciam eas posse esse proficuas, attamen valde dubito, an sint placituræ. Post gratiam DEI duo me animant, bona mea intentio, & vestra optima dispositio.

Epist. 8.

Quod si verbis non stetero, quibus promitto me semper adnisurum, ut vobis satisfaciam & prosim, absentia vestra me punite. Arma militum non torneatorum adhibebo, iis in caput conabor collimare, ut ita cor feriatur. Sed quid cæremoniis me fatigo? Sanctus Paulus clamat, *Tempus breve est.* Sed quid ex hoc vis inferre? *Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint, tanquam non utantur.* Quid facis in proditrice terra? Laboras? Verùm hoc nil aliud est quam dulciter depauperari. Te recreas? hoc nil aliud est quam longa afflictio. Agisne Mercaturam? continuus est id labor. Gubernas? periculosam agis servitutem. Quid ergo ages? Ante permittes melancoliæ? Nequaquam. In terra oportet vivere, sed terræ non est adhærendum, verum ita in ea vivendum, uti sancti vixerunt, qui à Græcis dicuntur *Agij*, hoc est, homines sine terra. Genio fuerunt imbuti eodem, quo S. Monica, quæ ad ostia Tyberina quadam vice cum filio suo Augustino colloquens, terræ succensa dicebat: *Fili, quantum ad me attinet, nulla re tam delector in hac vita.* Recogitabant se terræ commodatos, non natos & Deo concedente subito in ectasin se à terra levabant. Lego de S. Machario

1. Cor. 7.

l. 9. confess. c. 10.

Patriarcha Alexandrino eum nunquam potuisse terræ alligari, sed semper funibus exilisse animos addente aversione, quâ terram fugiebat, quamvis persecutores omni nisu contenderent illum terræ colligare.

Sancti sapientes fuere, dum nunquam sua bona ibi collocarunt, ubi tot rubigines consumunt, tot tineæ corrodunt, tot fures surripiunt, tot adversa perdunt. Econtra, illi omnes desipiunt, qui innituntur rei, quæ nil stabilitatis, aut soliditatis habet. Magnus Alexander, qui sibi terram nec per momentum promittere poterat, nullam oppugnavit civitatem, quam non expugnarit, cum nullo dimicavit exercitu, quem non fugarit, subjugavit Thraciam, Spartam, Achæam, Sclavoniam, Triballos, Æoliam, Cariam, Ciliciam, Capadociam, Phrygiam, Armeniam, Syriam, Phœniciam, Parthiam, Persiam, Indiam. De ipso sic perhibet scriptura: *Constituit prælia multa, & obtinuit maiorum munitiones, interfecit reges terræ, & accepit spolia multa.* Nunc videte, quomodo terræ in reverentia fuerit. *Siluit terra in conspectu eius.* Sed quid? *Post hæc decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur, & mortuus est.* Nunc habes proditionem. Hic Monarcha fuit magnus politicus, egit Legatum, Senatorem, Ducem; nec aliquid ardui tempore eius recurrit, quod ab eius arbitrio non dependeret. Verum post hæc defluxit catharrus, & humo absorptus est.

1. Machab. 1.

Iam cinis est, & de tam magno restat Achylle
Nescio quid parvum, quod non bene compleat urnam

Ovid. in Metamorph.

Mercator ille opulentissimus fuit, Mercurium potuisset habere discipulum, in cambijs, assecurationibus fœlicissimus fuit, & post hæc à febre maligna terræ consignatus fuit. Panigarola Ordinis minorum decus, alter Hercules gallicus Italis fuit, instar Herculis aures auditorum ligatas trahens, tot quadragesimas prædicavit omnium applausu, & post hæc in Cathedrali Astensi, cuius fuit Episcopus, sub pugno terræ delitescit. *Huc ille decrevit gygas.* Si vel semel de die hæc mente volueremus, quomodo non supercilia dimitteremus?

Seneca in Hercule.

Maximinus imperator tantæ fuit molis, ut vix armillæ uxoris instar annuli digitis inseri potuerint, & quia ex mole corporis animæ molem, quidam dimetiebantur, in theatro hi versus illi sunt acclamati. *Elephas grandis est, & occiditur. Tygris horribilis est, & occiditur. Leo fortis est & occiditur.* Tu annose, qui tuâ diætâ te immortalem censes, advertas ipsos Galenos, Hypocrates, Nestores, terrâ haustos. Vos adolescentes, qui pascimini aere, & voluptatibus, scitote Ganimedes, Polydoros, Narcissos à terra in cineres redactos. Vos puellæ, quæ non credidistis vestrum Aprilem unquam in Decembrem mutandum, audite, terra Panthæas, Helenas, Amalasontes, vermibus objecit.

Illa irridet omnes, *Qui elevati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & sicut summitates spicarum conterentur.* Jam ab anno usque huc terra ostendit se nulli parcere, illusio quâ omnibus vobis notis illusit, & vobis illudet. Stultus est, qui alterius

Iob. 24.

terius

terius damno non sapit, quique non adhibet consilium sapientis tam efficaciter suadentis fugam huius veneficæ, cum, *Vagi sint gressus eius, & instabiles, & pedes eius descendant in mortem.* Prov. 5. Mi frater domum redi, & quam tibi charum est cœlum, terræ non afficiaris, *longe fac ab ea viam tuam & nedes annos tuos crudeli.* Dies tuos secuturos, illi Domino offer, in cuius manu nil perit. De cætero.

Vt tibi mors fœlix contingat vivere disce;
Vt fœlix posis vivere, disce mori.
Amen.

CONCIO II.

PRO PRIMO DIE JOVIS QVADRAGESIMÆ.

Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel, Matth. 8.

Catholico maxima est consolatio, quod certus sit se in fide non errare, nec decipi.

I. CHristus quidem, ô sancta fides, non sine exigua ratione te extollit, quippe, quæ tot principes eius dominio subiecisti, tot populos eius servituti subiugasti, coronas tot virginum, palmas tot Martyrum ei conquisivisti; At nos non tantum tibi debemus, quin potius te perstringere possumus; dum enim lumen spargis cœleste, vis nos esse cæcos, dum proponis dogmata creditu difficillima, nullum dubium pateris, dum præscribis opera practicatu durissima, cupis nos habere adhuc sanctos. Hi sunt boli, quos intellectus rudis difficulter digerat, nempe; quod tres personæ non sint nisi unus Deus, quod pater sit coæternus filio, quod ipsa immensitas fasciis fuerit involuta, quod fœmina post partum manserit virgo, quod corpore abluto lavetur anima, quod absolutio prolata ab homine, justificet peccatorem, quod verba consecrationis convertant panem in corpus, & vinum in sanguinem, quod cineres à vento dispersi sint revicturi, & animæ reviniendi, quod haustus frigidæ mereatur gloriam æternam, quod uni culpæ momentaneæ pœna debeatur æterna.

Hæc transire possent, verum præter intellectum, quem tam arctè constringis, cogis irascibilem ad condonandas iniurias, concupiscibilem ad mortificandas quaslibet sensualitates. Et ecce, hoc tempore anni iucundissimo indicis ieiunium quadragintadiale. Insuper notum est per qualia tormenta traxeris Martyres, per quas con-

continentias duxetis virgines, in quales pœnitentias egeris Eremitas, in quales submissiones monarchas, in quales asperitates innocentiores. Et vos, ô mei Auditores, tam sitis patientes, ut permittatis me in querelas irrumpere, ubi non nisi encomia expectabatis? An ego igitur fidem accusem, quæ præterquam, quod pellat errores, tradit etiam regulas recte vitendi? Magna quidem docet paradoxa, sed quid refert, cum sint vera? Asperas, & difficiles monstrat vias, cum tamen sint unicæ ad cœlum, quid illa deliquit? Quandoquidem ergo præsumpserim traducere virtutem adeo vobis charam, pro pœnitentia discursum vobis offero, qui ostendat, quam sitis obligati fidei, & ex quo summam consolationem haurietis. S Deus adjuvetii breviter monstrabo, non esse in mundo nationem, quæ certior sit se non errare, adeoque singulariter à Deo protegi, quam vos.

Pars prima.

II. Misera gens delusæ Germaniæ, & excœcatæ Angliæ, quæ à quatuor vafris impostoribus seducta persuasum habes nos Catholicos esse Asinos stolidos, & naso à Papa, & sacerdotibus suspendi. Hic vellem, videretis, cui basi innitamur, & an authoritate humanâ solum moveamur ad assensum veritatum adeo firmarum. Si divina providentia homines non curaret, dicebat bene S. Augustinus, non foret consultandum, quæ religio capescenda. Veruntamen, cum Deus hominem crearit ad finem supernaturalem, adeoque teneatur illi præbere media, per quæ finem dictum obtineat, necessario consequitur ex omnibus sectis unam esse veram (Quod omnes sibi vendicant) & medium unicum ad illum finem. Cum autem omnes nequeant simul esse veræ, sunt enim contradictoriæ, omnes aliæ erunt falsæ, quæ opponuntur veræ.

Lib. de utilitate credendi c. 16.

III. Hoc principio præmisso lustremus omnes sectas, ego veniâ cujuscunque veriorem amplectar. Et quidem primo adiit Paganismus. O quam debiles sunt ejus prætensiones, oneratur siquidem Diis ex metallo, ligno, fabricatis, habet pro diis Allia, Cæpe, serpentes, Muscas, Canes, Dracones, Simias, Pecora. Revera stolidi sunt Flamines Romæ, Chaldæi Arabiæ, Bontii Chinæ. Bracmanni Indiæ, Corybantes Idæ, Druides Galliæ Si mihi persuadere velint, ut adorem lapidem, stirpem, Monstrum, Saturnum, qui divoravit proles, Jovem, qui docuit adulteria. Martem authorem bellorũ, Mercurium figulum mendaciorum, Junonem totam invidam, Venerem totam luxuriosam Romulum fratricidam, Floram Meretricem publicã. Nunc videamus, quas leges gentilitas præscripserit. Testatur Theodoretus, Persis permisisse Matrimonia inter patrem, & filiam, filii cum Matre, fratris cum sorore. Arabes docuit torrere senes, easque conjunctioribus in cibum præbere, Tibarenis infirmos ex turribus præcipitare. Hyrcani corvis, & canibus cadavera defunctorum objiciebant. Schytæ uxorem vivam cum viro mortuo sepeliebant. Lacedæmones, & quidem approbante Platone, usum promiscuum mulierum permittebant.

bant. Verum enimvero, nos non ita, tot enim Deos, tamque potentes helluones in tanta caritate annonæ ſuſtentare non poſſumus, & quondam Momus apud Lucianũ querelis acriter laceſſivit Herculem, & Bachum, quod nectare, & ambroſiâ in cœlo ſeſe infarcirent, hominibus interim vacuo ventre famentibus.

IV. Cedite ergo locum Mahometi, ipſi namque non immerito primatus deferendus. Quid quæſo tu in tuo Alcorano ſcripſiſti? Bibere vinum, ludere Latrunculis peccata ſunt enormiſſima, econtra furari, occidere, quindecim, viginti uxores ducere, actiones ſunt honeſtiſſimæ. Profecto mundus tibi plurimum debet; dum enim per aerem volans Archangelus Gabriel tactu alæ lunam obfuſcatam in terram dejeciſſet, & diffregiſſet, tu eam tam exactè reparaſti, ut nec ſignum ullum rupturæ remanſerit. Ne plura dicamus, nec illa dogmata proferamus, propter quæ Averroes quantumvis aſſecla tuus, legem Turcarum vocavit *legem porcorum*. Vade, hasque nugas tuo Sergio, vel alicui ſimplici Arabi perſuade.

V. Nunc examinandi ſunt Judæi, qui bibliis, & Thalmud plurima jactant. Apud vos veram fuiſſe religionem non ignoro, verum à ſexdecim ſæculis non reperio amplius Samſones, nec Salomones, cum omnes meticuloſi, & ignorantes ſitis. Eſtne poſſibile, quod hæc dogmata in veſtra theologia invenerit Sixtus Senenſis, nempe, quod Deus antequam conderet mundum, varia fabricarit, fabricata deſtruxerit, quousque tandem aliquod iuxta artem perfecit, quod mane tres horas impendat ſtudio legis, veſperi vero totidem horis concertet cum piſce Leviathan, quem unâ vice irritatus occidit, maximâque vi in cœlum eiecit, velut ferculum delicatum electorum. Quod primâ lunâ in Septembri ſcrutetur peccata hominum, decemque ſequentibus graviora pugillaribus inſerat, quod ſubinde de die ſummopere excandeſcat, & præ irâ palleat, quandoque etiam intra conclave à turba ſemotus doleat, & ſeipſum pugnis excipiat, ut expiet errorem, quo templum, & urbem Hieroſolymitanam excidi permiſit? Nil hic dico de anima Abelis, quam transfuſam ſupponitis in Seth, & ab hoc traductam in Moyſen, nil de mole Adami, quem capite cœlum tetigiſſe finxiſtis. Veſtris uſuris attendite, nec de religione aſini ſtupidi, & pravi tractate, nec enim poetæ craſſiora mendacia finxerunt. Valete ſub virga DEI, & locum date novis reformatoribus Eccleſiæ, Luthero, Calvino, Bucero, Oecolampadio, Bezæ, Carolſtadio, Zuinglio.

Lib. 2. Bibliothe: ſanctæ.

VI. Hi tanquam ingenio ſublimiſſimo pollentes altiora viderunt, quam Auguſtinus, Hieronmyus, hi ſunt, qui tanta in ſanctis patribus, in ſacris conciliis inveniunt, quæ rodant. Veſtro quinto evangelio quamprimum noſtram ignorantiam pellite, habetis enim clavem auream ſcripturæ. O Luthere, ô Calvine, an hæc ſunt veſtra dogmata, quod homo non habeat liberum arbitrium? Ergo ſecundum vos nil aliud eſt quam brutum, quod fune collo iniecto ducitur. An, quod omnia ex fato incũctabiliter eveniant?

niant? Ergo cum vobis nullis suasionibus agendum. Quod Deus sit author peccati, & reprobet homines ante peccata prævisa? ergo juxta vos est carnifex truculentissimus. Quod opera bona sint peccata, quodq; parricidium æque, ac oratio mereatur cœlum, quod vota Deo facta non sint servanda, superioribus non obediendum, polygamia sit virtus, coniugium inter fratrem, & sororem licitum, Mulier capax præsbiteratus, pueri in baptismo æque utantur ratione, ac adulti, motus primoprimi sint peccata Lethalia? Et re vera ob blasphemias tam execrandas tota Europa destructa est, tot sumptus in bella effusa, quæ misere afflixerunt Germaniam, Franciam, Flandriam, Poloniam, Bohemiam, Scotiam, Angliam. Ite, & hæc ad lyram vestris excommunicatis blateronibus vendite.

Qui estis vos, & unde? Id libenter sciret Tertullianus, sed nolo id edicere; discede itaque Luthere, homo nasute, & tot actantas contradictiones concilia. Vade Calvine, & tuum tergum cura, cui Noionæ pro foco Luculento, qui tibi ob nefandum crimen debebatur, stigma inustum est. Deus bone! Vestra miracula forsan nos convincent, quibus per preces vestras Genevæ viventes enecastis, & in Germania oculatos excœcastis? Vos omnes simul, ut observat Erasmus, Equi claudi genua roborare non potestis. Vos ergo infœlices cedete campo, & sanctæ, catholicæ, apostolicæ, Romanæ locum date.

Psal. 18. Hæc iuxta Davidem, *Est lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, præceptum Domini lucidum:* Illa iam à mille sexcentis annis & ultra publicæ censuræ mundi exposita fuit. Quod si aliquis vestrum eam sedulo perscrutatus fuerit, in eaque vel minimum nævum rectæ rationi adversum notaverit, prodeat, & illum edicat. *Vbi sunt, qui te accusabant, ô divina matrona?* Omnes confusi, & desperati recesserunt. Unus post alium abivit. Nero, Domitianus, Traianus, Diocletianus, Maximianus, Maximin⁹, Chosroes, Sapores, Geuserici infœlici morte perierunt. Simon magus præcipitio, Montanus cum suis prophetissis laqueo perierunt, Manichæus excoriatus fuit, Arrius crepuit, Julianus fulmine tactus obiit, Valens à Gothis tostus est, Nestorius à vermibus corrosus, Calvinus, Lutherus, Carlstadius, Oecolampadius subitâ morte extincti sunt *Nemo ergo te condemnavit?* Quid dico, te condemnavit? Qui te tenacius persequebantur, per te tenacissime capti, & illigati sunt, Romani nempe, & qui te magis abominabantur, eorum in favorem tui testimonia cito. Sancta veritas, quam nec inimici negare possunt. Purum hoc Plinius gentilis tibi dat testimonium, dicens: *Christianos sanctissime vivere, & hoc solū in eis posse reprehendi, quod nimis facile pro DEO suo vitam profundunt.*

Ex Baron. & alijs.

Lib. 10. Epist.

Præterea Mahometes de Christianis sic asserit: *Si in Deum crediderint, & judicii diem expectantes benefecerint, nihil timeant;* Et ipse Lutherus: *Dico sub Papatu veram esse Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis.* Vultisne testimonium solemnius? Anno 1531. in quodam pacis conventu hæretici Helveti Cantonibus catholicis hunc in modum

Alcorani Azoara.

Lib. contra Arabes.

modum scripserunt: *Se velle dimittere confœderatos suos quietos circa veram, indubitatã, & Catholicam fidem suam.* Nunc deinceps dicitote, nostram fidem inventum esse Ecclesiasticorum avarorum, cum epistolâ tam maturè elaboratâ, & publicâ protestati sitis, eam esse veram, catholicam, & indubitatam.

VIII Sunt quidem multa in ea difficilia, quæque ego non capio, sed vel ex hoc dico eam esse divinam, cum Deus juxta Divum Joannem. *Major sit corde nostro.* Quod si loquamur de naturalibus, multa sunt arcana naturæ verissima, quæ nõ intelligo. Videamus id parumper. Quomodo folles pulmonis canalibus asperæ arteriæ tantum flatum præbent, qui tam diu durat? Quomodo illa aura inter dentes fracta tantâ diversitate articulatas format voces, unam mutam, alteram liquidam, unam vocalem, alteram consonantem? Quâ arte flectitur lingua, ut tam bene voces affectibus attemperet, & nunc flebiles præ dolore, teneras præ cõpassione, tremulas ex timore, asperas ex ira efformet? Quomodo una anima eodẽ tempore regat tot potentias voluntatem movendo, reliquis imperet, ut sibi obediant? quomodo cor, & cerebrum reliquis membris spiritus tam ubertim distribuunt, quomodo oculi, & manus adeo sunt sibi concordes, ne in gestibus dissentiant, Intellectus examinet verba prolata, memoria ita attemperet verba, ne confundantur, & ne propositio per confusionem terminorum reddatur inintelligibilis? Quid ergo miri, quod non intelligam, quomodo Deus sit unus, & trinus, quomodo in Christo duæ naturæ adeo diversæ fuerint unitæ, quomodo sub hostia contineatur integrum corpus, si nec capiam, quomodo unus Gryllus tam exiguâ tubâ edat tantum strepitum, quomodo Bombyx ducat fila, apis conficiat mel, quomodo semen in terra sepultum tam diversa germinet, quomodo ex una radice, & spica tot folia, aristæ, rami, plantæ producantur?

Epist. 1. c. 3.

Quæso vos, ne hodie disputemus, sed permittite, ut à dulcedine hujus conceptus, quod nempe nos soli in fide nequeamus decipi, rapiar in extasin. Profectò illustris est victoria nostræ fidei. Ah, quam insignem animarum nobilium cohortem post se trahit! Ergone vos etiam Constantini, Theodosii, tot Reges, & principes, invicti Heroes, Milites generosi reti piscatorum involuti estis? Ergone vos sublimissima ingenia à fide estis capta? Vos inventores novi orbis, vos tantarum artium restauratores, quatuor verbis compositis, quatuor figmentis permisistis vos circumveniri, & rapi? Et dicite quæso, quis ad veritates tam novas vos attraxit? Pro omnibus respondet Augustinus. *Tenemur in Ecclesia vinculis miraculorum.* *tr. epist. fundα. c. 4.*

IX. Quî possit fieri, ut non amplectamur doctrinam diluvio tam grandium, & assiduorum miraculorum confirmatam? Quale aliud signum à Deo prætendere possumus, *sive in profundum inferni, sive in excelsum supra*, quod in ejus confirmationem, & roborationem, quod Christus sit verus Deus, ac Ecclesia nostra ejus legitima sponsa non sit visum in mundo? Non esset nova probatio, esto ego id fieri exoptarem, si per aera volaret Æthna,

Cau-

Caucasus, Pyrenæus, Alpes, Appenninus, id enim iam dudum contigit in Ponto per Gregorium Neocæsariensem, Franciscum à Paula in Calabria, per quendam Sartorem luscum spectante ipso Rege, & populo totius Tartariæ. Non esset novum intelligi à piscibus, habere Leones à famulatu, Tigrides abblandientes, Aves obedientes, exire illæsũ fornacibus ardentibus, manibus gestare ferra candentia, plũba im̃itti liquido carne integrâ, Aquã dulcẽ mutare in amarã, fixam in fluentem, solidam in liquidam, ex quolibet trunco producere flores, ex quolibet solo fructus, ex qualibet petra fontes, illuminare cœcos, surdis conferre auditum, mutis usum linguæ, claudis gressus, mortuis vitam, Nam sexdecim sæculis elapsis hæc quotidiana fuere.

Quot enim portenta primo sæculo non patrarunt Apostoli, in secundo tam eximij Martyres, tertio Gregorius Taumaturgus, quarto Antonius in Ægypto, Hilarion in Palæstina, Nicolaus Miræ, Martinus in Gallia, quinto reliquiæ S. Stephani spectante S. Augustino, sexto illi sancti, quorum mira libro Dialogorum consignavit Gregorius magnus, septimo Apostoli Angliæ, & Rex Oswaldus, octavo Gutbertus, nono Thrasius, decimo Romualdus, Wenceslaus, Udalricus, Dunstanus, undecimo Eduardus, Anselmus, Gregorius septimus, Duodecimo Malachias, Bernardus, tertiodecimo Franciscus, Dominicus, Petrus cœlestinus, Quartodecimo Nicolaus Tolentinus, Bernardinus, Catharina Senensis, Quintodecimo Antoninus, Vincentius Ferrerius, sextodecimo Franciscus à Paula, Thomas à Villa nova, Ludovicus Bertrandus, Ignatius, Xaverius, Theresia, Carolus Boromæus, Philippus Nerius?

Stolidi itaque estis Magdeburgenses scribore audentes, si ea vera sunt, quæ narrantur de S. Martino, non esse nisi præstigias Sunt vera, & quidem eo tempore scripta, quo scriptor poterat convinci falsitatis, adeoque Martinus est sanctus, & vos impostores, qui negaretis solem in meridie lucere. Ergone vobis sit ficta à modernis Papistis epistola, in qua Imperator Antoninus senatui Romano prodigia recensuit, quæ in ejus exercitu legio fulminatrix tota Christiana patravit? Videte, num eam falsitatis arguant gentiles, Tertullianus, Eusebius, Paulus Orosius. Probationes sunt efficaces, quibus probatur illa miracula patrata non in solis Catacumbis Romanis, sed in conspectu gentium incredulorum, & hæreticorum perversorum, qui dum non possunt inficiari illa esse facta, attamen ea attribuunt arti magicæ.

Sed quid me hisce ango? Tot cadavera Martyrum post plures centurias annorum integra, & carnosa, tot sanguines, qui certis diebus ebulliunt, tot Vaticinia tam exacte impleta, tot morbi adeo mirabiliter curati, nihilne probabunt? Solis ortus, progressus, & duratio ecclesiæ an non sunt evidentissima miracula, quæ unquã vidit mundus? *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit*, sunt verba Augustini, *magnum ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Et quis sit adeo perfrictæ frontis, qui inficiari audeat, esse creditu difficillimum, quod Homines ignobiles, infirmi,

L. 22. de Civit. c. 8.

infirmi, pauperrimi, imperiti rem tam incedibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuerint? Siste hic parumper, annon quælibet circumstantia miraculum est primæ classis? quod duodecim vires, & laceri homunciones persuaserint eā doctrinam, quam nec philosophi, nec principes supremi inculcare potuissent, quod eam prædicarint non in angulo scythiæ, in quo barbaris rudibus quælibet fabula pro evangelio vendi potest, sed in foris Atheniensibus, Romanis, Græcis, Italis, in quibus ingenio politissimi convenire solebant, quod annuntiauverint pauperem crucifixum esse Deum, quod ita ejus amore capi deberent, ut omni affectu terrenorum seposito, facultates in pauperes erogarent, & vitâ contemptâ seipsos morti obycerent, nonne maximum est prodigium?

Quid fecisti mi Deus? quod nationes genio, ingenio, moribus, iudicio adeo dissentientes, ut nec in capillitio, aut rasura convenire potuerint, abjuratis sectis diversissimis in unam solum coaluerint religionem, hacque tot edictis præscriptâ, tot ferris rescisâ, tot focis adustâ, tot venenis intoxicata, tot carnificibus tormentatâ, adhuc nihilominus in despectum totius orci hæc usque hodie incorrupta remanserit absque mutatione ullius syllabæ, an non hoc supremum est miraculum? Viguerunt quidem in mundo aliæ sectæ, & tantæ quidem authoritatis, ut quis existimaret eas nunquam desituras; nihilominus ita memoria earum evanuit, ut nisi scriptores catholici eas exarrassent, quis dubitare posset, an extiterint. Septuaginta sex hæreses numerarunt Theodoretus, octuaginta octo Augustinus, & Bellarminus usque ad annum 1517. ducentas. Aliquæ earum in tantum fuerunt dilatatæ, ut de Ariana dixerit Hieronymus: *Mundus ingemuit Arianum se esse sentiens.* Albigenses tanto valverunt robore, ut in unica pugna centum mille occubuerint.

Sed quo omnes abierunt? si demas paucos Hussitas in Bohemia, Nestorianos, & Eutichianos in Oriente, aliarum memoria, & reliquiæ non possunt ostendi. Ipsemet Lutherus, qui jactavit papam cum Cardinalibus, ecclesias cum turribus perituras, dummodo duobus annis ei fas esset prædicare, vix septem elapsis annis à Zuinglio extinctus est, & hic à Calvino. Et quantumvis Calvinus esset omnium astutissimus, paucos tamen habet asseclas, cum Puritani prævaleant in Anglia, Libertini in Gallia, Trinitarii in Polonia, Samo Sateni in Transylvania. Et quamvis totus orbis nullas vires adhibuerit hæresibus debellandis, quamvis nullis ventis adversis fuerint oppugnatæ, attamen à teredine propriorum errorum fuerunt consumptæ. Econtra fides Catholica, nunquam magis propagata fuit quam ubi in majori discrimine versari videbatur.

X. In eius perniciem conspiravit tota gentilitas, sed uno ramo præciso centum alii pullulabant, moriebatur unus Martyr, & Iudex qui eum condemnarat hæres fidei Martyris ex asse instituebatur. Ille interibat, & testes eum accusantes, milites custodientes, Lictores tormentantes, eius loco sub-

ſtituebantur. Dum maxime angeretur ab Arianis acquiſivit Iberos, Indos, Armenos, Beſtos, Burgundos, Bavaros, Scotos, Anglos, Francos, Celtas, Homæritas, Auximitas Saracenos. Qvando eam conculcarunt Iconoclaſtæ propagata fuit apud Hunnos, Svetonios, Svecos, Sclavos, Danos, Moſcos, Bohemos, Bulgaros, Moravos, Sileſios, Dalmatas, Croatas, Lituanos, Livones, Selandos, Tranſylvanos, Ruſſios, Bosnenſes, Servios, Pomeranos, & Polonos.

Dum tandem hoc ſæculo furiæ ſeptentrionales ferme congelaſſent, reſoluta eſt acquiſitione integri orbis, & reſtaurando ruinam Europæ ſubjugavit Americam, regnum Peruanum, Sinenſe, Cuſcum, Mexicum, Braſiliam, Paraguai, Affricam, Aſiam, Inſulas Moluccitanas, Philippinas, Mauretanas. Hodie etiam, dum perdit Japoniam, lucratur Chynam, Cocirum, Æthiopiam, Thibet, & ita continuo manutenetur. Sic eam ſolabatur propheta dicens: *Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, & ſuges lac gentium, & mammillâ regum lactaberis.* (*Iſa. 60.*) Mi Deus mihi nulla amplius fac miracula, nam ut convincar nil amplius exigitur. Subjungo cum Richardo à S. Victore, *Si error eſt, quod credimus à te decepti ſumus; iſta enim in nobis ijs ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, quæ non niſi à te fieri potuiſſent;* (*l. 1. de Trin. c. 2.*) Si me deceperis errorem pellere non poteris, quia in hac fide Vivere, & mori paratus ſum.

Quia eam credo, illam prædico *Credidi propter quod locutus ſum*, (*Pſal. 115.*) tibique jurans ſpondeo, mihi nunquam perſuadendum, quod Deus adeo bonus tot innocentes virgines, tot conſtantes Martyres, tot ferventes confeſſores perdere voluerit, ac in falſitates, parum gratas huic ſæculo, & futuro inutiles permittere induci. Circa fidem ergo cum S. Cypriano amplius non delibero: *Non enim datur in re tam juſta conſultatio.* Omnibus tentationibus fidei eodem reſponſo, quo Polycarpus tyranno occurrit, reſiſto. *Rata nobis ſtat ſententia, longeque ab eo abſumus, ut aliquando mutato conſilio meliorum nos pœniteat, quod deteriora ſequamur.* (*Pontius in eius vita. Euſeb. l. 4. c. 14.*) Dum agimus de fide, quæſo ne ſpem pauperibus exſcindamus, quâ noſtro amori magno innituntur.

Pars ſecunda.

XI. Verum enimvero edic ſodes, an nos unquam Deo grates rependerimus, quod nos ſuâ fide dignarit, ubi tot ſciſmatici, hæretici, Mahometani, Idololatræ, Judæi, paternis erroribus ab utero imbibitis, involuti pereunt, nos autem leviſſimo negotio, ſalvari poſſimus, niſi plane beſtialiter ſalutem amittere velimus? An unquam beneficio tanto, quod eſt radix omnium aliorum vos gratos exhibetis? An unquam veſtras vitas tanquam victimas offertis, Deum rogantes (dum juxta Auguſtinum difficilius eſt fidem admittere, quam poſt fidem Deum honorare, & amare) (*Libro de utilitate.*) ut dum vobis gratiam præſtitit, difficilius ſuperandi, etiam concedat facilius præſtandi, & ſicuti donavit aſcribi vivos eccleſiæ militanti, ſic mortuos admittat in triumphante? Ego dum me ſolari volo, ſolum cogito me eſſe catholicum. Et revera exiſtimo Socra-

cra-

cratem, Platonem, Ariſtotelem nihil non expenſuros fuiſſe pro certitudine, quâ ſcio me in fide non falli. Utinam noſtri mores ita eſſent inculpabiles, ſicut dogmata ſunt irrefragabilia.

Et an non ipſiſmet hæreticis id eſſe perſpicuum creditis? Dum quadam vice Henricus quartus ſcire ab hæreticis cuperet, quid de orthodoxâ fide ſentirent, ſagaciores reliquis ſectis plus libertatis, catholicæ vero plus ſecuritatis ineſſe clarê edixerunt. Porro unus eorum meo ſenſu rem melius tetigit; rogatus quippe ſenſum ſuum de noſtra, eiuſque religione promeret, erudité diſtinxit dicens, *vellem cum noſtris vivere, cum veſtris mori.*

Et profecto non neſcio plures veſtrum, hæreticorum licentioſam vitam ambabus ulnis amplexuros, & dein morte catholicâ fato concedere in votis habere; Verum enimuero exſtruendis ædibus bonis fundamenta jacta non ſufficiunt, niſi muri ſuperſtruantur, & tectum obducatur, ædeſque incolantur. *Domus DEI*, inquit Auguſtinus, *credendo fundatur, operando erigitur, diligendo perficitur.* (*Serm. 13. in Ioann.*) DEUS dum in recta via naſci tibi conceſſit, laborem inveſtigandi viam ſalutis tibi præſcidit, perge, perge ergo ulterius, *Ambula per fidem, ut pervenias ad ſpem.* Non nemo mihi dicit, magno me ſolatio perfundis, fidem non poſſum habere meliorem, ſummo affectus ſum gaudio. Optime, ſed decætero quomodo vivis? Affectibus meis fræna laxo, avaritiæ, rixis, laſciviæ deditus. Mehercule, fidem tuam non eſſe bonam infertur, quia juxta Auguſtinum, *Difficile eſt ut malè vivat, qui benecredit.* Quia ignem adurere, Leonem diſcerpere, venenum inficere, firmiter credis, ideo ea tam ſagaciter fugis. Cum igitur auaritiam, vindictam, libidinem non fugias, oſtendis te non credere eas adeo eſſe nocivas, uti fides docet. Plurimum ſuſpicor non paucos fidem alternare, unam in bachanalibus, aliam in quadrageſima exercendo, eo modo, quo Imperator Conſtantius duas fides permitti unam in Oriente, alteram in Occidente, à Pontifice rogavit.

XII. Nequaquam, inquit, Paulus, *unus Deus, una fides*, unica ſemper eadem, æque ſemper robuſta, & activa ſufficit, nec eſt tentatio à qua poſſit vinci; (*Epheſ. 8.*) Nam juxta Baſilium Seleucienſem: *Ad fidei præſentiam omnis ab animo deſperatio eliminatur.* (*Orat. 22.*) Quidam noſtræ ſocietatis alumnus non multos ante annos, cuidam neophyto Japonenſi thecam ſanctorum exuviis inſtructam dedit, ut eâ è collo obſeſſi appensâ, Dœmonem eiectaret. Res optatè ſucceſſit, Dœmonque è corpore diſcedens interrogatus, quis ſanctorum, cuius reliquiæ capſæ includebantur, eum eieciſſet, reſpondit Sancta fides. (*Ex annuis. Iaponiæ.*) Neophytus ilico ad patrem currens, quænam eſſet illa Sancta, quippe cuius nomen in Litaniis non recitaretur quæſivit cui pater, optime reſpondit Dœmon, nam ſancta fides eſt ſancta expulſio Dœmonum, nec eſt periculum, ut ibi nidificent, ubi illa prædominatur.

Id circo ego qualibet concione ad tribunal fidei vos ambulare cogam, ut conformitas vitæ veſtræ cum fide examinetur. Porro hoc mane vos dimitto enarrato facto, quod Theothegnes Cæſarienſis epiſcopus uti recenſet Euſebius, cum generoſo milite Chriſtiano Marino fecit. In militia qvędam præfectura Marino præ omnibus debita vacabat. Sola Marini fides ab æmulis objecta remoram injiciebat. In tribunal vocatus, intrepidus comparuit, & dum ſancto propoſito tenax inhæreret, duæ ei horæ datæ ſunt, deliberaret, cui militiæ renuntiare vellet. Reſcivit id præfatus Præſul, qvi generoſo pugili, è curia prodeunti, occurrens, eiqve ſe jungens, amiciſſime ad eccleſiam invitavit, eumqve retro altare majus, ubi liber evangeliorum aſſervabatur, duxit, nihilqve dicens gladium militis è latere appenſum arripuit, huncqve ſiniſtrâ, & evangelium dexterâ tenens, imperioſe militi dixit: Hæc duo ſimul habere non poteris, unum deferendum, alterum eligendum, elige, qvod vis, vel gloriam temporalem in gladio, vel æternam in libro evangeliorum. Qvid noſtri milites hujus ævi feciſſent? Nolo id dicere. Verum Marinus, enſe neglecto, ſubito evangelium arripuit, illudqve ſvaviter oſculando, & arctè amplexando, oculis Epiſcopi nimbos aqvarum & ore ejus hæc verba memoranda elicuit: *Obtine, qvod elegiſti, ô fili, & contemnens præſentem vitam, æternam ſperato.*

Lib. 7. c. 11. hiſtor.

Popule meus, en Deus dexterâ geſtat evangelium, & in eo fidem tuam, ſiniſtrâ verò inordinatorum tuorum appetituum condeſcenſionem. Unum ſolùm eligendum, qvia *nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Vis fidem? eam habeto; *obtine, qvod elegiſti, & contemnens præſentem vitam, æternam ſperato.* Qvod ſi fidei conjunxeris opera, cœlum eſt tuum, falli ſiqvidem neqvit, qvi juravit. *Qvi credit ei, qvi miſit me, habet vitam æternam. Amen.* *Joann. 5.*



CON-

CONCIO III.

PRO PRIMO DIE VENERIS.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Matth. 5.

Sermo Jesu Christi pro dilectione inimicorum.

I. DUm ex una parte mente revolvo diligentias, qvas Christus adhibuit, ut ejus seqvaces mutuâ charitate colligarentur; ex altera verò parte video dissidia, qvæ inter Christianos cum maximo corporum & animarum damno qvotidie crescunt; profectò anceps hæreo, num in lachrimas præ compassione (qvod videam in negotio tanti momenti tam eximio magistro à discipulis obedientiam non præstari) vel an in bilem, & furores me effundam, ut diris devoveam nostrum pravissimum genium, adeò à rebus sibi proficuis semper aversum. Sancta charitas, qvæ titulo reginæ gaudes; dic Sodes, ubi nã est regnum tuum? Num in domibus forsan privatis? Neqvaqvam, nam in iis dominantur rixæ, qvæ maritos ab uxoribus avertunt, proprium commodum, qvod proles patribus infensos reddit, dissensiones, qvæ fratres à sororibus disjungunt.

Non in publicis conventibus, cum enim sint palæstræ armorum & duellorum, nulli minus, qvam tibi patent. Ipsimet consangvinei conjunctissimi dicunt ex eodem non se esse sangvine, coætanei se humoribus non esse similes, compatriotæ, se diversæ esse complexionis. Hæc familia illi non afficitur, collega cum altero nunqvam convenit. Res tuæ in eo versantur cardine, ut quamvis regina, proscripta nihilosecius sis è regno, cuilibet vili lucro postposita, à qvolibet pravo affectu delusa, in celeberrimis conventionibus mortificata. Potuissem te inducere ad minus in forum, in qvo forsan qverelæ tuæ locum haberent; verùm si appelles ad magnates, videbis eos negotiis tuis plane adversis distineri. Cernes eorum aures oppignoratas cassidibus, purpuras eorum tinctas sangvine in bellis profuso, studiis districtos magis generosis, qvam utilibus, resolutionibus plus gloriosis, qvàm æqvis, bellis fœlicioribus, qvam necessariis. Neqve in senatu audiri permitteris inter lites, nam judices partes non componunt, vix qvatuor ex judicibus concinunt, clientum aversiones migrant in advocatos, calami vices sustinent jurgiorum, calumniæ effutiuntur, si non sangvis, ablatio famæ, si non vita profunditur. Præterea non nescis, animas Deo consecratas non esse

ſe purum aurum. *Quod*, ut dicebat Gualfridus, *percuſſum non ſonat.* Templa plures numerant in turribus campanas, quæ unico verbo aſpero tactæ permediam reſonant horam, unica penſio, unica prætenſio multum exaſperat, effectus affectuum effroenium nonnunquam Zelum parum diſcretum producunt. Nec deſunt religioſi, & eccleſiaſtici melioris voluntatis, quam naturæ, qui ob unicam ſuſpicionis umbram, charitatem ê choro, clauſtro, capitulo proſcribunt. Et quamvis in diſciplina degamus arctiſſimâ, tamen quamdiu hominem non exvimus, in litibus, & bellis vivimus. Quid omnipotentia creatrix profecit tam varia inveniendo ligamina, quibus ſtricte colligaremur, dum noſtra bilis omnia diffregit? Dum omnes ex eodem non ſumus orti parente, bene oſtendimus nos non eſſe fratres, nam ſemper in tragœdia Cain, & Abelis, Eſau & Jacob, Amnon, & Abſolon, actores ſumus.

Quantumvis ſimus in eodem elemento poſiti, adhuc tamen non unimur, & quamvis terra ſit unicum ſolum punctum, in eo tamen mille diviſiones fingimus, præter Zona, paralella, climata, meridiana à Geographis diſtincta, quatuor adhuc reperimus partes, in qualibet parte plura regna, in quolibet regno plures ſtatus, in quolibet ſtatu plures ordines, in quolibet ordine plures tribus, in qualibet tribu plures cognationes, in qualibet cognatione plures gradus, in quolibet gradu plures genios, in quolibet genio plures ſymbolizationes. Matrimonium tot non ſopivit diſſenſiones, quot lites cauſavit, id ſciunt ſocrus tam raro bene affectæ ſuis nuris, id probant lites intentatæ ob dotes, ſuſpiciones ob familiaritatem, repudia attentata, divortia facta. O mi Domine, quomodo ergo hodie mandas, ut ego pacem inter eos ſeminem, qui meris paſcuntur bellis? Cum tu ipſe dixeris O mi Redemptor, *Diligite inimicos Veſtros*, tu hodie ipſemet prædicabis. Dum inter amicos, conſanguineos nulla viget amplius charitas, imaginare tibi, dilectionem inimicorum mundo traditam ab alio potius, quam à te. Proba ergo hanc doctrinam eſſe tuam, tu retia eiice, ego miſellus piſcator promptus adſum, ut illa attraham, tu ſolum attende, ſunt enim nonnulli piſciculi nimium ſubtiles, qui niſi bene concludantur, ſuo damno evadere tentant.

Pars prima.

II. Quod ſi aſſererem me vobis perſuaſurum rem facilem, nolite mihi credere, nam nec ego ita ſentio. Quomodo? Quod ille motu acutiſſimo transfixerit cor, & ego tacere debeam, ac ſi eſſem mutus? Quod alter mea retineat, & ego rideam? Quod ille alapam mihi impingat, & ego gladium non exſeram? Quod alius vitæ meæ inſidietur, & ego eum ſufferre debeã, ſunt medicinæ tam amaræ, ut dulcedo Dei iis dulcorandis exigatur. Ille Sapritius quondam paratiſſimo animo cervicem enſi porrigebat, ut tamen in gratiã admitteret Nicephorũ nunquam potuit induci. Sumus veſpæ, quæ prius animos, quam vindictam per deremus. *ex Baron. tom. 3.*

Nec mihi adducite ſententias illuſtres philoſophorum, quod ulci-

ſcentia ſit vitium animi vilis, id enim jam ſcio, & diu dixit Titus Boſtrenſis: *Procula magnis animis cupiditas ultionis.* Item Satiricus; *Minuti ſemper, & infirmi eſt animi, exiguique voluptas ultio.* Vos ipſi mente tenetis dictum Taciti. *Bellorum egregii fines quoties ignoſcendi tranſiguntur*, & Senecæ. *Non eſt magnus animus, quem incurvat iniuria*, & Plutarchi, *Parcere, & tolerare placidi, & modeſti animi eſt, Camilli, Metelli, Ariſtidis, & Socratis; fodicare, & mordere formicæ, & Muris.*

In Bibliothec. PP. Tacitus l. 12. Seneca lib. 3. de Tranquil. Plutarchus de non iraſcend.

III. Profecto has ſententias ad praxin non redigo; dum enim tangor invenio non niſi verum dicere S. Valerianum; *Infinitæ virtutis eſt odia viciſſe beneficiis.* Mea virtus eo uſque necdum pertigit, eſt enim ſummum, quod Deus poſſit præſcribere, & jam edixit Auguſtinus: *Perfectio miſericordiæ ultra dilectionem inimicorum porrigi non poteſt.*

Hom. 12. in appendice. Serm. 35.

Amor vindictæ non tam eſt vitium, quin potius cuilibet homini eſt naturalis intrans eius definitionem, ac ſi eſſet pars eſſentialis. *Homo natus de muliere*, animali omnium animantium in bilem procliviſſimo, quia *Vindicta nemo magis gaudet, quam fœmina: repletur multis miſeriis*, ſeptuaginta legunt, *Saturatur iracundiâ.* Ne permittatis, quod dicam, cohibere vindictam eſſe idem, ac exuere hominem. Ita ad minus ſupponebat ille apud Rufinum, qui omnia argumenta quibus ei diſuadebat vindictam Abbas Siſoes, hoc clavo retundebat. *Permitte Pater, ut homo ſim.* Injuriarum obliviſci eſt exire confinibus humanitatis. Nec hoc ſolum dixit Tullius adulando Cæſari, dum conciliaretur Marcello, ſed longe ante Oraculum Delphicum Apollinis, quod teſte

lib. 3. hiſt.

Orat. 5.

Themiſtio Lycurgum Deum nuncupavit, dum eum, qui ſibi oculum eruerat, non ſolum Spartanis vetuit occidi, quin & propriâ domo admiſſum, philoſophiâ eum imbuit.

Nec mihi prohibeatis ne probem, quàm ſit ardua remiſſio præſcripta; nam apprimè ſcio, nos non eſſe naturæ divinæ, quæ ſolum perdonando ſe creſcere putat. *Exaltabitur Dominus parcens vobis.* Hoc attributum præ omnibus aliis manifeſtari cupit. *Et ſcietis, quod ego Dominus, cum ego hæc fecero vobis, & non ſecundum vias veſtras malas* Hanc perfectionem omnibus alijs præfert. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Nos ſumus ollulæ, quæ ad minimum ignem ebulliunt.

Iſa. 30. Ezech. 20. Iſa. 40.

IV. Quid vultis dicere? An, quod inimico benefacere ſit res difficillima, quam Deus poſſit præſcribere? Id non nego, nec vos angat eius probatio, ſcio id totum tribuendum divinæ gratiæ, nec ullum eius fundamentum minimum in natura reperiri. Hic eſt paſſus, in quo vos expecto Auditores. Sit condonatio ſumma difficultas, quàm adeo exaggeratis, nemo tamen mihi unquã negare poterit eam per varia argumenta ſuperari. Videte, an hoc non probem. Quot ſunt, qui ſuis infamiis tegendis patienter eas tolerant. Quam multi ad ulciſcentiam inſtigati non ſe vindicant metu fuſtium, & Lapidum? Quot perferunt injurias minores, ne majoribus involuãtur? Adeſte. Pauxillũ vanæ gloriæ, quid non valuit in hac materia apud priſcos? Nil dico de Julio Cæſare, qui Lucio Syllæ Cæſarẽ continuo laceſcenti ignovit, nam vos politici ſtatim obiicietis, nõ aliter potuiſſe fieri

si regnare volebat, & habere, cui jussa ferret. Neqve cum Seneca clementiam voco Lassam crudelitatem, qvam habent nonnulli, qvi, dum maxime pungunt, & nocent, dicunt se condonare. De Phocione porro verificatur, qvod filius ejus scyphum veneno plenum manu gestans ab eo humiliter petierit, oblivisceretur veneni sibi præparati. Octavianus Cinnæ, infensissimo suo hosti, non solum vitam dedit, sed & dignitatem multum auxit. Vespasianus filiæ Vitellii, æmuli sui nupsit. Titus duobus secum prętendentibus regnum præ aliis favit. Ergone Christiani inducti æternis non poterunt id, qvod fecerunt gentiles moti argumentis temporalibus & frivolis?

Lib. de clementia.

Ælian. l. 12. histor.

Sabell. l. 5.

V. Sed qvid loqvor de aliis? Audi nobilissime Domine, si Princeps tuus per literas tibi mandaret ignoscentiam inimici, uti qvondam præcepit Agesilaus sic Niciæ scribens: *Nicias si te injuria non affecit, illi dimitte, si injustè egit, mihi dimitte, omnino autem dimitte,* nonne infamiam, qvam potuisses incurrere condonando, abunde compensatam existimares obedientiam Principi præstando? Qvandoqvidem ergo Deus, cujus Princeps tuus est servus, affabiliter tibi dicat, *Mihi vindictam, & ego retribuam*, nonne eum audies? Sed qvid dico Princeps tuus? Qvod si domicella aliqva à te exigeret, in ejus gratiam vindictam cohibeas, nonne statim pareres? Qvomodo ergo mihi dixeris, te non posse ignoscere propter illum Deum, qvi te creavit, qvi te redemit, qvi opibus te cumulat, à periculis præservat, filiis donat, præmiat, vel punit tota æternitate? Profecto nobilitas tua vilis est, facis ob servum, qvod dicis te pręstare non posse propter Dominum. Dicis tantum tibi esse possibile ignoscere, ac volare. Sed audi. Qvod si ille, cujus neci inhias, hodie crearetur Imperator, vel Papa, annon prompte eum in gratiam admitteres? Qvinimo, imo omnia tentares, ut ei persvaderes, illum tibi semper devinctissimum fore, nec id ob aliam causam, nisi, qvia eum jam suspicis, qvem antea contemnebas. Qvomodo ergo non timeas æqve Deum, qvi, si non condones, majoribus te afficiet damnis, qvam ille, qvi ad Imperium, vel Pontificatum est evectus?

Plutarch. in Apophtheg. Regum.

VI. O Christiani, qvæso vos, ne amplius dicatis, hoc præceptum non posse observari, si honor vester vobis sit charus. Profecto vos in ruborem dabo, si dixero, remittendis injuriis propter Christum objici difficultates insuperabiles, propter Diabolum verò nec minimam. In ecclesia Dei adhuc sunt plures Herodes, ac Pilati, qvi inimici capitalissimi, ut perdatur tertius, uniuntur velut fratres, & hoc absqve prævio tractatu, tam verbali, qvam reali. gratiâ Christi non est inita concordia, sed bene amore Diaboli. Odium erga bonum alterius unionem inducere potuit sed non zelus proprii boni. Prætensiones sopiri nunqvam potuerunt, qvicqvid ille religiosus bonus moliretur. sed vix illud maledictum proprium interesse sese insinuavit. & ilico in concordiam iverunt.

Qvis

Quis vestrum Auditores meo velit respondere argumento? Si animus sit, illud solvite. Quantumvis condonare sit difficile, lucrum interim, vel amicitia remissionem causant. Quomodo ergo non ratione obtinendæ salutis, in qua consistunt omnia non ignoscemus? Ne ulterius dicatis admittere talem in gratiam esse difficile; Quantumvis enim ita sit, haud tamen est impossibile, & sæpe fit causâ Diaboli, vel hominis. Eccur ergo non poteritis idem facere propter Deum, vel cœlum? Ne putetis vos hac vice elapsuros. Potestis, potestis inimico ignoscere; Verum ego urgeo, ut id faciatis, si non propter Deum, cui id debetis, ad minus propter bonum, quod vobis nolle non potestis. Si hodie efferu eam meum zelum laudate, quo feror in bonum vestrum. De cætero, an forsan putatis, quod hodie prædicem in gratiam hostium vestrorum? Nunquam id cogitavi, nec revera iis affici possum, qui offendere præsumpserunt personas adeo bene meritas.

Credo inimicum vestrum ingratum esse uti dicitis, quodque incrassatus recalcitret, non dubito quin sit, impudens homo, qui tot convitia in vos conjecit, credo quod sit pessimus, dū sua facinora vobis affricare voluit, credo quod sit alter Dœmon, qui vestris applausit miseriis. Quod si ergo illum solum, & nil aliud spectetis, verberetur usque ad mortem, Culeo insutus submergatur. Verum, quia video, quod eum persequendo ultra tendatis, & dum eum, salvare non potestis, quod vos simul obiiciatis inferno, & in idem diversorium æternaliter hospitaturi tendatis, contenti estote affectu meo, quem erga vos, & non erga illum gero, Idoque in hoc tantum adnitor, ut vos flectam, & placem, ut dum adeo differtis ab illo, eodem miserrimo fine non obruamini.

Conceptus meus regius est, à Rege, & quidem Ludovico duodecimo traditus. Hic evectus ad solium regium, dū à nonnullis imprudentioribus quibus magnanimitas principum haud satis innotuerat, ad ulciscendas injurias, dum adhuc Dux esset Aurelianensis illatas stimularetur generosé respondit; *Non tam ut mihi infensis, quam mihi ipsi, ut ignoscam injuriarum obliviscar.* Huic conceptui conformiter exclamat Chrysostomus. *Nemo injuriæ sit memor, nisi velit seipsum lædere.*

Ex Botero in dictis memorab.

Hom. 4. in epl. ad Ephes.

VII. Ego, dum omnes salvos cupio, & ex fide certo sciam, nisi condonetis, vos infallibiliter esse damnandos, quomodo pro vestro bono non exardescā, & fe u am? Apprime scio, quod hodie mihi non assumpserim emollitionem adamantum, ago siquidem cum hominibus subjectis quidem passionibus, interim tamen instar prudentum à ratione ductis. Nunc quæso vos omnes vestros conceptus sapientiores in senatum vocate, consulturos circa punctum, quod modo propono. Nos ipsi non sumus ex omni parte innocentes, quin potius continuo labimur, & malitiam urgemus, ut fragilitatem agitet. In cogitationibus sumus vani, & temerarii, verbis otiosi, jactabundi, mendaces, maligni, factis injusti, indiscreti, contentiosi. Nobis laborantibus non solvimus, nobiscū agentes decipimus, nobis fidentes prodimus, ecclesias sa-

cras vertimus in forum, Sacramentis facrilige abutimur, gratiis divinis ingrati sumus, in nobisipsis pacem non habemus internam, caremus charitate proximi, Deo debitum non præstamus cultum.

Hoc supposito tanquam vero, quis ex nobis tam stolidus sit, qui dum vindictam spirat, Cœlo novos libellos supplices porrigere velit? Si in carcerē dati simus ob debita, quomodo poterimus sperare liberationem ab eo, qui remittens milliones talentorum, videt à nobis misere tractari debitorem ob paucos obolos? Pellamus itaque errorem. Per has angustas oras transeundum est. Deus fidem dedit, eam revocare nequit. Quam diu fixum nobis manet bene nolle inimico, ratissimum Deo est nobis non bene velle. Et profecto non est exiguū pronuntiatum hoc Augustini, quod nempe, *In potestate nostra sit qualiter iudicemur.* Meum itaque est Deum movere, ut mecum bene agat, dum ei ideam porrigo charitatis, qua proximum prosequor.

L. 50. homil. 4.

Nonne speramus omnes, quod semel cœlum ingressuri simus? Sed quæ so per quam portam? Domus mortis multas habet ianuas iuxta psalmistam: *Qui exaltas me de portis mortis.* Sed domus vitæ unam tantum. *Hæc porta domini iusti intrabunt in eam.* Hæc porta juxta Hilarium est charitas, & qui per eam intrare recusat, semper excludetur. Accedit S. Eligius. *Qui hæc implere noluerit, ipse sibi ianuam divinæ misericordiæ claudit.* Idcirco credite o Mortales, inquit S. Leo quod *Nudæ sint omnes sine charitate virtutes.* Cum sint nudæ sub conspectum Dei venire nequeunt, qui eas non admittere decrevit. Deus tuas communiones, o devotarie in vili habet, quamdiu cor bile inflammatur. *Relinque ibi munus tuum ante altare, & Vade prius reconciliari fratri tuo.* Hæc verba apprime intellexit S. Joannes Eleemosinarius, qui missam interrupit, ut prius alicui, quamvis juste offenso, sese reconciliaret, & dein consecraret. Quid Deus tuas curat orationes charitate non signatas? *Oculos*, inquit Tertullianus, *pacis signaculum orationis.* Monetæ nostræ, nisi hoc signo notentur, adulterinæ sunt. Et an nos hoc non experimur? Tot annis nos Christiani affligimur, ecclesia, religio, tot malis conflictatur, uti videtis, nec ego enarrare ausim, Jubilæa donantur, processiones instituuntur, vota augentur, nec Deus placatur. An forsan Deus est surdus? Nimium auritus est, & nos nil aliud rogamus, quā quod eo habeamur modo, quo nos alios habemus, *Dimitte nobis sicut dimittimus.*

Hila. in Psal. 126.

Ser. 10. in quadrages.

Lib. de o[ratione]

Hæc causa cur non audiamur, talem verberibus mandas excipi, & dein ad sacrum vadis, oneras sclopetum & interim recitationem rosarii continuas. Falleris inquit Nyssenus, *Tuus debitor est in carcere, & tu in oratorio, ille ob debita cruciatur, & tu remitti tibi debitum vis, exaudiri oratio tua non potest.*

Orat. 5. orat. domin.

IX. Non credo eum, qui sibi vult bene, male velle posse inimico; Nam ab amore proprio nascitur odium contra alios. Quomodo ergo sensatus possit proponere, quod velit privare inimicum exiguo bono suæ gratiæ, si per hoc se privet omni bono, & incurrat offensam Dei? Corda obstinata attendite quid faciatis, emendate

vos,

vos, Deus siquidem non mutatur. Quod si vindictam unicam foveatis animo, nil, nequidem vitam vestram à vobis acceptat. Si animo vindictam spirantes vos eo animo ad mortem pro Christo oppetendam, cursitare viderem, quo ad illam properavit Ignatius Antiochenus, quantumvis omnes Angeli descenderent vos coronaturi, Deus è solio exurgeret, manibus vestris palmam, capitibus coronam extorsurus. Conceptus est Cypriani. *In expiabilis culpa discordiæ, nec passione purgatur, nam occidi talis potest, coronari non potest.*

simplicita prælatorii.

Hanc doctrinam nos christiani non capimus, nam alias vindictæ tam appetentes non essemus. Præterea eo tempore, quo fides profusione sanguinis profitenda est, Christus potius concordiâ, quam martyrio honorari mavult. Martyr erat, qui id scripsit, nempe Silverius papa exul. *Pro bono pacis, & concordiæ, quæ martyrio præfertur, convenio vos.* Quum ergo remissione iniuriarum æque Deum, ac profusione sanguinis placare possitis, an non permittetis, quod in fine magis exardescam, adnitarque, num aureolâ martyrum vos redimire possim, cum tam disertè id asserat S. Hilarius Arelatensis? *Notum per ista sit, quod artem, & opera martyris suscipit, qui odium malis debitum generosi cordis benignitate calcaverit.* Potestis, quantumvis id difficile sit ignoscere, quod si possitis, & sitis generosi, scire hac vice cuperem, cur id nolitis.

c Baron.

hom. de S. Stephano

X. Magnitudo, vel parvitas cordis unde putatis quod colligatur? A nullo alio, *Quam à mensura charitatis, quam habet* inquit Bernardus, ita edoctus à Gregorio. Hic recensens Constantium virum DEI, à quodam rustico offensum in hujus amplexus ruisse, concludit, *Qualis quisque apud se latet, contumeliâ illatâ probatur.* Qui examinare eminentiã vult hujus virtutis, videat quomodo injurias toleret. Verumenimuero, forsan tempus ludo, & is cui hic discursus magis necessarius est, intra seridet. Adiuva, adiuva Domine nunc tempus est. Hannibal resciens Romanos Carthaginensibus succensos ob Caduceatores minus idoneos ablegatos, ipsemet pacem verbis his efficacissimis petyt. *Hannibal pacem peto, qui neque peterem, nisi utilem crederem, qui & annitar, ne quem pacis per me partæ poeniteat.* Nonnemo alteri maxime succenset, nec immerito, cum revera mediis pessimis eum placare studuerit, varii sunt adhibiti paci procurandæ, sed inaniter. Si tu eam ipsemet expeteres, quis eam tibi negare posset? *Exurge Domine in præcepto, quod mandasti.* Animi nobilissimi nunquam erga te amplius crudeles esse volunt. Optime inquit Christus, Ego sum, qui hodie prædico. Verum est, nullum aliud esse motivum suadens ignoscentiam, nisi quia ego illam iubeo. Interim hodie experimentum capiendum, quinam sint filii mei. Rem difficillem à vobis posco, verum si plures eam non denegent principi, alii eam præstent gratiâ unius meretricis, cur mihi ea nõ fiat, qui quotidiè à tot millenis hominib9 offensus, omnib9 minimâ satisfactione præstitâ condono? Et quid? An mundo potius, quã mihi credatis? Agedum, frœna laxate affectibus vestris, moriatur ille, sed hac lege ut vos regno meo pedem nunquam inferatis. Et an adsit Vindicati-

Serm. 27. in Cant.

L. 1. dial. c. 5.

Livi. decad. 3. lib. 10.

dicativus aliquis, qui nil moueatur? Beſtia erit,& non homo, dũ hodie Deo meo beneficium præſtare recuſat; Et cur hodie magnã patiar iniuriam condonando, cum actus tam heroicus ſtatim præſtitus ſalutem meam mihi ſecurius addicat, quam viginti duo anni in religione transacti?

PARS SECUNDA.

XI. Hucuſque argumentatus ſum, nunc ad defendendum me accingo. Argumentum meum validum eſt, ſed objectio, quæ mihi opponitur multis videtur inſolubilis. Si inimico ignoſcã, à mundo traducar ut vilis animi homo. Nonne tibi prædixi Chriſte, quod nollem hoc mane prædicare, dum nullum fructũ ſperare potui? Me hercle Chriſtiani tui bello te afficiunt honore, illumina illos tuis doctrinis, pota eos tuo ſanguine, recrea illos delitiis cœleſtib⁹; Nam his acceptis, potius mundo tam mendaci, maligno, heteroclito credent quam tibi. Adorant te velut ſapientiã patris, & poſtea te rident, ac ſi tanto non polleres ingenio, ut eis oſtendere poſſes, quænã ſint actiones honoratæ, quænã vera nobilitas, quo medio vera conſeruetur gloria. Verũ enimvero, tu obiiciens, ſolutionem objecti auſculta. A quanto tempore æſtimas mundi de te dicta? tot annis uti ſcis, ita vixiſti, ut omniũ digitis notareris. Ab amicis conſanguineis, toties monitus, quid reſpondiſti? Dominus ſum domi meæ, nullius intereſt, quid agam, actuum meorum nulli rationem reddere teneor, in deſpectum omnium Ariſtarchorum, & Catonum, prout libet, vivere volo. Verum in hoc puncto quis te ſubjecit dictis aliorum? Siſte, qui tam expedite mundi juſſis obſequeris, dum pejus ſuadet. Forſitan ſemper cum pravis agis, & iis, qui nec Deum, nec homines timent, ideoque & hoc ignoras.

XII. De reliquo ſupponamus inimicum à te in gratiam receptum, meque id in publico decantare, non diffiteor, politici aſſerent, id ex meticuloſitate factum, econtra prudentiores id magnæ ſapientiæ tribuent. Dato ergo te hoc adniti, ut in omnibus placeas hominibus, quamvis te vindices, certum eſt, non omnes id approbaturos. *Vt ſis beatus, & te alicui ſtultum videri ſine*, optime dicebat quondam Seneca Socrati. Per vindictam tantum apud ſapientes famæ ludes, quantum non acquireres per actiones magis heroicas, quas unquam Carolus magnus patravit. Quid olim cenſuit Stoicus ille de magno Macedone, qui, neſcio ob quod verbulum, Caliſthenem trucidavit? *Hoc eſt Alexandri crimen æternum, quod nulla fœlicitas redimat; nam quoties quis dixerit occidit multa Perſarum millia, opponetur, ſed & Caliſthenem, ex iis, quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam ſcelus Caliſthenis.*

Epiſt. 71.

Lib. 6. natural. quæſt. c. 23.

Dicetur, nobilis ille inſignis fuit miles, illuſtris politicus, magnus œconomus, ſed & beſtia, quæ, quantumvis ſæpius rogata, & beneficiis devincta, nunquam ignovit. Quod ſi ergo æque dicteria incurras, ſive ignoſcas, ſive non ignoſcas, nonne ſatius eſt ſalvari, & habere à ſe probiores, quam cum perverſorum approbatione damnari? Nec hac vice legem mundi alleges; Nam ſi ex hac teneris, mendacium in cubili Principis tibi objectum, iuxta regulas nobilitatis ingenuæ alapâ non vindicare, ſed iniuriam tolerare, ſcire percuperem,

rem, cur, cum Deus ſit Princeps tuus, ex reverentia, quam eius debes præſentiæ, ab ulciſcentia tibi temperare non obligeris? An unqvam vidiſti aliquem, qui militem illum Romanum meticuloſitatis inſimularet capulo recondentem gladium, dum receptui caneretur, quem iam in hoſtem interimendum ſtrinxerat? Non revera, ſic enim exigit diſciplina militaris. Qvod ſi, ô Chriſtiane, lex tua eandem à te obedientiam exigat, quis ignoſcentiam tibi dedecori vertere poterit? Quod ſi mihi, qui pauper ſum religioſus, in publico iniuria quædam inferretur, an è ſenſu tuo honorem meum tuerer pugione, ſclopeto ad vindictam me parans?

XIII. Dices, quod non, cum id directe profeſſioni meæ repugnet. Verum audi parumper. Ad ignoſcentiam non obligor tanquam religioſus S. Ignatii, ſed velut Chriſtianus ex lege Chriſti; Cum ergo tu æque, ac ego ſis Chriſtianus, profecto ex tua profeſſione, non aliter tibi, quam mihi vindicta prohibetur. Quid dicitis, auditores? Reſpondete in forma. Nec revera capere queo, quomodo Princeps abſque ullo honoris diſpendio poſſit edicto ſuo ſancire, ut hodie nobiles veſtes gerant, quæ heri fuerunt famulorum, nec Deo fas ſit actionem quam præſcribit reddere honorificentiſſimã, quamvis ex ſe talis nõ foret. Nec quæſo vos mihi diſtinguatis, condonationem eſſe actũ honorificum Deo, non autem mundo, nam ſtatim inſtauro argumentum, & dico, veritatẽ eſſe unam tantum; Jam ſic; ſi Condonatio juxta veritatem, vel eſt honorifica, vel non? nequibitis negare, nam Deus, & veritas idem ſunt, ex quo conficitur opinionem mundi eſſe abſurdiſſimam, cum plane veritati contradicat. Non dubito, quin vindictæ appetentiores, actus, quos recenſebo, & ſimiles non vilitati, ſed magnanimitati animi ſim aſcripturi, & ſumẽ admiraturi tanquam culmina virtutũ heroicarũ. Henricus quartus Caſtellæ Rex ſubditum in gratiam admiſit, qui ſibi arcem Madritanam dum hoſtes à tergo inſequẽtes haberet, præcluſerat. Caſimirus in Germania Dux, dũ quadam die à Nobili quodã certam ſumẽ pecuniæ, quã luſu pilæ lucratus fuerat exigeret, ignominioſe alapâ donaretur, non ſolum eum non occidit, ſed tantam ſummam, quantam ſibi debebat, adjecit. Quomodo ergo, ſit infame illud imitari, quod ab iis, qui plane contrarium faciunt, non poteſt non laudari?

XIV. Verum ultimum audite inſultum noſtrorũ Metaphiſicorum nimis ſubtilẽ eorum damno. Credunt, quod ille ignoſcentiam fecerit Dei amore, de me tamen id non credetur, qui in reliquis omnibus tã male me habeo. Jam profecto id adfers, quod te revera infamat, profiteri nempe legem aliquã, & eam non obſervare, vocari Chriſtianum, nec tamen eſſe. Hoc eſt, replico, quod te infamat, & non obedire ei, cui teneris. Porro quid tua intereſt num hic, vel ille ſentiat ignoſcentiam ex alio fieri motivo, quam Dei, ſi revera ſolũ propter Deum ignoſcas? An forſan ab alio, quam à DEO præmium huius violentiæ expectes? Non revera. Quod ſi huc uſque fueris peſſimus, jam incipe eſſe bonus. Joannes Gualbertus, & alii plures, talibus propoſitis viam ſanctitatis ſtraverunt. Mei auditores,

ſicut ſentio, ita loquor. Nunquam iraſci Angelicum eſt, iraſci, & ſtatim placari humanum, nunquam placari. Diabolicum, ſi cauſa ſit vobis non ignoſcendi, Deus maiorem habet ad id vos obligandi. O Deus, tu pacem firma, quam ego procurare non potui. *Spiritum nobis tuæ charitatis infunde, ut quos pane ſatiaſti, tuâ facias pietate concordes* Amen.

CONCIO IV.

PRO DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſurijt, & accedens tentator dixit ei. Matth. 4.

Occaſio peccandi eſt Dœmonium dœmoniorum.

1. UTinam, utinam nunquam illuxiſſet illa hora, quâ factiones quæ Cœlo quoque ſe ingeſſerunt, Civitatemque pacis concertationibus profanarunt, & ſupernas legiones tam turpiter decimarunt, profectò Lucifer non migraſſet in Heſperum ex prodromo jucundæ diei in fecialẽ æternæ noctis, & Prodeo in Dœmonem, ex aſtro paradyſi in titionem inferni; Nos inſuper à tam diris bannitis, & proſcriptis exagitati non doleremus, nec defleremus noſtris navibus inſidiari Pyratas, itineribus inhiare graſſatores viarum, commerciis fures, condemnationibus Carnifices libertati vincula, agilitati pondera, guloſitati venena, fortitudini expugnatores. Degenti ſub terrâ inſidiantur ſerpentes, volanti per aera vultures, portanti faces venti, qui eas facillime extinguunt. Quies quæ tam difficulter obtinetur habet ſuos antagoniſtas. Iraſcibili adverſantur ſuaſores vindictæ, concupiſcibili ſolicit antes ad Laſciviam, humilitati patres ſuperbiæ, modeſtiæ magiſtri arrogantiæ.

Nos itaque vermiculi bellum gerimus cum ſerpente, qui primo ſibilo lethalem contagionem cœlo inſufflavit, ita ut ſubito inſtar fulguris tot milliones ſpirituum alias imortalium, gratiâ mortui in abyſſum præcipitati ſint. Nos pigmæi certamus cum gygante ad eo immenſo, ut brachiis ſtellas contingens, velut novus, & verus Typhœus tertiam partem earundem Deo ſuffuratus ſit, & non ſolum montes, ſed & mundos in aera evibrans, dum proprio lucro non poteſt diteſcere, aliorũ damnis ſeſe oblectat. Nobis ſpiritibus exiguis, qui quolibet flatu, nullo negotio conſumuntur, lucta intercedit, cum eo qui

qui appellatur *Spiritus procellarum*. Spiritus, qui assiduas in nostro mari tempestates concitans radices robustissimas nostrarum sylvarum proterit, undequaq; nubes condensat, ex quolibet climate fulmina, & grandines eiectat.

O Utinam ad minus essemus Hercules, sed quid proficeremus cum Dœmon sit Hydra, qui frustra ferro reciditur, & igne ustulatur. Utinam essemus Davides, sed quid efficeremus, cũ ipse non sit Goliath, qui fundâ prosternitur, nec gladio decapitatur? Utinam essemus Samsones, sed quomodo profligaremus cohortem Philistæorũ, quæ nec mandibulâ Asini occiditur, nec eversione totius, mundi sepelitur? Utinam essemus Danieles, sed quid foret, cum non sit Draco, qui ullo bolo suffocetur?

Juxta Jobum tam valenti præstat stomacho, ut durissimum, æs, & chalybem digerere possit. *Non est potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat.* His non obstantibus an crederetis (N N.) quod in hodierno Evangelio repererim illud, quod potissimũ omnium saluti opponit, & hoc quantumvis adeo astutus, & fortis sit? Dum vidi ea, quæ cum Christo egit, quam sagaciter tempus, locum, nobis tentandis adhibeat, animum applicui, ut ponderarem, quam multum possit occasio peccati, ad nos in peccata pertrahendos. Post hanc vero ponderationem tam validam eam reperi, ut eius robur præ omni alio formidandum sit, egoq;

Iob. 4.

eam horrendissimum Dœmonium dæmoniorum esse sentiam.

PARS PRIMA.

II. Quandoquidem hodiernum evangelium nos ad eremũ conduxerit, quæso vos paulisper eam intremus, sensumque eorum, qui voluntarie ab hominibus sequestrati, inter feras velut Angeli vixerunt, exquiramus. O habitationes, quæ se solis sufficiunt, ut omni animo terram incolendi nos exuant! Valles sunt tam profundæ ut infernum tangant montes tam imẽsi, ut Cœlos penetrent. O quales hiatus tophorum, O quales clivi declives, qui defluxus aquarum, qui horror silvarũ, qualis lacuum caligo, quales hiatus inferni! Quales hic video virores? Ubi vites, ubi oliveta, ubi poma, ubi malacitrica? Omnia hic sunt spinæ acutæ, hederæ inflexæ, Cicutæ venenosæ, urticæ asperæ, cypressus, palmæ, pinus, quercus, taxus buxus. Ubi cardueles, ubi philomelæ? Nullus hic auditur cantus alius, quam torrentum fluxus rapidi, furiæ turbinum, petrarum collisiones, Corvi crocitantes, Aquilæ clangentes, Cuculi cuculantes, Cyconiæ crepitantes, lupi ululantes, serpentes sibilantes. Ubi conclave, ubi habitatio, ubi flos, ubi fructus, ubi fons, ubi hortus? Profecto mei amantissimi Eremicolæ male accomodati estis.

III. Verum enimvero huc omnes in sanctum senatum adsitis, tu Hieronyme, qui in illo antro nudum pectus Lapidibus contudisti, tu

stillita

Stillita, qui columnæ innixus adeo te afflixisti, tu Macedoni, qui in illo sepulchro tot añis continuo moriebaris, tu Acepsima, qui in tuo carcere tot modis te tormentasti, tu Pior, qui solo felle te potasti, tu Onuphri, qui solâ inediâ vitam pavisti, tu Sabine qui non nisi panem biscoctum comedisti, tu Juliane, qui Orizo annos tradux isti, tu Eusebi, qui pondo ducenta quinquaginta chalybis gestasti, tu Baradate, qui in illâ fovea injuriis cœli expositus fuisti. Huc, huc, venite vos omnes Trichini, Gubii, Silentiarii, Critophagi, Loricati, hac vice à vobis mihi edicendum est, quis hostilis timor, in habitationes adeo incommodas vos egerit. Quid creditis (N N.) eos esse responsuros? Audiamus, & confundamur nos omnes, qui totâ die cum hostibus in tanto horrore ab iis habitis jocamur, & amicè colludimus. *Audiant curiosi* (sunt verba Chrysostomi) *qui pulchritudines considerant alienas, audiant, qui spectaculis insaniunt theatralibus, & dicunt; spectamus quidem, sed nihil movemur.* hom. 1. in psal. 54.

IV. Homines adeo mortificati, illustrati, fervidi, armati scuto fidei, galeâ spei, loricâ charitatis, ne conferendi ansam haberent cum occasionibus, eo se contulerunt, quo hæ pertingere nequeunt. Paulus Ægyptius eremicolarum dux, ut periculo Idololatriæ se subduceret, cui in patria expositus erat in eremum se contulit. Hieronymus eam elegit, ne nimiâ Romanorũ conversatione iisdem occasionibus involveretur, Arsenius ne delitiis aulæ in peccatum rueret, Pachomius, ne in bello pessum iret; & ita alii omnes ob similes causas ad eremũ confugerunt.

Sed quid? an non ergo hi eremicolæ Dœmones habuerunt pro scopo principali timoris? Profectò non; Dœmones siquidem tanquam spectra irriserunt, contra has aspides omnipotentẽ incantationem in parato habuerunt. *Sunt & nobis* (do verba Chrysostomi) *ipsum nomen Domini Iesu Christi, tum ipsius Crucis potentia.* Signaculo crucis quem libet Dœmonũ in nihilum redigerunt. hom. 8. in epist. ad Rom. In hoc solum fuerunt, ut procul occasiones haberent, contra hos Dœmones, qui crucem non metuunt fossas, ac aggeres profundæ humilitatis eiecerunt, vallis triplicatis timoris sancti se munierunt, modestæ spei aggeres erexerunt, diu, noctuque excubias egerunt. Nec in ipsa solitudine se omnino tutos, quo minus proderentur à seipsis, putarunt; edocti siquidem erant à S. Ambrosio, qualiter, *Respexit oculus, & sensum mentis evertit, audivit auris, & intentionem inflexit, inhalavit odor, & cogitationem impedivit, os libavit, & crimen reddidit, tactus contigit, & ignem adolevit, intravit mors per fenestras.* lib. de fuga sæculi. c. 1.

Eremicolæ ad quaslibet has sui corporis januas excubitores habuerunt, Oculi nulli aspectui permittunt transitum nisi prius, quis sit, & quo vadat edicat, silentium oris omnia verba non sacra cohibet ne erumpant, jejunia impediunt ne gulæ copiæ subsidiariæ submittantur, Cilicia concupiscentiæ ardores supprimunt, & ipsi Eremitæ potius in eremis, in quib⁹ Dœmones magis dominantur delitescere eligunt, quã in urbibus populosis unico die occasionibus exponi. Apprime imbiberunt monitum Tertulliani. *Inter vada, & freta velificato spiritu Dei fides navigat tuta*, si cauta, secura, si attonita. de Idolola. c. 24.

Vires

Vires suas in magnum Antonium exerat totus infernus, insubsidium postulet crudelissima animantia, ungues, cornua, dentes, venena, obsidiones, insultus, pestes, laqueos, patibula, Equuleos, & omnia denique mala, unicus homo par erit omnibus Dœmonibus, & cum iis in atrocissima pugna manus conserere poterit. Ita testatur de magno Antonio Athanasius. *Sensu, ac spiritu idem manens, quasi de hostibus luderet loquibatur, si virium aliquid haberetis, sufficeret unus ad prœlium.*

in ejus vita.

Veruntamen si ex hoc invicto heroe postulatis, cur per quindecim solum dies domum egregiam, quam Alexandriæ possidebat denuo incolere noluerit, statim audietis, id ex eo solum factum, ne cum occasionibus occurrentibus concertare deberet, quæ solæ id poterant, ut præ sudore algentem eum in fugam agerent.

V. Hic subintrans Hieronymus suadet ne fugam ejus impedias, cum Antonius non sit sanctior præcursore Christi, qui metuens ne in ipsa domo sanctissimorum parentum cum prava occasione sibi dimicandum esset, fugâ sibi consulvit. *Ioannes sanctam Matrem habuit, pontificisque filius, erat & tamen nec Matris affectu, nec, patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo vive eret castitatis.*

Epistola 9. ad Rusticũ.

Quis tam effrons sit, ut hunc sanctorum timorem minus consonum iudicet? Magnus Antonius longâ experientiâ doctus ab ipso humano genere, tradidit ab unicâ solâ occasione citius animam in perniciem trahi, quam ab omnibus Dœmonibus simul *Quantos Leones domuit una infirmitas delicata?* Hoc ipsum deplorat B. Macharius. Quot non reperimus in ecclesiasticis historiis substinuisse quadraginta, & quinquaginta annorum Dœmonum insultus, ac dein ad primum insultum occasionis haud prævisæ succubuisse? Hoc argumentum evidenter probat occasionem omnium argumentorum validissimum esse. Nunquam attigistis confinia Arsenoe; equidem enim vobis in memoriam venisset lapsus illius Eremitæ improvidi; hic enim quamvis veteranus Christianus, cum vel unicâ vice in malam incidisset occasionem, cum adolescentula peccando venerandam senectutem inhonorando tot coronas, palmas tantis militiis acquisitas unico perdidit casu.

Hom. 23.

VI. Adhuc in hodiernum usque diem præ horrore arenæ Ægypti, sudant, dum à discipulo magni Pachomi Christum abnegatum audiunt, è tum monasterio ad periculum occasionum delapsum. Et revera, quis nostrum sit, qui non sciat petras Palestinæ vel ex hoc præ frigore adhuc gelare, quod postquam tot annorum fervidas orationes, pœnitentiæ portenta humanas superantia vires nominatissimum Jacobum conspexerunt, viderint tandem die quadam eum qui totum infernum debellarat ab ipsa occasione devictum, honorem, pudicitiam, & vitam abstulisse ab ea è quâ paulo ante Dœmones eiecit.

Ex libro de vitis pp. & Metaphraste.

Quam clarè liquet cur orationi dominicæ, quam Deo quotidie supplices fundimus, hæc ultima periodus sit adjecta, *Et ne nos inducas in tentationem!*

vem! Inter peccatum, & occasionem peccati nil mediat. Non sine causâ dixit ille de prædestinato, quod *à facie malitiæ collectus est justus.* Nam Basilisci est genius, quod mox visus inficiat. Profectò nonnulli non absque ratione illud Ecclesiastici interrogatione interturbant: *Quis potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit?* Paucissimi sunt, qui cum male facere possunt, illud non faciunt. Me herclè militantes in bello spirituali non absque causa adeo exaggerarunt vim occasionum, ita ut hæc S. Cyprianus scripserit: *Impossibilis est liberatio flammis circumdari, nec ardere.* Addidit S. Bernardus; *Inter occasiones non peccare plus est, quam mortuum suscitare.*

Isai. c. 57.

DivusGregorius magnus agoniæ S. Sacerdotis sui ævi assistam me gratiosè invitat, & libens consentio. Porro video illum sacco palearum cilicio tectum incubantem, & sanctum senem aspersum cinere injacentem. Nil videt, nil loquitur, non se movet amplius; & en ejus ancilla, quinimo sancta soror, ut experimentum capiat, num spiritum efflaverit se ei acclinat. Attamen moribundus vivacissimus animam è labris iam fugientem revocans, verbis argutis vetulam à se reiecit dicens: *Recede à me mulier, igni culus vivit adhuc, paleam tolle.*

VII. Veruntamen non nemo dicet scrupulosorum hæc esse dicta, quibus occurro, non esse scrupulos, sed cautelas necessarias ei qui non vult perire. Occasiones, quæ nobis plus quam omnes Dœmones sunt nocivæ, etiam post mortem nobis formidandæ sunt. Audite vos, inquit S. Macharius, qui id per hyperbolem, & exaggerationes rhetoricas dictum putatis. Dum persecutio sævissima fureret contra Christianos, captus fuit quidam sanctissimus, & equuleo affixus, Dœmones Lictores omnibus viribus solicitarunt eum tot querent, sed nil aliud effecerunt, quam quod auctario pœnarum coronâ splendidiori caput eius cingerent, ossibus excarnificatis, carne laceratâ, mortuo quam vivo similior ad Carcerem remissus fuit, quædam sancta puella christianâ pietate mota ad eius famulatum admitti obtinuit.

Porro in quale scandalum pietas desiverit, libentius deplorarem quam narrarem. Nec aliquis à se mihi terrorem incuti credat, si in mentem mihi revocet vires, quibus contra nos Diabolus pollet; ego etenim eum censeo aquilam sine rostro, & unguibus, Leonem sine dentibus, & felle, militem sine armis, & nervis. Attamen addo, quacunque occasione eum reddi fortem. Duabus guttulis aquæ Lustralis totum eius furorem expugnare possum, verum, si occasio, cum eo ineat fœdus, exiguo tempore me prostertit.

VIII. Non ignoro, quod quidam Valentinus apud S. Augustinum Armeni apud Prateolum, Albanenses apud Sanderum reiectâ communi Theologorum doctrinâ, asserentium, Dœmonem esse causam remotam omnium nostrorum peccatorum, eo progressi sint, ut dixerint Dœmonem posse voluntatem nostram in omne propellere, & cogere malum. Veruntamen assertum hoc est hæreticum, à Marcio-

lib. 8. de. Angel. c. 19. Marcione olim prolatum, & ut tale à doctissimo Suarez censuratum.

Quod si vero supponamus, quod Dœmon nobis fascinum inducat, uti credo fieri posse, dico omnes Dœmones simul, uti visum est in pugnâ contra Magnum Antonium, tantum non posse, ut unum prosternant hominem, cum tamen sola occasio eum subiugare valeat. Et in hoc cardo rei versatur, *Iacob. cap. 1.* *Vnus quisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Nostrum pondus seipso in præcipitium fat perniciter ruit, nullo alio impellente. Præbeatur illi auaro insignis decipiendi occasio solum consodalem minus attentum, esto Dœmon id non impediat, nec avarum solicitet, sola occasio eum in Surtum quinque, vel centorum aureorum aget. Offerat sese illi aulico opportunitas consocio detrahendi, eumque officio exvendi, quamvis malignus spiritus lingum ejus non exerat, attamẽ fictiones insignes, media opportuna, suasiones efficaces reperiet. Adeat adolescens ille talem, vel talem locum, quem nominare nolo, esto Sathanas ad ejus sinum titiones ex inferno non deferat, attamen à solâ præsentiâ occasionis totus inflammabitur. Nunquam alicui Dœmoni bene affectus fui, attamen hodie ejus nequitiam minorem deprædicare quam sit, cogor. Veritas, quæ me tenacem mentis meæ, & propositionis reddit est hæc, quod occasio pessimo Dœmone nobis sit infensior.

L. 3. sententiarum Arbitrum hujus litis eligite magnum patrem Isidorum, & certus sum eum ad roborandam conclusionem suam, *Diabolus non est immissor, sed incentor potius vitiorum* adducturum, id quod diu ante de mystico Behemoth pronuntiavit Job, *Halitus ejus prunas ardere facit* *cap. 33.* Quam diu nulla sub carbonibus gliscit scintilla, quantumvis omnes sufflent Dœmones, nihilominus tamen ignem non concipient, quousque occasio ignem excitet. Utinam nos id ita intelligeremus, prout intellexit S. Joannes Chrysostomus, revera diceremus cum eo, *Multi absque Diabolo pereunt; profecto non omnia ipse efficit, sed multa etiam fiunt à nostra sola ignavia.* *hom. 54. in acta* Utinam essemus cautiores, profecto parius peccaremus. *Timidi mater non flet*, dicebat nonnemo quondam. *Paulus Æmilius in virta Trasibul.* Sacrosancta mater Ecclesia deflet temeritatem nimiam quorundam Christianorum, qui dum salutem suam proprio motu in brevia, & scopulos propellunt, nihilominus naufragium suum in ventos derivant. O Summam negligentiam, & ignorantiam nostram! Dœmones nobis in tanto horrore, cum sint, attamen occasiones quolibet Dœmone pestilentiores, sunt quotidie quin & in ipsa ecclesia solicitè accersimus. Plenis buccis cantet Basilius: *Bellum voluntarie sibi creare, summæ dementiæ est*; *de constitut. monasti c. 4.* Nos interim necdum doctrinam adeo clarum capimus, unde meum est ipsos Dœmones adducere, qui doctrinam hanc, quam huc usque exemplis, & SS. Patrum dictis probavi fateantur.

IX. Bonus Martinianus jam quadraginta annis in palestinæ eremis solitariam transegerat vitam, ut refert Metaphrastes, plures insultus hostiles fœliciter eliserat, tandem vice quadam videt adversarium confusum, &

victum campo cedentem, & in furias actum, hæc secum tacitè mussitantem, necdum omnis sol occidit, fortiorem mittam, qui te profligat. Verum ô Crudelis bestia, quis te nocentior esse possit? Profectò sola occasio. Virtutes supernaturales Martiniani quadam vice in foro Cæsareæ ab omnibus publice deprædicabantur, quod dum procax Zœ audiret, videretque eum à multis angelum incarnatum credi, resolvit omnibus manifestare eum hominem fragilem parem alijs esse; Vestibus itaque byssinis in modum sarcinæ plicatis, rusticam indumentis referens, sarcinamque capite gestans, cœlo pluvio, sole occidente cavernam eremitæ adijt, efflictimque angulo minimo se admitti rogavit. Martinianus uno cubili ei concesso, ad aliud secessit, totâque nocte precibus se muniens cum Davide Deum oravit, *Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei.*

Summo diluculo humanissime vale sumpto illa discessit, quæ sola vicinitate bellum ei moverat. Discedentem, & jam cauvernâ egressam eremicola ut videt amictu pretioso, & lascivo indutam, in ejus concupiscentiam exarit, & Dœmon in mentem ei redijt â quo hac vice alio genere pugnæ lacessitus erat. Cellam itaque egreditur exploraturus num alius quisquam ibi lateret: Deus autem, qui singulariter assistit iis, qui occasiones pravas ultro non adscifcunt, ei vivam cognitionem ruinæ imminentis instillavit. Oculos in cœlum attollit, & hæc sibi à Deo dici existimat. Ergone tu, qui tot abstinentiis, & rigoribus me coemisti instantaneâ voluptate me Ludas? Terram intuetur, vidensque herbas rore madefactas, stillas illas Lachrymari interpretatur, quibus iam lapsum anticipate deploret, omnisque pilus cilicij in testimonium conscientiæ convertitur. Obtutum unicum defigit in suum spelæum, & hoc ad cor sic fatur. Ergone pro uno capillitio, tu perdas meritum tot annorum, tot orationum, tot ieiuniorum? Interne itaque compunctus, in nimbos Lachrymarum sese profudit, vidensque oppugnatorem adeo pertinacem, inusitatis armis nil dicens ad certamen se parat. Sarmenta igitur plura conquirens ea in unum congessit rogum, in eo que se constituens ignem succendit. Ad conspectum hujus busti, peccatrix Zoe mente revoluere cœpit pœnas atrociores, quæ sibi post hanc debebantur vitam; Itaque à gratiâ capta, quam suffurari tentave erat, Hierosolymam hoc delictum expiatura se contulit.

Post sex elapsos menses, & ustulatione curatâ Martinianus cavernam deservit, quem abeuntem joculator Dœmon inclamavit eum irridendo se unâ vice vicisse, & Martinianum prostratum. Hic econtra patrem mendaciorum falsitatis arguit, & cum eo ego dico, crasse mentiris, falsitatum impostor. Non tibi, sed occasioni hæc victoria tribuenda. Verum quidem est, quod meus heros humiliatus fugiat, sed tamen non fugit te, apprime sciens, quod quocunque eum insequi possis. Occasionem maxime sibi adversantem timet, & ideo à quodam piscatore, in rupem mari eminentem se

tem ſe tranſuehi rogat. Cumque ibi occaſiones exulent, ventorum furias, machinas Dœmonum in vili habet. Et quis quæſo mortalium in hac vitâ ſe in tuto poſitum putet, dum occaſiones ad rupes maris altiſſimas adnavigant, vitatæ advolant, in timore habitæ nocent? Non procul à rupe navis hominibus onuſta ſubmergitur, unicâ ſolum nubili puellâ ſalvâ, quæ dum rupem arctê complectitur, ab Eremita porrigi ſibi manum, ut ita evadat, rogat. Ex chriſtianâ charitate Martinianus votis puellæ annuit, ſed ſciens ſtipulam non convenire cum igne, illico ei de annonâ providit, eamque certiorem reddens, quod tempore ſolito à piſcatoribus illuc adnavigantibus in tutum deportari poſſet illam deſervit, ſignoque crucis munitum in mare ſe præcipitem dedit, & quia talis fuga non erat meticuloſa, ſed victorioſa, Deus duos Delphinos ei ſubmiſit, qui iuxta pia eius vota, illum ſalvum litteri reddiderunt.

X. Martinianus in terra poſitus, ut occaſionibus ſeſe eximeret, monito ſalvatoris, *Cum perſequuti vos fuerint in unâ Civitate fugite in aliam* inſiſtens, in continuâ fuga, diu, noctuque ſibi prædicans, *Martiniane fuge, Martiniane fuge*, ſpatiò duorum annorum centum ſexaginta quatuor civitates peragravit. Quid dicemus ad hæc? (NN) exclamat Cyprianus; *Ante nos iſta tractantur, & nullis terroribus coercemur? Quid faceremus, ſi opinionibus tantummodo geſtas audiremus hiſtorias?* Sed adverto à vobis exiſtimari hos eſſe ſcrupulos ſanctorum, & non prudentes cautelas. Verum experientia quotidiana docet ſanctos non eſſe deceptos. Si damna à Dœmonibus illata conſideremus multo minora erunt damnis ab occaſionibus irrogatis. De ſine mirari zeloſe Salviane, quod mortales eadem ſemper peccata in confeſſioibus repetant. *Novum monſtri genus eadem iugiter ſi homines faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt.* Ego qui cauſam huiſce rei penitus perſpectam habeo id eſſe monſtruoſum non dico. Quandoquidem eædem occaſiones permaneant, homines in ijsdem peccatis hærent, & iuxta alternationem occaſionum peccata mutantur, variatis, vel invariatis locis, ſocietatibus, ætate.

Lib de ſingular. Clericorum.

Lib. de recidiva.

Qualia ſunt tua peccara ô Mercator? Nulla alia, quam ea, in quæ occaſio te propellit, ementes decipere, vendentes defraudare, contrahentes circumvenire. Qualia tua o Advocate? Non alia, quam quoram occaſionem habes, lites protrahere, ſchedulas carô vendere, ſcriptum neceſſarium celare. Quales tuæ noxæ o adoleſcens? Non aliæ, quam quæ occaſionibus reſpondent, in illa eccleſia, in illo cubili, in illo loco abdito, in tali libro, converſando cum tali ſocio, in chorea, in illa taberna. Quod ſi teipſum penitiùs introſpicias, reperies in numerum pravorum te non eſſe adlectum ab alio, quam ab occaſionibus, in quas te dediſti. Profectò non omnia edicere præſtat. Fœminæ ſunt devotæ, ſed quia occaſionem habent vanitatis, ſunt vaniſſimæ, aulici ſunt pacati, ſed quia occaſionem habent rixarum, ſunt rixoſiſſimi, pauperes ſunt patientes, ſed quia occaſionem habent impatientiæ, ſunt impatientiſſimi.

XI. O civitas o civitas (NN) *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis, sed nec mundaberis, donec quiescere faciam indignationem meam in te.* *Ezech. 24.* Deus continuo immittit pestes, bella, famem, & tamen in eisdem peccatis hæres. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea rubigo ejus.* Scitis causam? Eam reddit Chaldæus Paraphrastes, *Quia occasionibus plena est.* *ibid.* Quasi non sufficerent occasiones, quas domi habemus nobis prosternendis, quotidie nova adhibemus media, novas occasiones in ecclesia, foro, sub missa, sub Concione reperiendi. Quinimo ubi sancti, qui meliora habuerunt proposita, quam nos, quique de divinâ gratia quasi certi erant, totis quadraginta annis unicam solam occasionem, quam adventuram videbant, extimescebant, nec in pericula nisi coacti se dabant; nos econtra tam exiguâ gratiâ muniti, tam temere omni momento, qualibet horâ, ultro nos periculis ingerimus. Nisi aperiamus oculos de salute nostrâ actum est.

Pars secunda.

XII. Verum dicetis (NN) vos à me in desperationem actos dum occasiones vobis tam formidandas descripsi, utinam ita vos terruissem, ut deinceps cautiores viveretis. Legite parumper S. Cyprianum de singularitate clericorum, Hieronymum de vitando suspecto contubernio, Ambrosium de fuga sæculi, Macharium homiliâ 27, Cæsarium Arelatensem epistolâ ad quosdam Germanos, & videbitis mea dicta non esse hyperbolica, sed verissima. Quid timetis Dæmones? Illi ut bene dicebat Abbas Isidorus apud Palladium, sunt quasi danes Lanionum, quos frustra baculo abigis, quam diu carnes in Macello væneunt, fuge occasiones, & thrasonicas jactationes miserorum Dæmonum non cura. Cur creditis in religione tot salvari? Defectu occasionum. Idcirco beata Magdalena de Pazzi eximiæ sanctitatis virgo non raro muros claustri deosculabatur, & complectebatur exclamans, O muri, o muri, & *In ejus vita.* à quot periculis me defenditis!

XIII. Ego potius anxietati rationabili sanctorum, quam cujuscunque alterius securitati infundatæ fido. Quicquid sit, *omnis homo denique est homo.* Seraphicus Franciscus Seraphim *Ex ejus vita.* ille humanatus, quadam vice interrogatus, quid acturus foret in prava occasione constitutus, perplexus hæsit, socijsque id circo offensis, id quod res est edixit: ad quod obligor in illo casu non nescio, sed quid forem facturus, solus novit Deus. Ita loquuntur sancti, qui vim occasionum norunt. Inambulamus vias saxosas, difficiles nemine nos urgente, dumque præcipitamur, querimur nos ab alio propulsos. Quantumvis nullus Dæmonum te attingat, ipsamet via te præcipitat. *Nec ire Labor est ipsa seducit via.* *Seneca Trag. I. act. 3.* Tu adolescens ingeris te ultro occasioni, & dein cruce te signas. Agis id, quod olim Cimbri, seu Dani fecerunt. Hi Italiam penetrare voluerunt per viam Tridentinam, cumque venissent, ut refert Florus, ad fluvium Athisin, dum nec *Lib. 3.* pons, nec naves ad manum essent, flu- *Cap. 3.* vium intrarunt, fluxum scutis reprimere conantes, sed undarum furiis obruti temeri-

temeritatem morte luerunt. Occasionibus te inseras, sique illæsus redieris, miraculum id puta, nec enim quis unquam picem tetigit immaculatus.

Isidorus Pelusiota exsibilabat zoilam quendam iactantem se integritatem carnis velle servare, cum interim periculis eam amittendi se obyceret. Imbiberat is genium Cornelii Fusci, *lib. 2. hist:* *Qui*, sunt verba Taciti, *non tam præmijs periculorum, quam ipsis periculis lætus pro certis, & olim partis, nova, ambigua, ancipitia malebat.*

XIV. Et ego te irrideo, dum tuis affectibus indulgens Dœmonem inculas, quod laqueos, & retia tibi struat, revera ad præcibitandum hominem tam socordem tantum non exigitur. Carens periculis ea ultro quæris, & tamen non tibi, sed Dœmoni culpam appingi vis. Audi Pelusiotam. *Lib. 2 epist: 210.* *Si quiescentem feram excitas, quis eam sese agitantem, ac furentem cicurabit?* Castum te præsumis, cum tamen illam comœdiam lascivam, choreas inhonestas, conversationes lubricas frequentes. *de singul: cleric r.* Dico tibi cum S. Cypriano, *Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati se salvare sperat.* Et nisi velis à Chrysostomo perstringi, ne dicas te inter occasiones illæsum consistere. *hom 1. in psal. 50.* *David*, inquit ille, *talis, ac tantus læsus est, & tu te putas non posse lædi?*

Si salvari velis, imitare Pompeum. Pyratæ pluribus annis mare infestum habuerant, Romanis frustra eos arcentibus; Mari siquidem expulsi, instar Amphibiorum (sunt animalia, quæ partim mari, partim terrâ vivunt, non procul ab eo sese communierunt, levi negotio mare denuo repetentes. Magnus hic Dux radicitus *Florus lib. 3* eos delere decrevit, & inter fauces Ciliciæ adeo arcte eos conclusit, ut nec rimula evadendi pateret, unde videntes omnem spem præclusam arma posuerunt, manuumque complosione victori applaudentes, vitâ merverunt donari; ne tamen mare unquam repeterent, eos remotissime ad centum usque milliaria à mari deportari curavit. Perspectum siquidem habebat ad conspectum maris, & navigantium, eos in antiquam silvam rediturcs fuisse.

XV. Hanc doctrinam vos bene capite, qui propriâ experientiâ docti nunquam illam intratis domum, nunquam illi societati, familiaritati vos datis, quin ad despectum omnium bonorum propositorum in mille miserias ruatis. Quid? An post hac cautiores esse non vultis? Ego ex parte Dei vobis dico neminem crediturum, quod salvandi sitis. Trochilus discipulus Platonis quadam vice nimio terrore concussus à furentis maris fluctibus, ne unquam appetitu moveretur ad mare remeandi, fenestram, quæ Joniam respiciebat, occludi fecit. Idem tibi faciendum. Inter præcipitia non ruit, nisi qui in cautos gressus figit. Sumus funambulones inquit Tertullian⁹, unde *Lib. de pudicit:* nirté pedes locemus, & manus scité moderemur, nil nisi Satalem lapsum expectare possumus. Credamus antiquo Comico dicenti, *Miserum est nescire sine periculis vivere.* Misere desipit, qui semper gressus figere vult in extremâ orâ præcipitiorum. Mundus iuxta *orati de fugienda fornicat:* Nyssenum est fluvius rapidus, beati quantumvis longe ab eo remoti, ita

ut vix

ut vix eius cursum perciperent, nihilominus metuebant illius fluctibus truculentis rapi. Quomodo ergo nos, qui ad ripam eius hæremus, in utramque aurem dormimus? *In sicco quoque parum fortiter stamus, nisi à lubrico quantum possumus recedamus.* Quis ergo hoc non velit? Hac veritate eximiâ imbuti, domum redite, nec unquam peccata vitabitis, nisi occasiones procul fugeritis. *Senec. epist. 116.*

CONCIO V.

PRO DIE LUNAE DOMINICÆ PRIMO DE JUDICIO UNIVERSALI.

Cum venerit filius hominis in majestate sua. Matth. 25.

Ephemeris diei domini.

I. INficiari nequibitis peccatores, quin dies illos totaliter vobis vendicetis, illique vestri sint, quos tam male collocatis, quorumque partem nullam Deo datis, sed eos oppignoratis crapulis, venditis lasciviis, donatis risibus, otio, quod nil vobis solvit, mundo, qui optimis vos spoliat, Dæmoni, qui æternis tenebris vos munerat. Vobis hodie Christus significat post vestros dies, diem secuturum suum: *Diem turbinis*, ut omni vos exuat pace, *Diem caliginis*, ut omnibus tenebris vos involuat, *Diem amarum*, ut omni voluptate spoliet, *Diem crudelem*, ut sensibus privet. *Diem* quidem *Tenebrarum*, sed quæ omnia in lucem prodet, *Diem* quidem *nubis*, sed quæ nihil involui patitur. Vobis, qui tam altê dormitis *Diem tubæ, & clangoris*, vobis, qui tam voluptuosê vivitis *Diem miseriæ, & calamitatis.*

Non adeo insanio, ut cum illis credam supremum diem adventurum Anno 1669, sunt enim delusi quibusdam obscurissimis vresibus, & clausulis Sybillarum. Nec erro cum ijs, qui vel eum fingunt adfuturum A. 1697 aut anno 2000 post Christum natum. Nec assentior iis, qui illum differunt usque ad annum Platonicum, qui iuxta Albateginum numerat annos 23760. Secundum Ptolomæum 36000, iuxta Regem Alphonsum 49000; Cum enim Christus dixerit *De die autem illa nemo scit*, irrideo omnes, qui volunt eum prædicere. Fuerunt insuper tempore Augustini nō nulli, qui annū quadringentesimum, alii qui quingentissimum, alii qui millesimum, à partu virgineo *Ex Acosta* *Ex Clavio in sphærâ*

gineo, ultimum mundi assignarunt. Quinimo sæculo præterito, 1532 aliqui eum adventurum fabulabantur, nec multo ante plures annos Græci Schismatici, dum festum annuntiatæ virginis incidebat in diem Paschæ illum præstolabantur.

Nil hic dico de barbaris Mexicanis, qui quodam vesperi terminante certum numerum apud eos annorum omnia domi consumunt, diffringunt, Vulcano tradunt, ac si orbis insequenti die interiturus esset. Omnia hæc sunt deliramenta, cum scriptum sit; *Matt. 24.* *Prædicabitur hoc evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Veruntamen si intuear mores nostri ævi, videntur hi omnes cum Joele ad Deum clamare: *C. 3.* *Mitte falces, quoniam maturavit messis, venite, & descendite, quia plenum est torcular.* Nos quidem id non vellemus, attamen Chrysostomus ex ipso cœlo clamat: *hom. 33. in Ioan.* *Non longe à fine absumus, hoc bella hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta charitas significat.* Sit ut sit, hæc dies adeo formidanda, quantumvis tardet, erit tamen cum veniet. *Isa. 14.* *Dominus enim Deus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* Contentate vos, si videatis adumbratam in hac mea tragica ephemeri auroram, meridiem, vesperum illius diei. Talia vobis proponam ut non amplius admiraturi sitis eam ab eo, qui solus illam cognoscit vocari *Diem magnam, Diem angustiæ*, Imo antonomastice *Diem. Multi dicent mihi in illa die.* *Matth. 7.* *Potens est depositum meum servare in illum Diem.* *2. Thim. 4.* *Quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* Similiter ego eam hodie simpliciter voco Diem. Væ vobis, voci feratur Emissenus, si vecordes vivatis; *neque enim exiguum peccati supplicium est, & metum, & memoriam extremi perdidisse juditij.* *hom: de bono latrone.* Salutem suam non curat, qui id negligit. Ita clare hoc asservit Joannes Climacus, ut meo commento seu glos â non egeat. *Sicut impossibile est, ut qui esurit non recordetur panis; Ita fieri non potest, ut qui salvari cupit, exitus sui, extremique Iudicii obliviscatur.* *De discreti gradu. 26.*

Pars prima.

II. Quam non sunt illustres, & iucundi ortus nostrorum dierum! Tenebræ ad primum nuntium lucis inimicæ consternatæ expallescunt, paulatimque die elucescente fœditatibus detectis magistrali rubore confunduntur. Horizon orientis primo totaliter inargentatur, postea inauratur, soleque ipso prodeunte ignescit, & fit rogus defunctæ noctis, ex quo velut novus Phœnix dies renascitur. Ros ipse in suspicionem nos trahit, quasi prata nobiscum plangendo lucem aspiciant, vel ab aurora matre lac sugant in illis stillis roris. Extra dubium est toties nostro sensu mundum renasci, quoties sol super horizontem oritur. Orto sole pisces in aquis circumnatant vivaciores plus quam ante, in silvis cantillant aves modulatiores quam ante, plantulæ Zephyris tactæ videntur exilire, rivuli inter saxa muti erumpere in voces, conchæ in mari, rosæ in hortulis se continere nequeunt, quinimo omnia alia suam venustatem produnt, natalemque diei festive celebrant.

At enimvero, diei domini quam non erunt funesta principia, quæ to-

tum mundum in ruinam dabunt. Faxit Deus o mei ocelli, ne illam auroram totam rubentem ex mari ſanguinis ab Antichriſto ſparſi conſpicere detur; ſi quidem in illa die, nullos alios reperio ventos, quam gemitus univerſi, nullum alium rorem, quam lachrymas totius
Cap. 7. generis humani. Cygni Cœli clariores, dum ſolum ortum illius diei conſideratunt, ſolis lamentis illum ſalutarunt. Exclamat Job in fimeto; *Quis*
Pſal. 29. *mihi tribuat, ut in inferno protegas me donec pertranſeat furor tuus?* David ex throno *Defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus.* Iſaias ex Jordano; *Corrui*
Iſa. 20. *cum audirem, conturbatus ſum cum viderem, emarcuit cor meum.* Præ metu video eccleſiæ filiis probiſſimis ſanguinem congelaſſe, eloquentioribus verba defeciſſe. Quod ſi nonnulli in verba prorumpant, vel dicunt cum Auguſtino:
Medit. c. 39. *Væ mihi miſero! de miſſo capite coram te ſtabo trepidus, & confuſus*, vel cum Chryſo-
hom. 27. in Matthæum. ſtomo: *Væ mihi de die illo terribili.* Vel cum Arthemio: *In Veritate timeo, & iſte*
Ex Rufino, & alijs. *timor, qui nunc mecum eſt, ſemper in me fuit.* Vel cum ſapientiſſimo Simone ſalonio *Hic revera meus malus eſt dies.*
Fer. 16. in Canti. ſuarez in Vita. Aut tandem cum mellifluo Bernardo: *Contremiſco ab ira potentis, à fragore mentis mundi, à ventre inferi, & rugientibus præparatis ad eſcam.*

III. Veruntamen ſinamus hos choros Angelicos merito conſternatos, horrores auroræ tam terribilis vocibus lachrymoſis ad vivum effingere, & augere, vos interim mecũ oculos in illum ignem, non fictum, ſed verum prodromum ſolis juſtitiæ conijcite. Ergone aurora illius diei tales habeat
Pſal. 96. radios? *Ignis ante ipſum præcedet.* Quinimo alis fidei adeo alte evolemus, ut diluvium illud flammarum, quod melius terram emundabit, quam illud aquarum tempore Noe, ſecurê videre poſſimus; nam forſitan ad conſpectum illius cum uxore Loth in ſtatuas ſalis migrabimus, pluribus inſipiditatem condituri. Et quomodo ad reflectionem tanti ignis tepores veſtri non incaleſcunt? Videte veſtrum idolum vecordes mortales. Videte mundũ ob quem Deum, & cœlum perdidiſtis. Videte quomodo theſaurus veſtrarum opum, magiſter veſtrorum dogmatum, dominus veſtrorum affectuum in maximâ vos neceſſitate deſerat. Non amplius mundus numerat domos, plantis non ornatur herbis non veſtitur, quibus nativas deformitates tegit, ejus flumina tranſierunt in ignes, veſtroſque pulveres ſuis commiſcendo demonſtrat, vos architectos fuiſſe ignaros, qui cineri omnia ſuperſtruxerunt.

Vos Xerxes, Alexandri, Cæſares, qui monarchias tot populorũ excidio ſtabiliviſtis, palmas tanto ſanguine irrigaſtis, tot necibus nomen perennaſtis, tot bellis iniuſtis trophæa extuliſtis, vos inquã nunc mihi monſtrate terminos regnorum adauctos, trophæa, ſtatuas, arcus triumphales, Coloſſos, veſtris triumphis erectos. Quid *Attrita eſt ci-* Iſa. 24.
vitas vanitatis, clauſa eſt omnis domus. O Voluptuoſi quonam abjerunt loca veſtrarũ delitiarũ? O docti, ubi nã ſunt fomenta veſtræ ſuperbiæ? O mercatores, ubi fora veſtrarum negotiationũ? Nidus veſtræ ſpei alatæ deſtructus eſt, volet nunc ſi poſſit, quod ſi non poſſit; hom. 2. in
Flame pereat, & cedente nido prorſus inte- epiſt. ad coloſſ.
reat, inquit Chryſoſtomus.

Quo-

Quomodo ergo ego, qui ſum immortalis mea illi fidam, qui aliquando in favillas eſt redigendus? Optime concludit S. Petrus, *Cum hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus?* Si tibi adhæream, qui morituus es, exiguo feror deſiderio ſemper vivendi, ſique tuis principiis motus ſim, profecto mereor tuâ interitione deſinere. O adoleſcentes nulla vobis eſt deinceps ſperanda hæreditas, nulla vobis ſenes expectanda poſteritas, nulla vobis puellæ deinceps ſpecula, choreæ, mundus muliebris, amaſij, nulli principes, aulici, quibus adulemini, nulla patrimonia prodigi, quæ diſſipetis, nulli clientes Advocati, quos expiletis, nullæ urbes milites, quas ruinâ, & ferro vaſtetis. *Reges terræ*, inquit Joannes, *& principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium.* Vos, qui in mundo adeo fuiſtis ſancti, eius ruina obruemini.

Epiſt. 2. Cap. 3.

Apoc. 6.

IV. Nunc porro evigiat Deus ad ortũ ſui diei qui antea dormi re videbatur, dum connivebat impiis dolis illius politici, iniuſtis contractibus auari, brutalibus adulteri. Nunc libros rationum exigit, omnibusque perſolvere, quod debetur cupit. Terra, quæ hucusque aluit tot iniquos, conteritur, & cinere cooperta pœnitet. Cœlum ejus inſiſtit veſtigiis, humil[i]que culpam cilicio, & velamine oculorũ diluit, quod conſpiciens Ioel flens exclamavit: *Sol, & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplenderem ſuum.* Sed qualis hic eſt futurus dies in cujus aurora nox prodit tam horrenda, ut tenebræ ipſo præſente ſole duplicentur? Ego in hac aurora nullum expecto gallicinium, nam ejus defectum Archangelus tubam inflans ſupplet. Ad hujus inſonitũ omnia corpora, quæ in pulvere obdormierunt reſurgunt. Stupor omnium aperiet oculos. Id dudum prædixit Iſaias; *Vnusquisque ad proximum ſuum ſtupebit.* Ergone hic ſit mundus ille, qui antea tot floribus, fructibus, gemmis, auro, urbibus, caſtellis fœcundus, dives, illuſtris fuit? Quo evanuerunt tot opera præluſtria artis, tot inſignia portenta naturæ? Hic præter fluxit rivulus, ibi virebat pratum, illum colliculum exornarunt villæ, illa vallis fuit nemus, hic ſaltabant Cervi, ibi capreæ, hic hinniebat equus, ibi cantillabat avis, verbo, omnia cum ſint cinis, induerunt eundem colorem. Animalia prævenerunt nos, & Dœmones nobis ſceleratiores, dum ad hoc tribunal ſunt citati, ſuis deſperationibus, & inconditis clamoribus nos terrefaciunt. Iam omnes æquales ſitis, qui antea tam diſparate vixiſtis, hic nulla eſt corona, nulla purpura quæ ſubditum à principe diſtinguat, nulla mitra, nullũ pedum diſcernens pontificem à laicis. Nunc ô Iudices caretis togâ, & virga, rixoſi ſclopeto, & pugione, luxurioſi nucibus odoratis, pigmentis, aleis, & chartis, Moriones ſatyris, & nugis. Deus vos abſque indumentis citavit ne oculos velent, ſine nummis, qui eius animum corrumpant, ſine ſcutis qui ab eius ſagittis defendant. *Dedit mare mortuos, qui in ipſo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, & vidi magnos, & puſillos ſtantes.* Conſpexi omnes nudos, deformatos, & confuſos.

Ioel. 3

Iſa. 2.

Apoc. 20.

V. Agedum omnes mortales adeste hũc, & sistite vos in valle Iosaphat, nam in hac agetur scena vestræ funestæ tragœdiæ, *Populi, populi in valle concisionis, quia juxta est dies Domini.* Iam sol justitiæ exoritur, jam elucescit, & quilibet omnia occulta videre potest. Tu, qui in illa aula, ut ad dignitates subires, & solus suspicereris illum & illum per imposturas & calumnias inpedivisti, & perversâ ratione politiæ in ruinam dedisti; en iam omnes adsunt conspecturi sententiam tuarum injustitiarum, quibus illum absque causâ officio privasti, alterum crudelissime relegasti in exilium, hunc in teterrimum carcerẽ detrusisti, illum infami appendisti ligno. Tu, qui ut opes cumulares animam perdidisti hunc velatis emungendo usuris, alterum expilando manifestis rapinis; ecce omnes hi adsunt, adest puella, cuius retinuisti dotem, pupillus cuius te hæredẽ finxisti, ille opifex, cujus mercedem defraudasti, ille villicus cujus sanguinẽ litigando exsuxisti. Tu, qui ut tuis libidinosis affectibus gratificareris, tanta damna, tantas infamias, quæ ex tuis spurcitijs pluribus obvenerunt nauci duxisti, en ad latus habes maritum, cujus uxorem rapuisti, Juvenem cujus matrem inhonorasti, puellam, quæ tui causa questum corporis omnibus fecit, adolescentulam, quam tam diu solicitasti. Adveniat iudex, & coram iudice superno compareat, videbit quod secum trahet quemlibet reum cui jus dixit, qui eum accusabunt. Id dicit Chrysostomus. *Opus non erit accusantibus cum Crucem viderint plangent, quia de morte ipsius nihil profecerunt.* Christus similiter id testatur. *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud patrem, est qui accusat vos Moyses in quo speratis.* Sufficit, quod Christus pro tribunali sedeat nam de reliquo, illos accusatores tecum trahis, quibus antea maxime confidisti.

Ioel. 3. — *hom. 7. in Matth.* — *Ioan. 5.*

Me accusabunt S. Ignatius meus legislator ad cuius normam vivere debui, ille confessarius, qui tot monitiones sanctas mihi ingessit, ille socius, qui tot bonis exemplis præluxit, ille zelosus prælatus, cuius correptiones despexi, ille feruidus prædicator, cuius conciones irrisi. *Vlulate, & clamate, quoniam iudicium venit ad terram.* Nunc adest tempus, quo præmia & supplicia sunt decernenda. Nunc exorere sol justitiæ. *Exurge* dico cum Tertulliano *veritas, & quasi de patientia erumpe.* Et quamvis meæ cogitationes obfuscentur, dum conspicio te nubi insidentem, nihilominus iniuste quondã oppressi, & vexati, quibus iustitia non patebat, hodie repetitis vocibus eam exorant; dumque vident te oriri, miseri pupilli, viduæ, exclamant, Ita ut ipsi oppressores, quibus constat quam crudeliter eos tractarint, effugere vellent si possent.

Iere. 48. — *de cultu virgin. c.*

VI. Te conspiciunt Herodes, Caiphas, Pilatus & nunc capiunt quod dudum ante, ut eorum iniustitiam averteres dixisti: *Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli.* Peierarent de te, nisi crux, vulnera, omne dubium eximerent. Ex facie totus es mutatus, nam ut dicit Ecclesiasticus, *Est tempus retributionis in conversione faciei.* Ex reo in iudicem, & agniculo in Leonem, ex patre misericordiarum in DEUM vindictæ migrasti.

Matt. 24 — *C. 18.*

migrasti. Video matrem tuam tibi assidentem, sed quantum luctum, dolorem præ se fert ob scelera inemendabilia fictorum sibi devotorum, qui dum perversissimam, & pessimam ducendo vitam, unicâ exclamatione, *Domina*, putarunt salvari, uno *nescio vos* repelluntur. Sepulta quidem fuit in valle Iosaphat, sed non ut perversis spem stultam faceret, verum ut iustorum horrores temperaret.

Sed quid agam ego miserabilis, dum video ipsas tremere columnas, quæ portant orbem, Agnetes, Agathas tã crudelia perpessas, Hilariones, Antonios tot meritis opimos? Quid faciam, dum video consternatum Augustinum ex eo, quod eius libri confessionum lustrandi, Hieronymum quia eius studia examinanda, Gregorium, quia de Pontificatu, Ludovicum, quia de regno administrato ratio reddenda? Audite Gregorium, & Bernardum. *Quid faciat virga deserti, ubi concutitur cedrus paradisi, Aut quid in Babilone tutum, si Ierusalem manet scrutinium?*

in moralibus. Ser. 55. in Cantica.

VII. Sed quid dicetis de meridie, cum eius aurora adeo sit horrenda? O quam munitissimas umbras sol ille dispergit, qui hodie omnium capita suis ardoribus illustrat! Hic revera solus meretur nomen diei, qui nihil non illustrat, sed potius abditissima arcana Dei, & occultissima scelera hominum in apertum prodit. Hic est modus Domine, quo *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Domina illa arbitrabatur lapsum suum à nullo præter te sciendum, ast modo tu eum ponis sub oculos mariti, prolium, fratris, & totius mundi. Nobilis quispiam contentissimus erat, necem illam tibi solam agnitam gaudens; veruntamen, ut clarius innotescat, non unicam facem adhibes, sed splendore tui vultus illam pandis. Hypocrita ille famam suam in tuto locatam putabat, dum oculos deprimeret, humeros inflecteret, in publico suspiria traheret, hisce omnia errata clanculum patrata obvolvere putavit. Sed tu modo larvam detegis, omnibusque eum avarum, impium, lasciuum, qui illum antea velut alterum Pachomium, Angelum, Apostolum suspexerunt, ostendis. Et quomodo ad hoc nuntium animi deliquium non patimini, qui lapsi in peccatum quoddam enorme mortis angores sustinetis, dum illud aperiendum est confessori, qui arctissimo sigillo ad illius reticentiam tenetur, etiam sub pœna ignis, quique velut homo forsan peioribus commissis vobis non condolere nequit? Sed quid facietis, dum dissolutissima illa vita vestra in conventu publico totius generis humani in apricum prodibit?

Psal. 39.

VIII. Quod si ego hodie cum oratore aureo, Deo revelante coram tam celebri auditorio alicuius præsentis crimen ipsi soli notum propalaturum me dicerem, quomodo non statim Dominus ille tam prudens, timoratus habitus, audiretur tali die, horâ, loco, talia, & talia commisisse? dicite amabâ, an non reus lubentissime sub tumulis hîs sese reconderet, ne conspectus omnium digitis notaretur? Quinimo, iactura enim minor famæ sufficit animum honestum enecare. Idcirco si credimus Eustatio,

hom. 44. ad popul.

ex theatro mundi f. 492 Valerio maximo, Geraldo, Plinio. Laertio, Homer[9] Calchas, Philetas Cous, Diodorus comus, in ruborem acti, eo quod certa ænigmata elucidare nequirent, ſeſe ſuffocarunt, ne ignorantiæ inſimularentur. Si verum ſit dictum *in Pſal. 3.* Baſilii, quod omnes *Ferent in corpore turpitudinem, & formas eorum, quæ nequiter operati ſunt expreſſas*, hic vos omnes compello, qui tam libere peccatis, credenſe Solâ confeſſione peccata ſepelienda, examineque ante confeſſioné præmiſſo ſupremo illo die ſcelera illa non manifeſta; ac ſi Archi gramateus, verbi fruſtra clamaret: *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius*, *Apoc. 16.* inaniterque Eccleſia tam ſerio per Miniſtrũ baptiſmi, baptizatos veſte albâ induens inculcaret: *Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Chriſti.* *Ritual: Rom de Baptiſ.* Vos omnes hic compello videte, videte qualis ſit meridies diei ſupremi. Quomodo nõ omnia propriæ luci reſtituit? Video in cœlo crucem, ac ipſam maximum beneficium reputo, quod unquã terræ obtigit. Non amplius in amore mihi ſunt proſperitates ſed adverſitates, dum ex effectibus ambarum convinctus ſum, ſiniſtra nobis eſſe mediũ unicum ad Deum perveniendi. Corda video transparentia, ac deridere incipio humana judicia quæ ex exteriorib[9] interiora judicant, eum pro amico habent, qui magis odit, pro ſimplici pauca molienté, pro humili aliũ ſpernentem, pro quieto omnia turbantem. Video providentiam Dei eſſe juſtiſſimã, eiuſque conſilia altiſſima demiror in illis ſucceſſibus, quibus noſtra temeritas appinxit, & in uſſit errorem. Nunc reperio, eccur illũ innocentem tot involuerit malis, illum ſceleſtum tot cumulauerit bonis, ac edoctus concludo, non eſſe judicandum: *Quoadusque veniat, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.*

IX Conſpicio nunc cauſas cunctorum judiciorum, ac quod non immerito S. Petrus momenta huius diei *Act. 3.* vocarit *Tempora reſtitutionis omniũ.* Quia reſtituunt in integrum omnes injurias in bonis famâ, vita illatas, ac nunc penetro vim conſcientiæ, dum in tot millibus reis nec judicem partialem, aut accuſatores falſos querulatur. Cerno quod ſola opera bona arment, ac muniant animam, dum reperio minima munerari, paſtum famelici, peregrini ſub tectũ admiſſionem, conſolationé infirmi, viſitationem vincti, nec per capillum curari, quod quis theſauris pluribus fuerit dives, amicis opimus, regnis potens, deliciis diffluens, Architectus illuſtris, ſcientiis pluribus præclarus, belli Dux, hoſtium devictor, Mundorum, ac regionum inventor.

Aſpiciod libros Dei apertos, ac non amplius ſigillatos, ita ut quilibet ſuum legere poſſit proceſſum. Et revera quanto non gaudio perfundor, dum & minimum opus meritorium æſtimari cenſeo, unicam ſalutationem angelicam unicum bonum verbum, unicam reverentiam ſacerdoti exhibitam, unicam venerationem crucis? Video, quam exactè expenſa, & recepta annotata ſint. Lego illum in tali tempore, uſu rationis adepto prius peccatum cognoviſſe, quam Deum. Parentes mille inobedientiis afflixiſſe, ſodales tot ſpurcitiis irritaſſe, in ſcholis fuiſſe

diſſo-

diſſolutum, in templis inſolentem, irridendo pietatis opera, talem à frequentia Sacramentorum, illum à lectione librorum ſacrorum retraxiſſe. Adoleſcentem annos illis choreis, voluptatibus, impurorum librorum lectione, religioſorum irriſione, fomento amorum laſcivorum tranſmiſiſſe. Adultam ætatem inimicitiis, uſuris, crudelitate erga inferiores, injuriis erga æquales, verborum levitate, procacitate operum combuſſiſſe, lego eum plurium menſium ſpatio, nec de Deo ſemel cogitaſſe, non advertiſſe quomodo educarentur proles, an ſervi Chriſtianis obedirent legibus. In illo video notatum, perſecutionibus, morbis, damnis à Deo ei corrigendo immiſſis, eum non emendatum, ſed magis induratum. Conciones audivit ſed per aures eas actutum tranſmiſit, interfuit miſſæ, ſed abſque ullâ devotione, monita religioſorum patienter quidem audivit, ſed ut ea irrideret; Miſerias percepit egenorum, ſed non ut eas leniret. Tot in iuſte damnavit, tot falſo accuſavit, tot impertinentia in ſcriptis adduxit. Confeſſus eſt, ſed abſque emendationis propoſito, communicavit, ſed indiſpoſitus, & indevotus. Tot habuit inſpirationes, vocationes, quibuſdam non paruit, quaſdam irriſit, ex nullâ fructum reportavit. (N N) Quæſo vos ne me plura legere permittatis, niſi velitis, ut cogam vos exclamare, cum illo reſuſcitato: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quam diſtrictè iudicet Deus.* Ex Iacobo de Paradiſo.

O nos miſeros! exiſtimamus ſola graviora peccata in hunc librum relata, unum homicidium, ſacrilegium, inceſtum, nihiloſecius reperiemus unum mendacium officioſum, unam facetiam acutam, verbum otioſum, nonnullas omiſſiones, quas parvi facimus, aliquas cogitationes, quibus videmur non præbuiſſe conſenſum. O quam bene dixit ille ſanctus, qui viſus eſt aliud non potuiſſe dicere, niſi hoc, *Certe nunc tempus nugandi non eſt!* Quomodo unquam homo poſſit iocari, dum DEUS tam ſeverum ſe exhibet? *Rogo vos fratres*, inquit Auguſtinus, *quam ſpem habere poſſunt, qui male faciunt, quando illi perituri ſunt, qui bona non faciunt; & ſi in ignem, mittetur, qui eſurienti non dedit panem ſuum, ubi mittendus eſt, qui rapuit aliena?* Serm. 38. de Sanctis.

XI. Verũ nunc video ſolem declinare, & veſperum prodire, nunc aliquẽ inclamantem audio, *Voca operarios, & redde illis mercedem.* O Aulici, Milites, Mercatores, quot nõ modo vobis deberetur præmium, ſi decimam partem difficultatum, quibus vos inuoluiſtis in ſervitio illius principis, militiâ, mercaturâ exantlaſsetis pro Deo? Puſilla nimes quos minimũ incomodũ à bono dimovit propoſito, inconſtantes, quos minimum tædium à via cœpta retraxit, acedioſi, quia formica non didiciſtis tempus colligendi. Chriſtus omnes, qui ſibi ſervierunt vocat & vix dixit; *Venite benedicti patris mei percipite regnũ*, cum ſtatim in aera ſublevantur vobis interim miſeris tanquam fæce hominũ relictis in terra, velut loliis igni deſtinatis. Nunc ſeparati eſtis à tritico. Nonne diu ante id prædixit Iſaias, *In monte diviſionum ſtabit Dominus, bonosque malis non ſemper fore intermixtos?* Annon forſan id deploravit Oſeas ſcribens; *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis quoniam ipſe inter fratres dividet?* Matth. 20. Iſa. 28. Oſe. 13.

Theologe ſuperbe, attolle parumper oculos, & vide quis cœlum intret. Tot idiotæ, qui nullum legerunt librum, tot fœminæ, quæ ſolam calluerunt orationem dominicam, & ſalutationem angelicam, in ſuo fonte theologiam apprehenſuri aſcendunt, dum tu cum ſubtili tuo ingenio, acuto iudicio æternaliter damnaris. Viden o Nobilis quem DEUS ſuo regno donet; ille vilis, qui tibi ſervivit in culina, ille mendicus, quem tuis eleemoſynis non es dignatus, ille leprosus, quem abhorruiſti, ille ſervus, quem verberibus excepiſti inter angelos velut ſol reſplendet, & tanquam bonus miles Chriſti triumphat, ubi tu cum nobili tuo ſanguine, opum copiâ, titulorum eminentiâ, famulantium catervâ abſtractus à lautis conviviis, lectulis mollibus, palatiis magnificis conſignaris æternæ fami, voracibus flammis, implacabilibus feris.

Sap. 5. XI. *Ecce quomodo computati ſunt inter filios DEI.* Tuus frater, cuius legitimam defraudaſti, tuus filius, cui adeo fuiſti adverſus, uxor, quam tam malè tractaſti, ſocius, cuius devotionem irriſiſti ſalvantur, ubi tu damnaris. O miſer, & quis tibi tam proſperam eripuit ſortem? An defectus auxiliorum? Nequaquam, ſufficientia enim habuiſti. Tot abſque lege Evangelica, notitiaque Chriſti inſiſtendo legi naturæ ſunt ſalvati, ubi tu cum ſis Chriſtianus tot ſacramentis roboratus, tot mediis adiutus, tot luminibus illuſtratus, cum Turcis, Judæis, Paganis Dœmonibus traderis. Utinam, utinam illâ concione tactus conſcientiam expiaſſes, illa inſpiratione motus ablata reſtituiſſes, toties rogatus veniam hoſti feciſſes, iam omni pœna exemptus eſſes; Verum dum nimium præſumens credidiſti, tempus ſemper præſto eſſe vitam emendandi, huc veniſti.

Peccaſti, ſed quid inde? Etiam peccatores cœlum intrarunt, Davides adulteri, Zachæi publicani, Mutii graſſatores viarum Geneſii mimi, Magdalenæ meretrices. Triduanâ pœnitentiâ omnes obliterare culpas, cœlumque promereri potuiſſes. Sed eheu, quid video? Vaticinium Zachariæ completum: *Stabunt pedes eius in illa die ſuper montem Olivarum, & ſcindetur mons olivarum ex media parte ſui.* Ut ſignificetur perverſis nullum deinceps eſſe locum gratiæ, mons ſymbolum pacis diſcerpitur. Hinc factis loquens dicit. *Non addam ultra miſereri, ſed oblivione obliviſcar eorum.* Zach. 14.

XII. O miſere abiles feſtinate, ſi unico obtutu filium DEI, ſanctosque vobis notos contueri velitis, Sed eheu, non eſt, qui vos ſufferat, vel aſpicere poſſit, omnes electi abſorpti ſunt à gloria, nec veſtros ferunt clamores aut egeſtates ſentiunt. Interim videte, quo in ſtatu ſit cœlum, & terra, quia. *Vobis cum ſemel occidet brevis lux, nox eſt perpetuo dormienda.* Diviniſſime ſol in aperto eſt, te verbis ſtetiſſe, *Percutiam terram anathemate*, Profecto terram diris devoviſti, radicitus ex ea ſanctos extirpaſti, illisque qui te cum ſunt omne commercium cum iis omnibus qui in terra ſunt interdixiſti, neque deinceps ullum tibi in ea ſacrificium litabitur. Nemo de hoc dubitet, ſed o Domine quid iis miſeris Malach 4.

tandem

tandem erit, qvos in illa relinqvis? *Fiant contra Dominum semper & pereat de terra memoria eorum.* Qvid tu non solum non vis eos admittere cœlo, sed & memoriam eorum stirpitus terrâ exscindis? Eheu *Ite maledicti in ignem æternum.* Verum an hæc etiam sacro fonte ablutis dicta? Qvinimo & qvidem iis primo, dein aliis. Sed nonne tu is es, qvi eos creasti, & morte cruentâ redemisti? Ita. Ergone tu velis, ut semper, semper, repeto semper, incarcerentur, excorientur, torreantur? Etiam *Amen, Alleluja,* iam dixi in Apocalypsi. Illi, qvos toties vocavi, qviq; nunqvam se emendarunt, sint perpetuo maledicti. O munde ingrate, non expectes, qvod vel semel sis visurus Jesum, siqvidem hodie tibi occidit. Ohime, dices, abiit, *Et venit nox, in qva nemo poterit operari* Nullus erit deinceps prædicator qvi clamet, confessarius, qvi arguat contritio qvæ iustificet planctus qvi iuvet.

Psalm 108.

Apoc. 1.

Ioann. 4.

Infernus aperitur, & omnes perversos unicâ transglutione transmittit. *Celeusma qvasi calcantium auditur.* Dæmones mutuo in eos se animant, & qvia ex illo tetro carcere nullus dabitur exitus, porta obseratur, & obfirmatur. *Non ultra*, inqvit Cyprianus, *videbunt Deum in tenebris sigillati ; stabit damnationis hujus immobile constitutū.* Credimusne, Auditores mei huic Evangelio? An nos sumus ex illis qvi illo supremo die in ius citabimur? Qvinimo, nam non solum spectabimus, sed prout gessimus præmium, vel pœnam referemus. Qvomodo ergo vitam non emendamus? Qvid vultis vobis dicam? Potius lachrymis, qvam verbis meum justum dolorem testatum vellem.

Ierem. 25.

Serm de An.

PARS SECUNDA.

XIII. SAnctus Abbas Elias, qvi ex centum, & decem annis septuaginta in summa austeritate trivit, ultimæ admotus lineæ totus tremens dixit: *Tria timeo, egressionem animæ è corpore, severitatem examinis sententiam Iudicis.* Hæc tria nos à potiori metuere deberemus. Audiamus Hieronymum ; *Si hinc inde fulgurum jacula palpebris terribiliter objecta coruscant, qvanqvam in consvetudine ista contingant pavemus & contremiscimus & proni ad terram depositâ superbi cervices submittimus qvid faciemus in illa die miseri?* Cum judex octo pœnarum genera infligere possit nempe damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam servitutem, mortem ejus officium à legibus vocatur *Authoritatis formidabile ministerium.* Si ita sit formidandus Judex terrenus, qvomodo non timere debemus Judicem, qvi in ipso tempore gratię mendacium, irreverentiam inobedientiam levem plectit fulminibus suffocatione, dilaceratione? Audiamus Hieronymum: *Qvanto tunc persecuturus eris qvando non parcens iudicas, qvi sic districtè modo percutis, qvando parcis?*

Ex Rufini Histor.

Epist. ad amicum.

Cod. Theod. lib. 1.

Hieron. in Psalm.

Qvod si nil aliud nobis contingeret, qvam qvod à suo aspectu in perpetuum nos arceret, mortem oppetere deberemus ex timore solum, qvo hoc cogitamus. Philippus secundus duos aulicos qvi licentius sub sacrificio missæ se gesserant ad se vocatos perpetuo à suo aspectu relegavit, qvos ita hoc dictum perculit ut unus paulo post contabuerit & alter insaniâ correptus fuerit. *Iudicium determinat causas,* Nec aliud dico; si in illo non subsistas, tecum actum

Raphael Columba serm. in Dom. 2. Qvadrag.

Proverb. 2.

G est,

est, ab illo quippe non datur appellatio, nec in illo conceditur revisio. Grandes tibi intentat minas Deus per Prophetam Nahum: *Ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & projiciam super te abominationem, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.* Ignavia porro, & securitas, cum qua vivimus, mei timoris fundamentum gravius est. *Deum arbitrum omnium esse scimus, & adhuc eo teste peccamus*, inquiebat Ambrosius.

Nah. 3.

In apolog. David.

Perversiorem nequeremus agere vitam, esto illo supremo die in jus ambulare non deberemus. Amasis, Rex Ægypti quolibet anno cujuslibet actiones coram particulari judicio in examen vocari sanciebat. Quis nostrum tam salutare examen secum instituat? Et quamvis Ecclesiasticus clamet, *Ante judicium interroga teipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem*; Attamen nobis fixum est hoc solis Carthusianis competere, ac si nos illo tribunali exesse deberemus; dumque rem adeo necessariam oblivioni tradimus, quotidie præcipites ruimus. Audiamus Emissenum: *Irremediabile periculum fit, aliquem cupiditatibus frœna laxare, ut se rationem non meminerit redditurum.* Juxta Aristotelem *Timor consiliarios facit.* In confesso est, nos tantum malum non timere, dum nullum ei remedium adhibemus. Non ita justi, de quibus Sapiens, *Cogitationes justorum judicia.* Nescio, an frænum fortius detur nostræ ferocitati domandæ.

Cap. 18.

Hom de Lazaro.

Prov. 12.

XIV. Ipsemet Christus hoc apprimè sciens, illud sæpe adhibuit, dum triduo ante mortem prolixum de eo discursum habuit. Cœlos scandens hoc inculcavit: *Sicut vidistis ascendentem, ita veniet.* Hoc in omni discursu spectavit, ita, ut Chrysostomus stupefactus dixerit: *Cum hæc veniunt in mentem, amarissimè flens ex profundo corde ingemisco, quia, quæ ad virgines, & ad servum, qui abscondit talentum, dicuntur, vehementer me perturbant.* S. Augustinus de seipso necdum converso perhibet, quod, quantumvis circa alios articulos vacillarit, nunquam tamen tremorem extremi judicii excutere potuerit. *Metus tamen tui judicii per varias opiniones nunquam recessit de pectore meo.* Et profectò, juxta S. Gregorium, bestia est, qui illud judicium non timet. Unus post alterum tendit ad vallem Josaphat, tibique, qui non credis, dico id, quod quondam Bernardus Eugenio scripsit: *Prædecessores sequeris ad mortem, ad Iudicem, ad æternitatem.*

Marc. 16.

Hom. 77. in Matth.

Lib. confess. cap. 6.

Hom. 13. in Evang.

In epist. ad Eugenium.

Non immeritò itaque quilibet suis negotiis dicat, quod olim Jacob Laban, cui quatuordecim annis servierat, dixit: *Dimitte me, iustum est, ut aliquando provideam domui meæ.* Tot annos transmisi in aula, mercatura, nugis, quomodo ergo saluti meæ, quæ tanti est momenti, nihil temporis concedam? Surdissimus sum, nisi ad sonitam hodiernæ tubæ movear. Dudum scripsit Seneca, *Serpentum, quibus mortifera vis inest, cum fulmine icti sunt, venenum omne consumitur.* Quomodo ergo in me non pereat omne venenum ad immane illud fulmen, quod Christus è nube portendit?

Cap 30.

Lib 2. natur. cap. 31

dit? Pius ille Asceta Antiochus apud Climacum, dum in somnio se condemnatum ob debitum centum librarum conspexit, non destitit, quousque per prolixas austeritates omne debitum solutum certo rescivit, continuo sibi ingeminans: *Antioche, maiori labore & conatu opus est, Antioche, memento debiti.* Idem nos, qui plura Deo debemus, practicare deberemus. Idcirco concludo cum S. Petro: *Propter quod hæc expectantes satagite immaculati inveniri, & Domini longanimitatem salutem arbitremini.* Patientia longæva Dei sit remedium, & non fomentum peccandi. Verissimum est illud Augustini: *Hodie hortatur te, ne iudicet te, & qui iudex tuus futurus est, ipse est hodie advocatus tuus.* Væ interim mihi, væ tibi, si divina bonitate abutamur.

Gradu 4. de obedient.

2. Petr. 3.

In psalm. 51

XV. Benedab Rex Syriæ, dum centum è suis in pugna desideratis, in desperationem actus, oculos pudibundus tollere non auderet, hoc remedium ultimum à suis sibi proponi audivit: *Audivimus, quod Reges domus Israel clementes sint, ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris & egrediamur ad Regem Israel, forsitan salvabit animas nostras.* Mi Deus mi Judex Christe Jesu esto illo die sis inexorabilis, tamen scio te hodie esse placabilem. Age dum si duo verba apud te reponerem, an forsan non audires? Patere ergo, ut ego rationem strictissimam reddam bonorum omissorum, & malorum patratorum. *Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me & opprimas me, opus manuum tuarum & consilium impiorum adiuves?* Ergone unquam verum sit, te in hoc gratificaturum dæmoni, tuo hosti immanissimo, ut me opus manuum tuarum, tuoque sanguine redemptum, à te videat condemnatum? Nequaquam, mi Deus. *Confige confige timore tuo carnes meas; à iudiciis enim tuis timui.* Non efflagito, ut illo die judicio eximar, id enim scio mihi non concedendum, solum rogo, ut me securum reddas salutari timore illud semper metuendo.

3. Reg. 20.

Iob. 7.

Psalm. 118.



CONCIO VI.

Et intravit Iesus in Templum, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes. Matth. cap. 21.

Detegitur maximus error Mundi in negotiatione hominum, qvi dum æqvissimo, & vilissimo pretio possent emere Deum, ræliqva omnia carissimè coemunt.

I. O Tempus invidum, ac flammas voraces, qvæ mundo sustulistis illud templum, qvod dum hodie Christus Hierosolymas intrat, iusto suo zelo primas habenas laxat. Eccur non expectastis, qvousqve ego fabricam illam meis oculis crevissem, in cuius constructione sunt insumpti duo mille nongenti, & viginti milliones auri, per tot annos, centũ qvinqvaginta mille operarii desudarunt; vidissem eidem deputatos qvadraginta qvatuor mille sacerdotes, decem mille levitas, sex mille symphoniacos. Conspexissem viginti mille Thuribula mire fragrantia, decem mille candelabra lucentia tubas bis centum mille insonantes; vidissem, qvibus trochleis sublimata saxa viginti qvinqve cubitis longa, ac viginti qvatuor larga, qvo artificio constructæ portæ adeo ponderosæ, ut viginti homines vix pares essent unæ in cardine versandæ, ex qvibus fodinis tantum marmor elutum, qvanta copia argenti, ac auri in Sanctuario, atriis, columnis, Cherubinis, basibus, pavimentis, capitellis, cancellis, locis dignissimis, propitiatorio, mari æneo, altari Thymiamatis, mensâ panum.

Ex Majolo, & Azorio.

Verum enimvero sistite parumper; Aliud qvippe non insensatum consilium occurrit; nam esto fabricæ Salomonis, Zorobabelis, Herodis in fumos abierint, Deus tamen mundum sibi templum dignum esse voluit. Mundus iuxta discursum Tullii templum est multo augustius, qvam unqvam ambitiosa mortalium pietas Athenis, Cypro, Ægypto, vel Asiâ condiderit. Perbene scio, nullum tabulatum, vel fornicatum lacunar posse fingi, qvod Cœlo comparetur, nullum tessellatum pavimentum, qvod pretio terram excedat, nullum candelabrum, vel lampadem, qvæ par sit Soli, nullos concentus harmonicos, qvi superent concentum, qvem formant aves cantillando, rivuli stridendo, aura spirando, sphæræ gyrando. Ita est, Auditores. Mundus est templum Dei, nos omnes sumus deputati ejus Sacerdotes. Ita dudum ante me scripsit Macrobius: *Sciat qvisqvis, in usum templi hujus inducitur ritu sibi vivendum sacerdotis.*

Macr. c. 1. in somn.

Porro, cum heri vesperi exemplo Christi hoc templum visitaturus adirem, sperans me omnes sacrificiis, ac precibus intentos visurum, delusus reperi omnes negotiis vilibus intentos; hic vafras vulpes, vendentes columbas, ibi

ibi laniones glubentes pecora, hic vindicativum appetentem vindictam, ibi lascivum libidini deditum. Dei est templum, & tamen vix est ullus, qvi de Deo cogitet. Porro, in me tanta indignitas tam vehementem accendit bilem, ut in ejus detestationem hoc mane ex lingva mea virgam contexere coactus fuerim. Adeste huc omnes filii Adam; ii, qvi hodie accusantur, erunt judices. Hodie inqvirendum, an non merito omne phlegma bile accendatur, dum videmus homines in reliqvis adeo nasutos, & providos, in negotio negotiorum maximo pessime se habere. Qvod ii, qvi a Deo, tanqvam suo principio, venerunt, & ad eum velut ad proprium finē redeunt, dū minimo obseqvio eū comparare sibi possunt, hoc non obstante, ut res, vel ob caducitatem suam vanissimas, vel ob plurimas inconvenientias nocivissimas coemant, meliorem tamen vitæ partem tam malè impendant.

PARS PRIMA.

II. Templum est Mundus, & hoc ultro mihi concedetis. Dixit porro Pythagoras, in hoc templo agi nundinas publicas. Omnes accedunt, vel ut emant, vel ut vendant. Ipsimet Principes, qvibus nullum negotium est cum propolis, & institoribus vendunt ipsosmet fumos auro, censent qvosdam gradus, & dignitates, sed nescio, qvo pretio. Ob talem titulum exigunt viginti annorum mancipatum. Per pensiones annuas nonnemo præter sudorem, etiam sangvinem emunxit. Omnes in his nundinis sumus campsores, nil damus, nisi sub spe aliqvid recipiendi. Ipsamet subsellia Senatorum, nescio, qvid habeant è scamnis campsorum. Ii, qvibus admissio nummorum maxime in execratione est, auram popularem venantur. Testium depositiones, scriptum Notariorum, Advocatorum argumenta, Judicum sententiæ venales sunt. Verbo, nostra vita nil aliud est, qvam nundinatio. Vix nati, dum aliud nil expendere possumus, duo, vel tria blandimenta lachrymis emimus. Pueri non nisi pomis, & nucibus nundinamur, adulti rebus qvibuslibet. Geometra umbras, Arithmeticus numeros, Orator clausulas, Poeta qvaslibet syllabas, Musicus voces, & not, rusticus agros nundinatur, omnes vendunt, ut habeant, qvo emere possint. Manus, & pedes vendit Idiota, Doctus caput, & speculationes.

Laert. lib. 1. cap. 1.

Eccur ergo Deus succensuit, dum intrans templum *vendentes, & ementes* ejecit? Nonne Domine, tu dixisti: *Negotiamini, dum venio?* Præterea à te audivimus: *Estote boni trapezitæ.* Tu ipse has nundinas lucri causâ accessisti, factus similis *homini negotiatori, qværenti bonas margaritas.* Tu es ille, qvi emptione agri magnum voluisti comparare thesaurum. Patiaris itaqve, qvod qvilibet nostrum suo inhians lucro emat vili, & vendat carô *Matth. 13.*

Hoc est, inqvit Deus, qvod cupio, nam, ut nundinemini, do talenta, ac, nisi lucremini, indoleo vehementer mea dona esse irrita. Sub paupere me fingo inopem, ut eleemosynâ lucrari possitis. Nil aliud virgas mihi in manus porrigit, qvam qvod videam vos vendere vera bona, ut ematis apparentia,

& dum ego, qui sum unicum, ac summum bonum desiderans vendere meam supremam bonitatem, diu noctuque in publico clamo: *Quis est homo, qui vult vitam?* *Venite, & emite absque ulla commutatione,* vos alteri rei acqvirendæ inhiatis, ac dum animam ferme expenditis, ut lucremini à superbia auram venti, ab avaritia commodum nocivum, à luxuria voluptatem momentaneam, ut tamen me obtineatis, nec unum dignamini emittere suspirium. Quomodo, Domine possit fieri, quod, cum tu velis vendere, nemo tamen velit emere? Bonam mihi da virgam, ego omnes in ruborem dabo.

Qvid vos, mercatores negligentes, replicabitis? Inter vendibilia in foro Deus quoque est. Ipse porro Augustinus provenditor est, eum offerens dicendo, *Vilior est calice aqua frigida, vilior est sola bona voluntate.* Nullus est paragraphus Scripturæ, qui eum non exhibeat aptum ad omnem usum. Vos cœci vultis emere lucem? *Ego sum lux mundi.* Vos famelici vultis cibum? *Caro mea verus est cibus.* Vos sitibundi vultis potum? *Sanguis meus vere est potus.* Vultis eum pastorem? Vos tanquam pecora vult custodire. *Ego sum pastor bonus.* Magistrum? Vult ignorantias vestras dispellere. *Magister vester unus est Christus.* Nutricem? Vos portabit ad ubera alligatos. *Ego nutritius, ad ubera mea portabimini.* In duellis secundum, & adjutorem? *Inimicus ero inimicis vestris.* In morbis Medicum? *Sanabo contritiones vestras.* Inter fluctus, & tempestates Navarchum? *Quia venti, & mare obediunt ei.* Verbo,

Ioann. 6.

Ibid.

si velitis eum habere, potestis. *Ego possessio eorum.* Vultis eum velut vestem? *Induimini Dominum Iesum Christum.* In eo, velut domo, habitare vultis? *Manete in me.* Et, *Si quis in me non manserit, mittetur foras.* Sese ostendit amatorem vestrarum delitiarum: *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* *Prov. 8.*
Declarat, quod vos curet instar pupillæ: *Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit.* Quid ulterius desideratis? *Omnibus omnia.* Ignis est, ut vos frigidos calefaciat, flumen, ut sordes detergat, pretium, ut vos mancipes redimat, via, ut errantes deducat, veritas, ut delusos instruat, vita, ut mortuos resuscitet.

O mei optimi conceptus intra conclave mentis meæ consultationem instituite. Unico bono opere eum coemere potestis, qualis ergo non erit socordia, & stultitia, lucrum tam grande negligere? Aurum impensè quærimus, quia eo reliqua omnia obtinentur, gratia Principum, jurisdictio in subditos, amicorum copia, servitorum cohors, palatia magnifica, horti delitiosi, vestes pretiosissimæ, convivia opima. Hoc tamen non obstante inquit S. Augustinus: *Aurum si habeo, quid habeo?* *Psalm. 72.*
Pauxillum terræ fulvæ, quæ nequit arcere inclementiam aeris, insidias propulsare latronum, acerbitatem angorum, furias morborum, mortis impetum; Cum tamen; Deum si semper haberem, quam magnum bonum haberem? Bonum haberem, quod nullum admittit consortium mali, æternum, infinitum, nullo tempore definibile, nullo loco coarctatum; Bonum haberem, quod oculis esset omnis pulchritudo, auribus concentus, gustui

dulce-

dulcedo, odoratui fragrantia, desideriorum satietas, contra omnes insultus armatura, levamen ponderum gravantium, omnis boni desiderabilis supplementum. Tali nixus fulcro, omnes ridebo concussiones, tali thesauro ditatus, nullam patiar inopiam, Altissimo colligatus, nolo amplius crescere, Immenso consignatus, nullas metuam loci angustias, natura destituetur omni vi me affligendi, fortuna omni exuetur facultate mihi nocendi; tantæ immersus beatitudini, nullæ me lacessent lacrymæ, tali basi insistens, nullam extimesco vicissitudinem Ergone sit possibile, quod bonum, quale est Deus, sit venale?

III. Quinimo fons omnis bonitatis est venalis, ille fons, qui largè potabit omnes siti oppressos, illa minera omnis fælicitatis, ex qua fame acti possunt effodere, centrum omnis tranquillitatis, in quo firmantur nostræ inconstantiæ, quinta essentia omnis amabilitatis, quæ sola satiat nostras cupiditates. Horoscopus nostrarum fortunarum, polare sydus nostræ navigationis, Judex, à quo non datur appellatio, Princeps, cujus nemo se potest subducere dominio. Verbo, ille intellectus, qui incomprehensibilis omnia comprehendit, brachium omnipotens cuncta sustentans, providentia impenetrabilis, cuncta disponens charitas inexhausta omnia distribuens. Ille est venalis qui quanto est bellus tanto est utilis est vendibilis, sed non ut quondam ille Philosophus' qui se venalem proclamabat: *Si quis esset qui Dominum emere vellet*; hic autem ad omnem usum se paratissimum offert; *Omnibus omnia.*

Ergone, ô mortales, hic vestra dormit avaritia? Et quæso, in quid melius impenderetur omnis pecunia, talentum, nervi, quam in tantum thesaurum, fundum Deum? Et quamvis in eum impendendi forent Oceanus sudorum, & lachrymarum, diluvium tormentorum, & molestiarum, perpetua mortificatio affectuum, & desideriorum, revera nil pro tali Deo daremus. Quale enim pretium homo pro illo exsolvat? Quis contractus mihi possit esse magis proficuus? Quod si, mi Deus, ego me donem tibi, tu te donas mihi! Ego tibi dono saccum vermium, tu verò mihi abyssum omnium perfectionum; ego compagem ossium, tu mihi elementum omnis fœlicitatis. Ego sum pugnus carnis, tu archipelagus consolationis, ego animal Ephimerum, tu Deus æternus.

IV. Quomodo ergo video, quod tam raro tua officina frequentetur, vixque sit aliquis, qui te velit coemere, cum quilibet censeat, pretium esse nimium? Hanc ob caritatem, ac pretii excessum doctrina Antisthenis Philosophi paucos reperiit emptores; hinc in proverbium abiit: *Antisthenes argenteâ virgâ auditores repellit.* Nam minerval nimium quodvis lyceum in odium trahere potest. Verũ enimvero, video, quod tu adeo tuiipsius sis prodigus, ut pro duobus bonis verbis te dones. Hic, si unquam vos attentos volo. Et quomodo vos non pudefaciam, si ostendero minimam mercium in foro à vobis carius solvi, quã Deus. Nonnullos video sanctos in cœlo, qui hic in terra plus quã dominiũ in Deũ videntur habuisse, ita, ut pro lubitu ad omnia eũ promptũ habe-

Laert. lib. I. cap. I.

haberent, ad ſuperanda tormenta, ad omne cumulandum meritum, omne patrandum miraculum. Ab his ſagacibus mercatoribus non dubitem, qvin reſcire poſſimus, qvanti conſtet Deus.

O Paule dilecte Benjamin Chriſti, an non hoc ex numero eorum eſt, *Qvæ non licet homini loqvi?* Mundus jam novit tam imperioſum tibi in Deum fuiſſe dominium, ut dicere potueris: *Omnia poſſum in eo, qvi me confortat.* Ejus lingvâ tot idiomata protuliſti, ejus oculis tot futura prævidiſti, ejus manibus tot fatales ſanaſti morbos, decumanis fluctibus agitabaris, & erat tibi portus, viperis mordebaris, & erat antidotum, à dæmonibus torqvebaris, & erat ſolamen. Dic qvæſo, qvanti tibi conſtitit? Unico, *Domine, qvid me vis facere?* O ſancte Martine, monachorum Archimandrita, Præſulum Idea, qvid tu pro eo expendiſti? Profectò perfectiſſimè à tuis hæſit nutibus. Si dæmones à corporibus arcendi, cœci illuminandi, ſurdis auditus reddendus, claudis uſus pedum, mortuis vita, paratiſſimus erat. Qvonam eum pretio coemiſti? Viliſſimo pallii fruſtillo pauperi dato. O Franciſce, ſub cineribus Seraphine ardens, tu qvo pauperior fuiſti, eo Deo extitiſti opulentior, ex ejus manibus cum plagis eruiſti favores, fuit moderator tuarum cogitationum, affectuum pacificator, dictator regularum, œconomus monaſteriorũ. Ediſſere, qvanti valuit tibi? Eleemoſynâ vix æſtimandâ. Et tu, ô Catharina Senenſis, qvæ cor ei rapuiſti, ita, ut à votis tibi hæſerit, qvid tu pro eo exſolviſti? Unam cruculam argenteam. An minus qveat dici?

Act. 9.

Nunc exeat aliqvis, noſtramqve ſocordiam defendat, ſi poſſit: Nos ſummum bonum, qvod ſolum nomen boni meretur pauxillo argento, fruſtillo centonis comparare poſſumus, & tamen hoc negligimus. David illum comparavit tribus ſyllabis: *Peccavi.* Latro in cruce his qvatuor amoriſſimis verbis: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum:* eum coemit: Nos econtra omnia ei anteferimus. O mortales, ſi unqvã certè jã noſtrum lucrum nauci facimus. Qvod ſi virgâ aures veſtras pulſem, nonne id promeremini? Apprimè vos cognoſco, apprimè ſcio, qvales ſitis, unico verbulo genium veſtrum deſcripturus ſum. Qvantumvis in aliis multum abeatis ab invicem, in hoc tamen convenitis, uti cenſuit ille Mimus apud S. Auguſtinum, qvod velitis vendere carò, ac emere vili. Dic qvæſo qvo vili pretio vis Deum, cum minimo obſeqvio eum habere poſſis?

Luca 23.

Lib. de Trin.

V. Annon qvodlibet bonum, qvod à mundo prætendis qvantumvis tot adverſis, tot culpis, pœnis confectum ſit, multo carius tibi conſtat, qvam Deus? Et qvia difficulter id mihi dabitis. Hic vos omnes compello, qvi aliqvod mundi bonum poſſidetis efficiam, ut id fateamini. Qvantisper ad forum nos conferamus. Ola, qvis ibi forum obambulat trabeâ acupictâ magnificè veſtitus, gladio cinctus, plumis caput circumvolitantibus? Eſt miles veteranus, emeritus, centurio titularis ac nominalis, rude, ac cenſu annuo à Principe donatus. Hoc eſt qvod deſiderabam. Qvæſo Dominatio veſtra, qvæ jam præmio fructu ſuæ militiæ hoc titulo, hoc officio, hoc honore hoc cenſu pacificè fruitur qvibus impenſis illa obtinuit,

nuit, & coemit? Apagè reſpondet, ne mihi caput obtundas, Iliade malorum, quibus illa mei juris feci, memoriâ recitare non valeo. Victualia (fortunam ego miſellus experturus) quærens, militiæ nomen dedi, armiſque oneratus, priusquam illa moderari ſcirem, conſignatus ſum indiſcretæ diſcretioni illius decurionis, ac in illa arce tyronem egi. Lectus meus fuit humus, tectum frigidus Jupiter, jejuniis Eccleſiæ non præceptis aſtrictus, feſtivi dies vigiliæ mihi fuere, centone lacero, ſago indutus, Scipioni innixus, ventis ludibrium fui, frigore brumali ferme mihi manus, pedeſque præriguerunt, ardoribus Solis æſtate exuſtus, nunc exagitatus febre tertiana moleſta, nunc diarrheâ, & diſſenteriâ, nunc catharri diſtillationibus moleſtatus, nunc ventriculi debilitate; apoplexiâ, ac vario morborum genere decubui. A Præfectis ægrorum curandorum utcunque curatus, ad caſtra relegatus fui; quæ porro in iis ſuſtinuerim, quis fando ſit? Illi pugnę velitando initium facere juſſus, dum caneretur receptui agmen claudere. Ex illa expugnatione caput retuli ſaucium, ex illo inſultu tibias glande transmiſſas, in illo ponte faucibus mortis conſignatus, illo flumine ferme merſus, nivibus illius montis ſepultus, inter umbras illius ſylvæ perditus. Obſidionem ſuſtinui in arce commeatu, & munitionibus vix inſtructâ, animoque obfirmato aliorum errata emendare coactus. Nil dico de pane; præfecti ſiquidem annonæ, ut more ſuo noſtris damnis diteſcerent, canibus, & non hominibus ſe providere debere videbantur. Unde, ut verbo eloquar, carnem aſininam, & equinam, ac mures probavi.

Inſuper, dum obſtinato animo obſeſſores ſuſtinuimus, ſuppetias expectantes, & ſuccurſum, cuniculi ſuffosſione ferme fui exanimatus, pyrio globo diſcerptus, machinâ bellicâ trajectus, ſclopeto percuſſus; & ne ſic quidem noſtra martyria finita. Nam, quia Pręfecti non patiuntur ſe inſimulari erroris, proditionis inſimulati, ad carceres mittimur, nec inde extrahimur, niſi ſub prætextu gratiæ, ſtipendiis reſignemus. Militiam pertæſus transfugere decrevi; ſed in fuga à belli ducibus deprehenſus, laqueo collum induiſſem, niſi alea faviſſet. Nil dicam, quoties fugâ conſulens hoſte inſectante à ruſticis fuerim proditus. Non recordor licentiarum negatarum, ſtipendiorum retentorum, vulnerum receptorum, ærumnarum à me probatarum. Sexaginta ſunt anni, in quibus non unicam numero diem fortunatam, & tamen adhuc fortunatus cenſendus, quod aliquot centenis, qui mecum tyrones fuerunt, ſupervixerim, quorum unus frigore extinctus in Januario, alter ardoribus Auguſti incineratus, hic à febre in lecto letho datus, alter miſeriis, ac vulneribus conſumptus, tertius fame, quartus ferro, quintus igne ſublatus. Tanti mihi conſtat cenſus annuus, quo fruor, quietem horum annorum, exantlatione tot laborum comparavi; nec adhuc ſatis pro illa profudi, dum æmuli me illo exuere nituntur, niſique benignitas mei Principis eorum ſuperaret malitiam, in xenodochio dies meos finire cogeret. O negotiatorem, ac emptorem bardum! ſi milleſimam partem horum ſudorum impendiſſes Deo emendo, qui eſt ſolum bonum, quique nullatenus ti-

bi auferri potest, jam tui totaliter juris, ac potestatis esset.

VI. Nunc quid dicitis, (NN.) an adhuc mihi succenseatis, quod nimis vobis succenseam? Oculos vel parumper in cœlos levate, unicoque obtutu observate, quot non beati, ac cœli incolæ duabus noctibus insomnibus traductis, quatuor lachrymarum guttulis tantum bonum sibi coemerunt, quod per totam eos delectat æternitatem; econtra, quomodo vos flore vestrorum dierum, tanto sudore, tanto labore, tot difficultatibus acquisieritis id, quod vix executioni mandatur, quod millenis supplicis haud obtinetur, quo vix paucis diebus absque metu fruimur. Quisquis sis, compello te, an non aberraveris à via divitias corrogandi?

Meus sanctus pater Ignatius, tot annis militē agens, Deum unicâ ænei tormenti glande, quâ vulneratus fuit, unicâque nocte insomni in Monteserrato transmissa adeo sibi devinxit, ut veluti Dei dominus dice e potuerit: *Deus meus, & omnia.* His, tanquā veris suppositis, an non Veritas luce clarior est, quod summū bonū viliori pretio veneat? At enimvero vos opulenti, ne sub labaro Martis degentes irrideatis, quasi pessima agentes. Vos ipsi, qui antonomasticè indigitamini mercatores, velitis, nolitis, scire debetis, quod, dum adeo vili pretio possitis coemere Deū, aurū tam carè comparetis. Agedū huc adsis, qui filiā tā pingvi dote donasti, qui domum tot censibus opimis ditasti, qui hortū illū coemisti, qui illū fundū comparasti, qui illi navi tot merces intulisti, in illo scamno campsario tot census profudisti, edic Sodes, quanti tibi constant tuæ opes?

Adesto vos huc, qui Deum quotidie pro exiguo lucello emitis, & venditis. Dic Sodes, quot non oculis vigiliæ, ventri edię, cordi afflictiones impendendæ? Ut censum augerem, mensam adhibui Fabritii, & Curii, in delitiis mihi fuerunt duæ rapæ, duæ nuces, panem ori subtractum in crumena reposui, nulla fuit negotiatio, cui me non immiscui, ut lucrum reportarem. Ecquis damna, vel pericula in negotiationibus recenseat? Levissimus ventus timorem, quilibet scopulus damnum injecit. Non semel incidi in scyllam, & charybdim, ac furias Pelori, & Maleæ. Alias naufragio me subduxit trabs, fluvio prodigium, in illo lacu ferme fui submersus, in illa sylva à latronibus trucidatus, in illo contractu à sociis circumventus, ut verum fatear, in negotiis mihi fortuna quidem arrisit, at quis de reliquo dicat, quantis non angoribus conflictatus fuerim. Jugum emi boum, & hos pestis ex magna parte sustulit. Illi pecuniam in grandi summa dedi, & litem incurri, minister ille mihi scriniola expilavit, ita, ut mortis periculum incurrerim; Non memini me septem dormisse horis, quin minimus me excitarit sonitus. Ohime, pessulus aut obex non obductus, granarium frugibus est repletum, & habeo servum minus fidelem, ille computus non est justus, illud acceptum, & datum non videtur in codicillo, Fiscus jam adest, illam fraudem vindicaturus, illud monopolium puniturus, ac, ut cætera sileam, vult strenam. Quid proles mihi constiterint, non ausim dicere, ipsorum peculium nobilibus non cedit, quantum autem ego impenderim, id me pudefacit, & affligit.

VII. Huc adeste, ô lora, virgæ, excipiantur ii, qui instar stolidorũ mercantur. O miser, incanuisti negotiando, & tam inutiliter expendis tuos nummos. Viden. S. Petrus Deũ emit frustillo nassæ, unde ex piscatore fecit eũ Principẽ, &, ex littoribus Galilęis abreptum, Romæ in solio Ecclesiæ collocavit. Tu verò cum idẽ facere potuisses, omnia tua insumpsisti, variis comparãdis prædiis, pluribus oneribus, & obligationibus subjectis, tempori, quod illa consumit, fortunæ, quæ illa alterat, invidiæ, quæ illis amarorẽ inspergit, rapacitati, quæ illa expilat, morti, quæ illa confiscat. Et tibi, ô libidinose, quã parum constaret Deus, qui tamẽ solus explere famẽ immanẽ tuorũ impurorũ amorum posset: Nonnullis lachrymarũ stillis Magdalena eum conquisivit, Zachæus amica, & gratiosa mutatione, Centurio unico venerabundo verbo, & tu, ut illius amplexibus, & concubitu fruereris, tot ac tanta insumpsisti xeniis, strenis, munusculis, & hoc, ut tibi infamiam adsciscere, scopumq; te sannis, satyrũ, dicteriorum faceres, facultatesq; tuas prodigeres, mortem accelerares, animamq; damnares. Et vos, ô ambitiosi, qui in aulis tam sagaciter, solerter, anxiè degitis! ecce cur vos ita torquetis? Ob gratiã Principis, quæ jugo durissimo pluriũ annorũ obtẽta levi verbo, minima suspicione, & imaginatione effũditur, & evanescit.

VIII. O stolide, & barde! *Et quid hic non fragile, plenumque periculis?* Dicebat Palatinus quidam apud S. Augusti- (Lib. 8. Confess. cap. 6.) num: *Et per quod periculum venitur ad grandius periculum?* Venietis, quamvis necdum ad conclavia illa pertingeritis, in quibus, ut dicebat memoratus Palatinus Theodosii: *Amicus Dei, si voluero esse, nunc fio.* Ut Deum comparemus, non sunt necessariæ tot submissiones, tot venerationes, adulationes. Attendite parumper, num summum bonum viliori pretio sit venale, mox, ut voles, tuum erit. Nunc ergo, (NN.) mei, vos ipsi pronuntiate, an non in justas erumpam querelas, an non merito è templo Dei, puta mundo, *vendentes, & ementes* proscribam, an non omnes merces merito hinc inde disjiciã, quas cum tanta injuria infiniti boni, tam exiguo pretio venalis, tam carô comparatis? Charissimi, [NN.] *Quousque litibus,* prorumpens in lachrymas clamabat olim Chrysostomus, *occupamur, ac* (Hom. 24. in Matth.) *salutem nostram ipsi despicimus, ac prodimus?* Ergone ii, qui idcirco solum in mundo sunt, ut Deum sibi conquirant, mundo exeant, eo non conquisito, æternaliter eodem privati? Profectò fallimus nos, qui aliud, quam Deum, speramus. Audite Basilium Seleucien- sem: *Et quis hic finis reus ipse judicet, intus enim quisque vel invitus conscientiam accu-* (Orat. 27.) *satricem habet.*

Annos meos transmisi, nec scio, an ullũ diem Deo tribuerim, qui mihi permaxime est æstimandus. Quod si unicũ solum eorum, quos insumpsi, ut meis affectibus, amoribus odiis gratificarer, Deo impendissem, jã totus esset meus. Ah incantatio mundi maligni, quæ me adeo dementat, ut tantam ruinã nõ apprehendam! *Quid strepis, munde immunde,* (August.) *quid strepis? Tenere vis periens, quid faceres, si* (serm. 20. de) *maneres?* In aperto est, mi Deus, te parũ, (verbis Dom.) vel nihil à nobis æstimari, dũ te neglecto futilia, & frivola comparamus. Ego quidẽ hanc veritatẽ maximi momenti prædico tibi autẽ constat, quã pauci eã capiant. *Hoc tantum scio cum S. Augusti-*

Lib. medit. cap. 18. ibid.

no, *hoc tantum scio, quod mihi male est præter te, non solum extra me, sed & in meipso.* Emo, reemo tota die meo damno, & quicquid emo, me depauperat, ac mihi vertitur in venenum. Et revera hoc iusto supplicio torqueor, qui tantam veritatem intelligere nolo, quod nempe *Bonorum summa nobis Deus est, neq; infra manendum est, neque ultra quærendum, quia alterum est frivolum, alterum nullum.*

Procem. in psalm. 12.

PARS SECUNDA.

IX. QUi sufficienter hactenus dicta penetrat, ut sanctus sit, nullo alio eget. Sanctus meus fundator in aureo illo exercitiorum spiritualium libro hoc primum cognitum, ac velut primum fundamentum præmisit, nos ideo tantum esse in mundo, ut Deum nobis conquiramus, ad eumque, velut ultimũ finẽ tendamus, & reliqua, tãquã media, adhibeamus. Et ego, ut clarè edicam, quod res est, nunquam vivacius penetro stupiditatem hominum, quam cum pondero, verissimum esse, nil extra suum centrum quiescere, videam nihilosecius homines, quorum finis est Deus, hunc negligere, ac in vili habere, solasque voluptates momentaneas, lucra nociva, fumos evanescentes, castella in aera abeuntia insectando perire. Stultus est, qui ob nullum finem agit. Nihilominus, quid in causa est, *Quod*, ut inquit Seneca, *de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota vita nemo deliberat?* Hodie id mihi agendum incumbit, cras illud, attamen hi sunt fines partiales. Sed quis est ultimus? Deus agens est intellectuale, nil casu agens. Dic ergo, cur te creavit? Ut ei in hoc mundo servires,

Epist. 71.

& postea eo in cœlo fruaris. Porro, si hoc à te non obtineat, nil est, quod in mundo deinceps æstimet, cum enim tu è mundo sublatus, nõ amplius ames, illas vestes, vasa, arma, videt ea inepta esse ad usum, ad quem sunt producta. *Et adhuc non pudesis*, inquit Chrysostomus, *ut Magistratum assequaris, nihil non facis, unigeniti autem regni particeps futurus, non in mille enses insilis, non in ignem te injicis*; cum tamen impertinens sit ad tuum finem, num sago, vel centone amictus eum obtineas. Adeste, amabo vos, (NN.) parumper in consultationem eamus. Nemo est nostrum, qui non aliquo occupetur, hic agit mercatorem, iste aulicum, alter studiosum, omnia perbellè. At verò: *Omnibus istis laboribus nostris quo ambivimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causa militamus?* An, postquam iam diutius amoribus implicit9 fuero, lasciviis satiabor? Minimè, non secus, ac illi, qui humeris onus purgatorii gestantes in infernum exilient. An in immensum coacervatis divitiis, aviditatẽ explevero? Quinimo, veluti illi, qui scrinia cimeliis referta possidentes, plura appetunt, nec unquam satiantur. An illa dignitate potitus nonnulla pace fruar? Ita, sed veluti illi, qui voti compotes, à toto mundo, ac ab ipsis propriis affectionibus se oppugnandos vident. Nonne ergo facilius vilissimo pretio, omnia bona in Deo compararemus? Plinius gentilis id asseverat: *Dum vita suppetit enitamur, ut mors quam paucissima, quæ abolere possit, inveniat.* Mors omnia nostra alia lucra in cineres redigit, solus Deus emptus comportari poterit. Et hic sese mihi obiicit Chrysostomus, iusto furore percitus, irritatusque

Hom. 2. Coloss.

Aug. lib. Conf. ca.

Lib. 5. ep.

Hom. d. leemos.

noſtro pravo mercaturæ genere ſe angit, ac clamat: *Quid das opes tuas ventri, qui nihil retribuit, niſi ſtercus? quid gloriæ, quæ reddit livorem, & invidiam? quid voluptati, quæ gehennam, & venenoſos vermes? Omni mente captus es, qui hos debitores malis, quam Deum.*

Theatro ...erlinck. ...bo The...rus. X. Pompilius, dum exercitum duceret in Africam contra Domitium, non procul à Carthagine theſaurum auri ac argenti invenit. Milites maiorem latere putantes ſariſſis, haſtis, lanceis, bipennibus abiectis, fruſtra Pompilio profectionem impensè urgente, laboremq; vanum, ac frivolum dehortante, ligone, bidente, bipalio terram eruere cœperunt. Verum, poſt dies nonnullos feſſi, ac fatigati, dum ſe ſpe vana illuſos viderunt, ultro ad caſtra ſe contulerunt, in quamlibet expeditionem ſe paratos exhibentes: Non abſimiliter multi ex vobis, dum Alexandrum è bello retuliſſe pugnum vanæ gloriæ conſpexerunt, illũ alterum ex negotiatione exiguum lucellũ, alium ex quiete vitam longiorem, eadem ſperantes, iisdem ſeſe accinxerunt, & dederunt.

Verumenimvero, dum fatigati ab inopia mundi ſe deluſos cernunt, cur è veſtigio ad Deum non confugiunt, ad ea ſeſe opera offerentes, ad quæ ſunt conducti? Epilogum ſubnecto. Adiuro, & rogo vos per bonum, quod vobis vultis, ut, cũ Deus venalis proſtet, eum quibuscunque impenſis comparare velitis. Scitisne, quid velim dicere? Huc usque oſtendi, quam exiguis obſequiis comparetur ille Deus, qui nos æternaliter beat. Varii actus virtutum eliciendi ſeſe vobis offerent, nec deerunt difficultates ab iis vos retrahentes. Si tamẽ has omnes ſuperare velitis, ita vobiscum discurrite. Non diffiteor arduum eſſe, hanc erogare ſtipem, hoc ſanctum opus producere, hanc iniuriam concoquere; Attamen cum hisce poſſim lucrari Deũ, an hoc lucrũ ſit ſpernendum?

XI. Sufficit, quod antehac pecuniam meam inſumpſerim futilibus, ludicris, imo nocivis congerendis. Ita eſt, ô Deus meus: *Defluxi abs te ego, & erravi nimiũ devius à ſtabilitate tua.* Perluſtravi mercatus, & capitale annorum meorum expendi in fumos, & ventos. Nunquam ad te, finem meum cucurri, imo nec cogitavi te eſſe finem meum, unde video malum meum accreſcere, dum intendo illud occultare. En ergo animam, *Quæ nec recordata eſt finis ſui.* Quo me abripuiſtis deſperatę inſaniæ? Jure meritiſſimo cum devoto Auguſtino ingemiſcere, & lamentari poſſum: *Væ animæ audaci quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet ſe aliquid melius habituram.* Proh ingentem ſtolidi atem! dum vili potuit Deum emere ruinam propriam tam carô comparavit. Sed quid tu Domine prætendis? *Ecce ille ſervus fugiens Dominum ſuum, & conſequitur umbram.* Huc usque ſat diu umbras ſum inſectatus, nunc tempus eſt, re alia, & vera amplectendi. *Spes mea ubi es, & quo receſſiſti?* Quæſo te, ne fugias mi Deus, dum te quæro. Permutationem inſtituere cogito, totum me do tibi, ut tu totum te des mihi ratum & fixum eſt, ut me totum tibi dem ut ita tu te reciprocè des mihi. Concludo ergo ſemel pro ſemper: *Deduc me hodie ad te finem meum, nec patiaris me inter hujus mundi nugas peregrinari quia creaſti me Domine, ad te & inquietum eſt cor meum donec requieſcat in te.* Amen.

Aug. in lib. Confeſſ.

Thren. 1.

CONCIO VII. PRO DIE SECUNDO MERCURII.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Matth. 12.

Gentiles Christianis vitam iniquam obiiciunt.

I. POst votum, quo desidero frui societate Angelorum, ac Cœlicolarum, fateor me nil adeo exoptare, quã, ut videam, Christianos iuxta normam à Christo præscriptam vivant. Ideam Reipublicæ, quam habuit Plato, ac formam, quam concepit Thomas Morus, irrideo. Nulla Communitas est ordinatior illâ, cuius ideam, ac formam effinxit Sapientia Divina. Nullum ingenium humanum talem concipere potest. Dic Sodes, nonne urbes catholicæ essent paradysi terrestres, si insisteremus regulis, quas nostra fides præscribit? Si quilibet suo contentus aliena non raperet, pauper serviret patienter, dives mandaret humiliter? Profectò aulæ essent compositæ, non dissolutæ, plebs morigera, non seditiosa, Princeps discretus, subditi obedientes, iudex iustus advocatus verax, miles stipendiis contentus mercator in lucris moderatus Poeta ingeniosus sed non lascivus opifex industrius sed nõ fraudulentus puellæ bellæ, sed castæ adolescentes animosi, sed reverentes, senes prudentes, sed non querulosi. Revera vita foret insignis si exessent invidiæ inter tot diffidentes consangvineos à contractibus fraudes, diffidentiæ inter proditiones, murmurationes inter consortia, si cadentes conaremur erigere, tristes solari, morientibus assistere. Deus bone! quam prælustris res est, cernere consonum populum in sodalitatib... s... ocessionibus ritè ordinatis, supplicem prostratum coram Hostia exposita. Meherculè præ gaudio exclamare cogor: *Populum tuum vidi cum ingenti gaudio.* Nec in stuporem me agit Divus Chrysostomus qui è lecto similem videns concursum Christianorum, in pulpitum prosiliit, cordis gaudium ex illo haustum declaraturus. Animo parumper revolvite, quam non bene nostra essent collocata, si Christiani ideæ à Christo datæ in cunctis insisterent. Nimis verum est, quod *Christianismus sit imitatio naturæ divinæ* quodque nulla religio sapientior, & sanctior nostrate sit.

Verumenimvero longè aliter se res habet querelaque Zelosi Salviani quæ hyperbolica videtur vera est: *Grave & luctuosum est quod dicturus sum præter paucissimos quosdam qui mala fugiunt quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quam sentina vitiorum?* Principaliores Christianorum taliter vivunt, ut iubente Christo exclamare debeam: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generationẽ hac, & condemnabunt eam.* Vobis omnibus, qui in lege tam sancta perversè vivitis, Deo sic sanciente publicè in os obiicio, quod Ninivitæ, ac omnes gentiles in valle Josaphat obiecturi sunt, quinimo coram tribunali vestræ conscientiæ iamiam vos condemnabunt. *Non sententiæ potestate sed comparationis exemplo,* prout interpretatur Hieronymus. Dum errata vestra contra Deum, proximum, vosipsos confero, cum peccatis barbarorum,

Lib. 3. de Provid.

In caten.

rorum,

rorum gentilium lumine fidei privato, rum, in nocte cœcitatis degentium, contra Deum proximum seipsos in ruborem vos dabo.

PARS PRIMA.

II. NOn ſum adeò brutalis cum Zvinglio, ut velim Catones, Scipiones, Romanos Socrates Ariſtides Græcos ſanctis adlegere & relinquo litanias in quibus dicebat: *Sancte Socrates ora pro me.* Similiter Luthero maneant litaniæ in quibus invocantur canes, feles, qui iuxta eius delirium cum Beatis cœlo inſerendi ſunt. Eccleſiæ Heterodoxæ tales ſint ſancti, noſtra ſolas veras virtutes agnoſcit. Non neſcio iuxta ea, quæ de Diogenis conſtantia refert Nazianzenus, de integritate Socratis Theodoretus de fidelitate Attilii Reguli Auguſtinus ac de præſtantioribus Philoſophis in communi Gregorius magnus ac Chryſoſtomus virtutes gentilium eminentiores non fuiſſe, niſi pixides vacuas. Id me docuit Gregorius Theologus dicens: *Iis virtutum duntaxat nomen pretioſum fuiſſe.*

...x Raynau... de virt. ...b. 1. ſect. 2.

...rat. 3. & 3. & 20. ...ib 12. cont. Græcos. ...ib 1 de Civit. cap. 25. ...rat de ... Bab. ...ib. 28. Mor. cap. 30.

Sit ut ſit quantumvis ad honeſtatis medietatem non pervenerint, tamen eos in virtutibus progreſſus ſecerunt, ut nobis negligentiam qui tam parum profecimus, appingere poſſint, cum tamen adiutoria tam potentia habeamus. Quas difficultates arduas non ſuperarunt in moderandis affectibus? Vos helluones qui gulæ veſtræ frœna laxatis, in ipſa Quadrageſima bacchanalia agitis dumque ſancta Mater Eccleſia inediam ſatis moderatam tot exceſſibus diluendis præſcribit, ſubito medicis plures morbos quam xenodochia norint à ieiunio proficiſci allegatis. Cum collatione ſerotina non ſtat ſomnus oleum tuſſim ſecum trahit inſupportabilem, legumina ſtomachis veſtris exitialia ſunt.

III. Porro quid dicetis cum Deus non opponet vobis Antonios Macharios, Hilariones Arſenios Stilitas Onuphrios, in omnibus reliquis virtutibus ſuperiores, ſed Epicurum, voracium anteſignanum, ab orbe vocatum, qui tamen referentibus Laertio Dione, Æliano, *victu frugali, & modeſto contentus, aquâ, & polentâ, paneque hordeaceo victum quæſivit.* Vos, qui menſæ non aſſidetis niſi exquiſitiſſimis ferculis inſtructæ quid non vobis improbabunt tot nationes barbaræ quæ eſcâ frugaliſſimâ vitam traduxerunt? Argeis ac Tyrintiis pyrâ Nomadibus & Getis lac, locuſtæ Æthiopibus, porri Ægyptiis, amygdala Medis, ficus Græcis dapes fuère. Audite frugalitatem Romanorum. Ante bellum contra Perſeum cum necdum artem molendi ſcirent, ſexcentorum annorum ſpatio abſque pane, ſolâ pulte contenti famem ſunt ſolati. In expenſis culinariis tam contractas manus habuère, ut lege lata à Conſule Fannio animadverſum ſit in eos ſeveriſſimè, qui numeroſæ familiæ gallinam, tres libras carnis fumatæ, aut lardi in prandio appoſuiſſent, vel cuius cœna decem ſolidorum pretium ſuperaſſet ut nil dicam de potu. Vini quod à Platone Magiſtratibus à Cretenſibus Spartanis Carthaginenſibus militibus, à Romanis liberis usq; ad trigeſimum annũ, Principibus ſemper ſicut & fœminis & quidē tanto

Alexand. ab Alexandr. lib. 3. cap. 11.

rigo-

rigore, ut præter oscula, quibus hujus rei periculum faciebant, Nejus Domitianus uxorem suam ob hanc causam privarit dote, ac Egnatius Martellus suam baculo necaverit, vetitum fuit. Quomodo ergo fieri possit, ut supremo illo die contra vos adeò intemperantes, & obstinatos, qui inediâ hac quadragesimali curari nolunt, non insurgant Messenii, quorum Rex ipsemet, excessu peccans, quadraginta dies incibatus transmisit?

Necdum sciebant, quod jejunium esset *fundamentum virtutum omnium*, & *sanctificatio*, juxta Hieronymum. Necdum definiverat illud Ambrosius, esse *mortem culpæ, remedium salutis, radicem gratiæ.* Necdum scripserat Chrysolitus, jejunium esse *singulare sanctitatis aratrum, quod colit corda, eradicat crimina, claritatem serit, caput nutrit, parat innocentem messem.* Necdum scientes, id quod virtute jejunii potuerunt præter Moysen, & Eliam, omnes sancti, solo naturæ instinctu illud coluerunt.

Epist. ad Dem.

Lib. de Elia, & Iezabel.

Serm. 32.

IV. Hæc cum ita sint, quomodo vos, exemplo Christi edocti, ejusque lege adstricti, inediam tam invisam habetis? Vos etiam, adolescentes lascivi, quid respondebitis Hippolyto, qui amore castitatis discerptus, accusabit vos periisse per venationem occasionum, quas ipse continuo venatu effugit? Quid dicetis magno Alexandro, qui vos convincet, dum inter tot illecebras adeò castitatem servavit, ut de eo potuerit scribere Plutarchus: *Qui aliis fuit omnibus popularis, solis venustis se superbum præstabat*, & tamen fuit miles, non religiosus, sago indutus, non cilicio, degens inter venustissimas Helenas Persiæ, non inter rigidos Eremitas Nitriæ: *Non fuit certè fortunæ beneficio castus, aut temperans.*

Serm. 32. Orat. 2. de fortuna, & vest. Alexandri.

Quid oggeretis Democli, Regis Demetrii Ephebo, qui, dum aliter insidias castitati structas effugere non posset, aheno bullienti insiluit, ibique moriens alterius ardores restrinxit. Quid asseretis, dum audietis Pableum pluribus annis teterrimum sustinuisse carcerem, ut illam virtutem conservaret in domo Lucii Papini? Necdum hi audiverant Ignatium martyrem dicentem: *Castos esse domum Dei, templum Christi, organum Spiritus sancti*; necdum perceperant à Cypriano, *Pudicitiam esse augmentum omnis pulchritudinis, decus Religionis, minorationem criminum, multiplicationem meritorum.* Nesciebant Virginitatem in Thecla muneratam potentiâ patrandi miracula, in Agnete virtute tot tormenta sustinendi, in Catharina sapientiâ adeò sublimi, in Dorothea fructuum tam prodigiosorum, in Maria maternitate Dei, ac dominio super omnia creata. His non visis Virginitatem solo instinctu naturali cognitam tot laboribus coluerunt, eamque ad despectum Veneris in Pallade & Musis adorarunt.

Ex Plutarcho.

Epist. 10. de duodecim abus. cap. 2.

V. Et vos, ô Domicellæ lascivæ, quid quæso, opponere poteritis, dum licentiam vestram in nuditate prodenda, confusuræ prodibunt puellæ idololatræ Arabiæ, tam impensè faciem tegentes, ut nec oculus pateret? Merito jam in ruborem daremini, cum Christus dicat illud Tertulliani: *Ethnica disciplina meracior, &, ut ita dicam, barbarior modestia est*, fateaturque, vestes fœminarum apud Turcas minus esse lasci-

Cap ult. de veland. Virgin.

laxivas vestibus Christianorum. Quomodo non plures condemnabit tela Penelope, quæ eo maiori artificio noctu dissoluebatur, quo arte subtiliori de die contexebatur? Non absimiliter pudefaciet plures, quæ curam domus abjiciunt, virtuosa illa Tanaquil uxor Prisci Tarquinii, quam Romani, dum filias sponsis traderent, & colum cum fuso consignarent in ideam proponebant clamando. *Tanaquil, Tanaquil.* Quam multas non dabit in ruborem Lucretia rubens? Quam multas non confundet Baucis, quæ tam pacificè vixit cum suo Phælemone, ut Dij dicantur apud eam divertisse, ut iis arbitris discordiæ quædam componerentur. Hic nil dico de Jdea Matronarum Panthea, & omnium Conjugum speculo Iphicratea, quæ fœmineo animo cum comâ reciso, non minus manu, quam consilio afflictum Mithriridatem sustensavit.

VI. Verum enim verò O Animæ vento plenæ, nec impunes manebitis, quæ quamvis sub lege degatis, quæ tam clarè demonstrat vanitatem titulorum, & eminentiarum, attamen nullum aliud bonum agnoscitis, quam munus aliquod honorificum, gradum, pinguem, feudum frugiferum; fumum vestrum, & ambitionem irridebunt, non Rachisii, Carlo Manni, Etelredes, qui regni comoda cum mortificationibus commutarunt, sed Diocletianus, qui eminentias à vobis adeò cupitas abominans, imperio se abdicavit, & unius horti se culturæ addixit. Quam non erit validum argumentum, quo oppugnabit vos, qui ut sublimes fiatis Deum subpedibus conculcatis, Probus Cæsar, qui ab exercitu, dum Imperator renunciaretur, severitatem suam prætexuit, ut sic excuteret imperium clamando: *Nec mihi, nec vobis expedit, milites: Ego enim vobis blandiri non queo.* Vos, ut illud solium conscendatis non ducitis vobis piaculi, si illum innocentem perdatis, si principem illum palpetis, fidem datam violetis, millè iniustitias commitatis, cum tamen tot Romani, qui nec nomine tenus humilitatem cognoverunt, muneribus honorificentissimis se subduxerunt.

VII. Verum enim verò, an forsan auari Christiani effugient, qui renovando contractus Judæ, Deum, & Animam quatuor obolis vendunt cuicunque, qui vult eã emere? Prôh vos, qui indigni estis, quod Evangelium audiveritis, cui tam parum creditis. Divitiæ vobis prædicatæ sunt esse spinæ, & vos illas colligitis velut rosas, descriptæ vobis sunt, quod sint fures, qui diripiunt, & vos eas conciliatis vobis tanquam bonos amicos, qui vos defendant; vobis inculcatæ sunt velut impedimenta gloriæ, ac vos illas adoratis veluti unica instrumenta vitæ. Videte in illâ casâ Curionem, qui suis rapis contentus, munera sibi collata à Samnio recusavit. En frugalem mensam Fabritii, qui quatuor Patinis fictilibus sese oblestans, similia munera refutavit. Videte in illa navi Cratem Thebanum, qui opibus in mare projectis dicebat: *Mergam vos, ne mergar à vobis.* Ecce in illo dolio Diogenem, qui frustillo panis, ac fontanâ contentus Alexandrum ipsum æmulatorem habuit. Dicite, an non horum vita sit continua accusatio, quâ vos, qui nil præter au-

rum Sititis convincinimi? illi à primâ veritate non audierant: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum:* Ubi vos lucello exiguo post ponitis salutem, illi fide non illustrati, lucrum bono honesto quantumvis exiguo postposuerunt.

Matt. 5.

VI. Ita, ita, omnes nos ab iis subsannabimur, qui fidei nostræ conformes non vivimus. Quid possit esse clarius, quam quod regula, illa juxta, quâ operati sunt Gentiles, affectus gulæ, luxuriæ, ambitionis, auaritiæ tam fortiter domando, pessimam nostram Oeconomiam confundat, quâ nostrum plures interiores affectus moderamur? Quæso nos ne moremur amplius in hoc puncto, siquidem ubi agitur de moderatione affectuum, video imminere totam sectam Stoicorum, quæ si advenerit, quis cohibere poterit, ne dicant: nos tantas, ac tam illustres Lectiones, de infinitâ eius Providentiâ à DEO non habuimus, & tamen si filius ille Christiano Patri moritur, subitò in mille diras prorumpit, cum nobis interim si talis pereat, non sit alius dolor, quam dicere: *Sciebam genuisse mortalem.* Sit aliquis Mercatorum vestrorum, cui navis decum anis fluctibus hauriatur, statim pilos vellicat, oculos eruit, calcitrat, caput fricat, ac fermè desperat, ubi autem nobis idem infortunium obuenit, solum in has voces prorumpimus: *Benè facit fortuna, quæ me ad Philosophiam vocat.* Affligat aliquem vestrum Podagra lecto, ac statim efferas impatientiæ voces, ac immanes blasphemias exprimendo, totas dies consumit. Nostro Epictetto herus genua confregerat baculo nec in minimo perturbatus arguté dixit: *Nonnè ita prædixeram?* Mi optimi Philosophi, belle vos valere jubeo, quia sat claré video, quod ignavi Christiani vobis nequeant componi; Ast verò in materiâ Iustitiæ, ac Charitatis ergà Proximum, quam tam sollicité lex eorum inculcat, an forsan eos superabitis? Quod si eos in scenam produxerim in scyllam cupiens vitare charybdim. Orestes, Pylades, Achylles, Patrocli, Thesei, Pyrisoi, Nisi, & Euriales, qui duo corpora unico corde inhabitabant, tam concordes in honoratissimis actionibus fuere, cum vix forsan inter nos, qui mille suspicionibus agitamur, mille lucris pellimur, unus sit qui cum amicum conservare possit. Quam irreverentes sunt subditi ergà Superiores, quam parum hi ergà illos discreti?

Ex Orgine Lib. 6. contra Celson.

VII. Historias evoluo Gentilium, ac invenio servos tam fidei constantis erga dominos, ut horum vitæ conservandæ sese millibus necibus objecerint. Inter Christianos vero nil nisi hæc querulosa lamenta audiuntur, Infantum gerula expilavit scriniola, vestium Præfetus, seu Vestis picus gemmas, Cubicularius obtrunc avit Dominum, filius rebellavit Parenti. Porrò ut ad illos veniamus, quibus justitia admini tranda incumbit, nescio an Pomphilys, Agesilais, Lycurgis conferri queant. *Erudimini, qui iudicatis terram.* Non solum perlegite vitam Ambrosij, qui nemini unquam fores, vel Portas occlusas voluit, aut res gestas Ludovici Noni, pauperibus toties aures præbuit, & prudefietis, sed & id solum vos suprà modum confundet, quod de Marco Tulio narrat Plutarchus.

chus. Hic heros non minus eloquentiâ, quam bellandi peritiâ conspicuus, duodecim mille Pedites, ac mille sexcentos Equites sub signis numerans Ciliciam penetrarat eamq; Provinciam, per cladē quâ disciplinæ militaris observantiâ Crassus affecerat Parthos afflictissimā illam provinciā in sui potestatē redegit. Porro munera sibi pretiosissima oblata refutavit, quin imo Vectigal quoddam pensitari solitum ex cibis pro & mensâ Proconsulum abrogavit, omnes statuas ex Civitate abductas Romā asportandas ultro restituit. Tantæ fuit vigilantiæ, ut manè quis posset jactare eum in lecto repertū. Quantumvis acri vexaretur dolore stomachi, ante diluculum tamen audientiæ se parabat, omnesq; præveniendo, ne eū expectari contingeret ab aliquo, in loco publico obambulabat, ostius nullos famulos adhibere voluit, ne forsan horū insolentia alicuius patientiā irritaret; quantumvis gravibus occuparetur studiis, ita tamen regimini intentus erat, ut nullum dimiserit, cui non satisfecisset; utq; suā solicitudinem ostenderet, regnum ita latronibus mundavit, ut nec unus post ipsum superfuerit.

VIII. Quomodo non in valle Josaphat auri verborum aceto defricabit is omnes Christianos, qui commoda, sed non onera honorum gustaverunt? Cæsar adeò magnanimus in condonatione iniuriarum contrà vos ò vindicativi in scenam adducetur. Lycurgus prodibit, qui vitam non solum donavit ei, à quo uno oculorum privatus erat, sed & habitationem in domo propriâ gratiose concessit. Pisistratus, iuvenes petulantes, qui ejus uxorem contumeliis lacessiverant, cum posset occidere, solum argutà pertransivit dicens. *Imposterum modestiores estote.*

Quomodo ergò quotidiè nos Christiani unicum verbum fuste unam umbram pugione, unum dedecus selopeto cindicaturi nos paramus? Nos juramus, quod credamus Deo, at reipsâ credimus mundo. *Evangelia legunt, & impudici sunt; Apostolos audiunt, & inebriantur, Christum sequuntur, & rapiunt; vitam improbam agunt, & probam legem se habere dicunt* Salvian. Lib. 4. O Charissimi Auditores, vestrâ veniâ liceat mihi ex hoc pulpito abire, nā confusione nimis magna me obrutum iri video. Quomodo hoc? Quod major pars Christianorū ne ergà se, nec ergà alios sint tam boni, ut componi possint suprà nominatis, quos tamen Judex percontemptū nominavit peccatores? An non hoc magna confusio est? Verum enim verò, si in puncto religionis Christiani superentur Gentilibus, à an nō merito abysso confusionis petam sepeliri, utpote qui videam Christianos nō esse frugi? Etenim, susque, deq; omnia verti dicerē, si Christianos in hoc puncto etiā pessimi, Gentiles probiores non longè anteirent; quí enim sit possibile, quod Christiani convicti infinitis vaticiniis, argumentis, miraculis Christum esse unicū, ac verū Deum, minori reverentiâ, & affectu ergà eum ferantur, quā Persæ erga canem, Ægiptii erga bovē, Romani erga Equum, pallorem, febrem habuerunt.

IX. Verum enim verò, ò æternum probrū Christianorum! Omnes Gentiles adsint, ut iis tantam indignitatem improperent. Ut verum fatear, cultus, quo nos veneramur verum

 Deum,

Deum, est minor eo, quo Idololatræ, Saxa, ligna, stirpes, serpentes coluerunt. Porrò hoc ita in aperto ponam ut iis, quos tangit, ruborem incussurus sim. Quamvis etenim fuerint falsissimi Dij, non tamen fictus fuit affectus, quo eorum cultores eos adoraverunt. Hinc Augustinus. *Deorum licet falsorum non fallaces cultores, sed veracißimi etiam juratores.* Non fuerunt fictores, dum in Altaribus Crocodilos, pecudes, allia, cepas, Bachum ebrium, Martem furiosum, Jovem adulterum, Mercurium mendacem, Vulcanum claudum, Saturnum inhumanum, Junonem invidam, Venerem impuram collocarunt.

Lib. 1. de civit. c. 23.

Attamen hic compello omnes an pietas, quâ nos verum Deum honoramus sit conferenda pietati eorum, qua ipsi falsos Deos adorarunt? Tu qui conservando cultui divino non impenderes unum teruncionem, quid dices de magnificentiâ Delubrorum Jovi in Capitolio, Dianæ Ephesi, Apollini in Dela, Veneri in Papho, Herculi Thebis, Proserpinæ Socris ædificatorum? Quid dicendum sit de Pantheonte Agrippæ, in quod nulli sumptus frustra impensi credebantur? Quid judicas de sacrificiis? In Hetacombe centum boves unico sacrificio litatos memorant. Proprios filios immolarunt, cum id Diis acceptum esse sciebant. Quid dico filios? proprias vitas in holocaustum obtulerunt, ita ut Æthieopes à nece propriâ non desisterent, quousque à Flaminibus rescirenr, Deos cadaveribus eorum non delectari.

Ex pierio in Hiero gliph.

Peierarem te tantâ reverentiâ non assistere sacrificio, in quo immolatur verus filius Dei; quantâ integer Populus assistebat immolationi in quâ offerebatur hircus, vel bos. Ritus, & cæremoniæ nunquam finiebantur, & tamen non erat, qui eorum prolixitatem accusaret, silentium adeò rigidum servabatur, ut omne verbum sacrilegium reputaretur. Attentio adhibebatur tanta, ut fuerit, qui face manum permitteret amburi, ne illa turbaretur. Minima confusio, quæ in materiâ Religionis occurreret, totam Civitatem concitabat.

Alexand. ab Alexand. lib. 5. c. 12.

Unicus ignis Vestæ noctu Romæ extinctus id valuit, ut in sequenti die Senatus non servaretur, negotia quiescerent, iudicia non fierent, Officinæ clauderentur, pullæ, & atræ vestes aptararentur. Quid dicitis? An vero Deo tanta impendamus, quanta ipsi falsis fecerunt? Quod si contingeret Flaminū Archimandritam foras prodire, obuiamque haberet quandam puellam formæ egregiæ, Deæ vestæ placituram, illicó vellet, vel nollet triginta annorum virginitatem servare cogebatur, nec tot audiebantur lamenta, quod hodiè Parentes emittunt, dum filia Religioni observantissimæ se mancipare cogitat.

X. Nec unico obgannire verbulo tunc audiebant, sufficiebat, quod Augur diceret aliquam cæremoniam fuisse neglectam, ac statim ipso die electionis, quo aliqui ad dignitatem quandam electi erant, Officiis resignabant. Ita ob talem errorem C. Figulus ex Galliâ, Scipio ex Corsicâ iam Consules renunciati, Officio sese abdicaturi Romam redierunt. Quin imò ob non nullum errorem Auspicum P. Cœlius

M. Cor-

M. Cornelius, M. Cetegus, C. Claudius munere se abdicarunt. Sufficiebat P. Claudium responsum habuisse Deos incolere ædes Marci Tullii, ut eum vi non extraheret.

Valer. Max. Lib. 1. cap. 1. Quomodo ergo non confunderis, qui ob minimum occupationem negligis illud festum, dum legis, quod Romanis profligatis ad Cannas per triginta dies omnes Domicellæ fuerint in continuo luctu; cum hæc lugeret amissum fratrem, illa maritum, hæc filium, ac quidem ità inuiolabiliter, ut ipsi ludi, qui eo tempore exhibendi erant Deæ Cereri, omitterentur, ex hoc solum, quod nonnulla faceta intermiscerentur?

Alexand. supra. Prôhte, qui tam levi negotio festa violas, nec te præ pudore sepelis, cum legis quod in unâ urbe numerante tot milliones hominum, dum Senatus publico edicto sanciret everti Fana Isidis, & Osiridis, nec unus repertus fuerit, qui primò manus admoveret? Prohte, qui adeò spernis, ac traducis Personas, utpote religiosas, sacerdotes, cultui divino mancipatos? Quid dices, cum legis Vestales virgines non prodiisse in publicum nisi fasces consulares præferrentur, ac quod nullus Magistratus unquam ausus fuerit earum supplicis, ac decisionibus reluctari. Dum Romá occupatâ à Gallis, fregienti Alvamio casu occurrerent, uxore, & prolibus è rheda descendere iussis, eas invitavit, ut secum considerent. *Lib. 1. c. 1.* *Propior publicæ Religioni, quam privatæ charitati*, ut observavit Valerius. Quid ad hæc dices?

Nunquam audierant, vel viderant, quod illorum Dij condidissent Mundos, Elementa ordinassent, morbos curassent, mortuos resuscitassent, ventos sedassent, tempestates placassent, miracula patrassent, sed solum vanâ persuasione credentes, quod essent Dij, obsequiis tam caris, difficilibus, & nocivis eos coluerunt. Porrò quid non fecissent, si tot vaticiniis fuissent illuminati, tot scripturis edocti, tot miraculis convicti ut nos? Quod si vitam profuderint pro Diis ligneis, quid non fecissent pro Deo, qui pro eorum salute descendisset de cœlo, nasci elegisset in stabulo, educari in Officina, mori in Cruce?

XI. Profectò bene dicere potest Propheta: *Iustificavit animam suam aversatrix Israel comparatione prævaricatricis Iudæ.* *Ierem. 3.* Ut verum dicam, multi Gentiles si comparentur nobis innocentissimi sunt; quid ergò miri, quod ipsi in pace vivant summa, nos verò cominus bello, fame, peste exagitemur. Pudeat nos inquit Salvianus *qui Christiani dicimur, irritamus in nos misericordem Deum impuritatibus nostris; nihil est aliud scientia nostra, quam culpa, qui adhoc tantummodo legem novimus, ut maiore offensione peccemus.* *Lib. 4. de provid.* Tot auxiliis sacramentorum efficacissimis, ac exemplis peiores efficimur iis qui eum non noverunt.

Audite ergo, quid mihi mandet per Vatem: *Vade, & clama sermones istos contrà Aquilonem & dices revertere aversatrix Israel, & non avertam faciem meam à vobis.* *ibid.* Vos Tartari venite ad Deum, redite vos Angli, si vobis tam ubertim eas gratias conferret, quas largitur ingratis Catholicis, pro fectò alii evaderetis. Sed ego Auditores me ipsum demiror, quod tam diu discurrere potuerim de-

rim de argumento, quod me adeò confundit; Quod si dicta vera sint, sicut sunt verissima, liceat mihi in lacrymas prorumpere, ac concludere cum Damaso Papâ, qui hæc Eusebio discipulo magni Hieronymi scripsit. *Heu quod hodiè sacro sunt renati baptismate, quibus foret melius non fuisse; quod si tamen hoc prædicemus, non audimur.*

PARS SECUNDA.

XII. Pythagorici iis qui juxta eorum Professionem non vivebant, Epitaphia erigebant velut mortuis. *Orat. 3.* Certum est quod Philosophia Christiana non consistat solum in ligno Crucis; *Neque enim* inquit Themistius *chlamide, & Zonâ tenus quis miles habetur.* Palleum nihil aliud significat, quam virtutem; hinc Orator aureus: *Indumentum virtutis actio est.* *Hom. 10. in Matth.* Malè vivens palleum abiicit. Non sine causâ dicit Bernardus: *Monstruosa res est gradus summus, & animus infimus, sedes prima, & vita ima.* Similiter Salvianus eos non repectat Christianos, qui pravis moribus Christianam Religionem inhonorant: *de Provid.* *Serm. 237. de temp.* *Christianus nisi opera fecrit, fidem suam penitus approbare non potest; ac per hoc, quod probare non valeat, quia sit, sic omninò habendus est quasi non sit.* Necessariò sequitur fidem tuam non esse bonam, quia Augustinus, cui potius credendum, quam tibi, ita sentit: *Difficile est, ut malè credat, qui bene credit.* Et quomodo hic discursus non occidit? Ego, qui sum, sacro fonte ablutus, qui vitam æternam spero tanquam præmium bonorum operum, ac pœnâ æternâ noxas meas puniendas timeo, ego tot adjutus sacris inspirationibus, externis admonitionibus sacrificiis, Sacramentis, non vivam sanctius uno Catilinâ, Clodio, qui Deum nunquam cognoverunt? Hoc argumentum non est tam elumbe ut tu putas:

XIII. Deus non rarò illud argumentum adduxit, sic enim amandavit Heliam ad mulierem Saraptanam Gentilem, vt ab illâ cibatus commiserationem erga alios disceret, qui fame moriebantur, ut observat Basilius Seleutius. Ita in parabola viatoribus à latronibus pessimè tractatis charitatem Samaritani opposuit crudelitati Sacerdotum, & Pharisæorum. *Basilius Se seu Orat. 11.* Ita in sanatione leprosorum adjunxit, *Non est inventus, qui rediret, nisi hic alienigena.* Ita dum iret curatum servum Centurionis adeò fidelis, omnes Scribas secum duxit, cum tamen alias patrationi miraculorum nullum vellet adesse. *Matth. 9.* *Vt viderent* inquit Chrysostomus, *esse penes Gentilem legis cultum, penes militem stipendium gratiæ, penes Romanum fidei doctrinam, & in frigore Pagono Christianum calorem.* Nullibi tamen illud tam fortiter ussit, ac hodiè in Evangelio. *Serm. 10:* Quem putatis fuisse Regem Ninivitarum, qui tantam egit pœnitentiam? Juxta Interpretes, Sardana palus. Hic vir adeò lascivus, & effeminatus ad prædicationem unius vilis mendicabuli subitò conversus est. Nec tamen Hebræi ad prædicationem non solum trium dierum, sed nec trium annorum, non audiendo servum sed nec filium Dei, non ad minas, sed nec ad miracula, vitam mutarunt. Porrò quam excusationem poterunt adferre? Profectò nos qui Christum cognoscimus minus excusabiles sumus. An credi-

creditis quod plusquam par sit virtutes extulerim Gentilium? Aut quod iis, qui eas posteris tradiderunt excesserint? Nequaquam. *Transite ad insulas Cethem, & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si mutavit Gens Deos suos, & certè ipsi non sunt Dij.* Parumper itote Constantinopolim, ac videte, annon aliter servetur lex Mahometi, quam apud nos lex Christi? Videte an non Bonzii suos Chamos, & Fotoquos majori prosequantur reverentia, quam nos Christiani verum Deum, qui tam leviter eum blasphemamus, & peieramus? Judæo non suadebitis, ut cibos vetitos comedat, dū Christianus ob quatuor teruncios legem jejunii violabit. Hinc dicunt Sancti: *Quod Gehennalis pœna Paganorum, est infinito minor, quam malorum Christianorum*, quia secundum Rupertum: *Levius multo est Deum nescire, quam cognitum irritare.*

Ierem. cap. 2.

Euseb. ad Dam. 1. tom. 9.

Auditores mei uti sentio, sic dico, quicunque vestrum damnabitur, paret se ad illas exprobationes à quibuslibet Gentilibus sustinendas. Dum infernum hæ Gentes damnatæ intrabunt, clamabunt, & dicent. *Et tu ergò vulneratus es, sicut & nos*; Quomodo hoc queat fieri, cum *Ambulasti in medio lapidum ignitorum, in delicijs Paradysi Dei fuisti?* En suprà in gloriâ illum tuum fratrem, illum tuum amicum, condiscipulum, beatum. Quomodo ergo tutam bellam fortunam lusisti? Unicâ Confessione potuisses salvari, ubi nunc nobiscum damnatus es. Vos Auditores vitæ emendatione ostendite, quod hanc doctrinam perceperitis. Magis confirmor in opinione Pici Mirandulandi. *Magna profectò insania est Evangelio non credere, cuius veritatem sanguinis martyrum clamat; Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, mundus testatus, elementa loquuntur, dæmones confitentur: sed longè maior insania, si de Evangelii veritate non dubites, vivere tamen quasi de cuius falsitate non dubitares. Quid possumus aliud dicere, nisi multos esse nomine Christianos, sed re paucissimos.* Stultus est, qui veritates nostræ fidei non credit. Stultior est ille, ac ut talis proclamabitur in valle Josaphat, qui fidem Christianam profitens vivit deterius Turcâ, Pagano, Judæo.

Rupert. in Exod. lib. 4. cap. 31.

Isaiæ 14.

Ad nepotem.



CON-

PRO DIE IOVIS
DOMINICÆ PRIMÆ

Filia mea male à Dæmonio vexatur. Matth. 15.

Ostenditur quam sit portentosa insensibilitas nostra in malis extremis hujus ævi.

1. QUod si mundus tragicum quoddam foret spectaculum (uti finxerunt nonnulli) ab illo Deo effictum, qui tantum difficultatis in eius constructione reperit, quantum obnitentiæ in eius conceptione, cuiusque Ideam conceptam, dum exhibere decrevit; Cœlos velut theatrum ordinavit, in quo suas hierarchias distribuit, tanquam gradus, Angelos instituit spectatores, pavimentum solidum supposuit terram, scenam illustravit planetis, actores sub tegumentis visibilibus introduxit substantias spirituales, ego quidem ex una parte comœdiam adeo præclustrem in ætates velut in actus, in sæcula velut scenas distinctam admirarer, ex altera tamen econtra, graves oppositiones tutari non possem; cum enim in Comædiis ita ratione ipsâ dictante, spectacula grandiora semper succedant, quoque magis ad finem tendunt, illustriora in iis repræsentantur. Hic econtra, ubi primi actus exhibuerunt cumulum stuporum, actus, quem nunc exhibet est ita inanis, & vacuus, ut nec ullum miraculum in se ostendat.

Postquam Adamus, qui prologum acturus in theatrum prodivit, suggestore male ei suggerente, lineas quas recitandas habebat non bene recitasset, præ rubore se subduxit, statim persona cum scena mutata est, ac ex paradiso delitiarum in avernum pœnarum migravit. Postea porro continuantes comœdiam, non fuerunt adeo miseri, quin miseriis portenta miscerent, personati ad miraculum usque in scenam prodibant, & ex ea exibant. Isaac in ea se ostendit ab Angelis prædictus, Samuel ab hominibus non expectatus, Enoch ex illâ subtraxit se ad paradisum, Elias curru igneo ex ea raptus est in cœlum.

O quam insignes cathastrophes scenarum? Nunc exhibetur totum mare, ut factum est in diluvio, nunc totus ignis, ut in urbibus Pentapolim, totæ tenebræ, ut olim in Ægypto, nunc totus splendor, ut olim Hebræis. O quam insignia interludia! Hic agitur Josephus in cisterna, Jonas in Cete, Noe cum animantibus in arca, Moyses cum Vniverso populo mari conclusus rubro! O quales ignes artificiosi! Rubi, qui nutriebant flammas incombusti, Columnæ, quæ erant inter ardores solis umbræ, inter horrores noctis luces, fornaces, quæ flammas resti-

tinguebant, corpora reſtaurabant. Quæ ſpectacula in aere? Abacuc delatus fuit per capillos, ſolis curſus cohibitus unicâ iuſſione, Nubes unico nutu diſperſæ! Quæ bellæ ſcenæ in aqua! Tanguntur, & fiunt ſanguis, calcantur, & evadunt ſolidæ, tranſuadantur, ac migrant in foſſas. Quam nobiles Metamorphoſes! Mulier mutatur in ſtatuam, jumentum in vatem, virga in ſerpentem, petra in fontem, flammæ educuntur e puteis, flumina è ſaxis, ſententiæ è puerulis, liquores è cadaveribus, advocatur ferrum, & ſupernatat aquis, ſidera inclamantur, & ad ad pluvias diſponuntur, pulſatur mare, & virgæ ſubijcitur.

Verum enimvero Author Comœdiæ perſonatos non bene egiſſe male habens, ipſemet in theatrum illos edocturus deſcendit, perſonamque ſervi ab omnibus abjecti tam ſcitè egit, ut applauſum omnium retulerit creaturarum; ſignificare voluit hac vice magis, quam unquam ante, ſe vires ſuas oſtendiſſe, ac portenta maxima ordinarias eius eſſe occupationes. Nullo non tempore ſuavitas gratiæ violentavit naturam, ſæcula præterlapſa, plura numerant miracula, quam dies, Horæ in Thaumaturgos ſunt mutatæ, nec prodigia unquam ceſſarunt, ac ut clarius dicam, quod res eſt, nullum fuit ævum adeo miſeriis conflictatum, quod inter argumenta plangendi, non haberet plurima admirandi.

Noſtrum ſolum ob miſerias ſuas mirandas, ultimum in ordine, ſed diſordine primum, mille habet cauſas lachrymandi, ſed nullum miraculum, cauſam gaudendi, & ſe iactandi. (NN) Sæcula aurea tranſierunt, nobis vero fæces remanſerũt. Sumus abominatio deſolationis, nec tamen eſt, qui ad montẽ confugiat Deus, non iudicat nos dignos, qui aliã Tragædiæ ſuæ videamus partem. O quam funeſtas cataſtrophes! nimium irritamus, & occupamus eius iuſtitiam, ac ideo portentis patrandis locum non damus ejus cuncti potentiæ Porro ſi deſiderare aveas, quid ſit hodie miraculoſum in mundo, dico, quod poſt examen accuratum nil repererim, quam malitiam immenſam mortalium. Hoc eſt maximum malum Eccleſiæ Dei, ac animarum Chriſtianarum, nec totus infernus grandius cauſare poteſt, unde quilibet animæ ſuæ dicere poteſt: *Filia mea malé à Dœmonio vexatur.* In hoc monſtrum velut objectum ſingulare noſtri ſæculi incidimus, ac ponderatis cauſis, adeo mihi monſtruoſum viſum eſt, ut hodie illud pro miraculo vendere audeam dicens cum vate: *Tenebræ ſtupefecerunt me: Babylon dilecta mea facta eſt mihi in miraculum.* Et niſi hoc probavero, non credite mihi. *Iſa. 21.*

Pars prima.

II. Quod peccent filii Adam nil miri, parens ſiquidem eorum malo iis præiuit exemplo, dum factus incola paradiſi terreſtris, ubi dum potuit carpere fructus vitæ, venenoſis, ac fatalibus paſtus eſt. Nimis malignæ ſunt conſtellationes ſub quibus nati ſumus, non enim in libra juſtitiæ originalis, ſed. *In iniquitatibus concepti ſumus* Cũ in ordinatiſſimo horologio hominis, rota præcipua ratio nempe ſit turbata, quid miri ſi, rotæ minores peſſimé ſtri- *Pſal. 50.*

deant, totamque machinam corporis absque ordine in imum deprimant; Notantur fallaciæ in vultu, confusiones in gressibus, dissonantia notabilis in sono. Profecto nimias radices in horto nostra fixit talis planta, ei fovendæ requiritur omnis vitæ calor, ad eam eradicandam falx mortis. Postcaquam miseræ animæ tam gravem contraxerunt morbum, ob quem iis adeo compassus est Zoroaster, nil est miri, quod viribus necdum instauratis, plures patiantur lapsus, quam figant gressus.

Nullum itaque est portentum, quod in orbe dentur peccata, cum enim ea sint connaturalia, non sunt ab homine aliena, cumque assuetudine sint trita, non sunt nova. Verum enimvero, quod tali tempore, quo nullus deberet vivere peccator, sint tot, ego pro maximo miraculo mundi habeo. In antecessum porro suppono, aliquid uno tempore posse esse naturale, ac prodigiosum pro alio. Quod in partibus Septentrionalibus sub ipsam hyemem ningat, nil est novi, sed quod Romæ, in qua vix December videt nives in monte Esquilino, nivem viderit Augustus prodigio tribuendum est. Rosæ à Dorothea præsentatæ Theophilo in Februario præ novitate miraculi magis perculerunt oculos, quam odore grato recreaverint nares. Solæ circumstantiæ id valent, ut malitia, quæ antea fuit usus, nunc sit miraculum. Si ab oraculo, scholarum requiram, quid sit miraculum? Respondebit, Nil aliud quam effectus extraordinarius causæ ignotæ.

Apud Rhodogin.

S. Thom. 1. p. q. 105.

III. Hoc posito sic discurro. Magnum prodigium in mundo habemus, nemper inter infinitas miserias, in finitas malitias. Deus totus in eo est, ut è malo nos absterreat, vos vero ut in illud ruatis. Vivimus illo sæculo ferreo, de quo Chrysostomus: *Crescit inopia rerum, crescit malitia populorum; sævit in cunctos necessitas; sævit cunctorum impietas.* Supplicia, quæ solebant esse antidota contra peccata, jam videntur esse incentiva eorundem. Hodie de nobis potest dici, quod quondam de Trevirensibus Salvianus: *Incredibile est, quod loquor; Assiduitas illic calamitatum, augmentum illic criminum fuit, putares poenam ipsorum criminum, non aliud, quam matrem esse vitiorum.* Natura in declivi est, sed in ascensu peccata. Fataliter decumbimus, ac venena in medicamen adhibemus. Mundi lapsus iminent capitibus nostris, nec collum flectimus. *Orbis ruit*, inquit Hieronymus, *& cervix nostra non flectitur; nec amputamus causas morbis, ut morbus pariter auferatur.*

Hom. 2. de Elia.

de provid, C. 6.

Epist. 3. ad Æliod.

Nunquam adeo atrocia fuerunt supplicia, nec tamen unquam tam assidua scelera. Incidimus in manum iustitiæ divinæ, & ejus adhuc abutimur misericordiâ. Poenæ nostris humeris incubant, & tamen in cordibus gestamus magnetem peccatorum. Revera nos perstringit Chrysostomus; *Proh nefas; nulla ex poena correctio, & quasi adversis hominum malitia promovetur, sic crescit quotidie, quod puniatur.* Tot jam annis lachrymis Deus nos irrigat, ut emolliamur, & nos in hoc balneo magis induresc imus. Ille fornacem iræ suæ conatur calefacere, nos vero adhunc ignem amplius infrigescimus. Peste in nos sævit, ut recordemur, nos esse

ejus

ejus servos, nos vero eum omnino è mente nostra abolemus. Hi sunt effectus, (N N.) quos ego portentosos voco, Nam sicut negare non poteritis eorum raritatem, ita nec causam assignare. Me hercle effectum hunc peregrinum esse dico, nec communem. Nam communis vivendi modus hominum exigit, ut imminente supplicio, tollatur peccatum ejus radix.

IV. Nos primi sumus, qui regulam universalem, quæ ut vera semper admissa fuit, restringimus, nempe quod: *Omnis peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa.* Et profecto ratio clara est: *Quia ibi jam dolore constrictus ad rationem oculos aperit, quos hic voluptati deditus clausit.* Revera illud Cor monstrum indigito, quod ita est occlusum, ut clave afflictionum non reseretur. Homo non est Adamas, qui percussus non sentit, Luteus est, qui ictibus confringitur. Non est Salamandra, quæ flammis resistit, cera est mollis, quæ ob pauxillum caloris diffluit, ac consumitur. Non est Marmor, quod malleis non conteritur, memoriæ est tenacis, retinens, quod semel afflixit. Verum quidem est, quod fortunâ favente nulla sit potentia, quæ ejus levitatem lacessat, nulla eminentia, quæ ejus superbiam prosternat, nulla humilitas, quæ ejus præsumptionem supportet: Nam ut dixit ille: *Secunda res acrioribus stimulis animum explorant; felicitate corrumpuntur.*

S. Greg. l. 15. mor. c. 3.

Vide in Aoph. teg.

Verum mox ut DEUS manum vertit, locatque à sinistris eum, qui fuit à dextris, mox ut hæc papavera excutit, hos montes fulmine petit, subito is, qui cum cœlo certabat, in imum se deprimit, qui nimis altè volare contendebat, deijcitur in terram, quoque peior fuit in dignitate, eo præstantior est in moribus. Insuper si Aquilis pennas regales extrahas, sunt gallinæ, Leonibus, si ungues præcidas, sunt Lepores. Tigridibus si dentes excutias, aut vincias, flecti se sinunt. Unde mirum, quod homo tribulationibus non emendetur, sed peior evadat. Quod ergo manus non retrahamus à culpa, cum Iudex illam extendit ad virgam, quod ad Medicum non confugiamus, dum malum ingravescit, quod vela non explicemus vento adverso, miraculum censendum est, cum sit ita præ naturale. Naturale est homini sistere, vel retrahere gressus, si incidat in spinas, collum inflectere, si pondus aggravetur, pacem rogare si potentiæ hostili sit impar. Naturale est homini in tenebris palpare, inter arcta se conglobare; Naturale est homini declinare culpas, ut declinet ictus, vitam emendare ne perdatur, unum dolorem redimere altero, nec novâ materiâ veterem augere, adversarium potentiorem placare, & non novis offensis irritare, supplicia fugere, & non novis culpis nova provocare. Tempus prosperitatis est ver vitiorum, in hoc flores, maturescunt, decerpuntur, extra hoc sunt miracula, nō secus, ac flores in hyeme.

V. Quod si id credere nolitis ad historicos itote, ac videte num satis speculationi praxis non concinat. Scio equidē vos reperturos inopiam virtutū, sed non alibi, quam ubi annona abun-

dat mores perversos, sed non alibi nisi ubi aer purgatior, animas incultas, sed ubi optime culta est terra. Invenietis Sibaritas in campis amoris diffluere otio, Trojanos inter opes Phrygiæ tumere fastu, Syracusanos inter prosperitates Siciliæ luxu torpere, Babylonios inter voluptates Syriæ putrescere, Thessalonicos inter paradisos omni tempore spirare Boreas, Persas inter delitias Asiæ superbiâ turgere. Invenietis quidem id contigisse quod Poeta cecinit: *Emollit gentes clementia cœli.* Sed simul videbitis esse naturale, & non consuetudinem, quod homo, quo est infelicior, eo se digniorem calamitate reddit.

Lucanus in Phar.

Exemplis id probemus. Pharao fuit lapis, sed virga, quæ lachrymas saxis elicuit, ei etiam illas excussit. In tenebris densissimis, ac palpabilibus vidiet, ac tetigit suos errores, aquis rubescentibus præ cruore in ruborem datus est. Dum formam mutarent serpentes, ipse proposita mutavit, dumque perirent primogeniti, ipse seipsum lucratus est. Dæmon fuit Nabuchodonosor, qui volens esse Deus, homine exui promeruit, relegatusq; ad fœnum, & paleas in cibo illo bestiali rationem amissam invenit; quamprimum obstipus, ac cernuus incederet, animum erexit: Verbo fuit bestia, antequam id adverteret. Manasses quamdiu ad clavum regni sedit fuit manceps vitiorum, purpurâ tegebatur, sed tinctâ sanguine innocentum, sedebat velut magister scelerum, ubi pro tribunali sedens, ea eliminare deberet. Verum mox ut solio exutus, ac regno deturbatus fuit, incepit esse homo. Regno exiens seipsum intravit, alterius sufferendo sævitiam suam agnovit, à dura servitute modum regendi addidicit, & ex experimento mali, elicuit bonum. Submissio, quâ à se antea despectis sub mittebatur literum oculis excussit, Lachrymisque priores dignitates redimens honori restitutus, dicere cum illo poterat. *Perieram nisi periissem.*

VI. Non ignoratis quales fuerint Hebræi, homines insolentes, intractabiles, palatu tam vitiato præditi, ut allia Ægypti præ ferrent dapibus cœlestibus, voluntatis adeo perversæ ut nati viderentur, DEI patientiam exercitaturi, cui iuxta Tertullianum, patientia ex natura in delitiis est. Veruntamen mox ut conflictati asperis fuerunt, non amplius recalcitrarunt. Observat cum Pererio Barradius, quod quamvis propensissimi essent in idololatriam, spatio tamen ducentorũm annorum, quibus in Ægypto sub durâ gemebant servitute, nunquam in eam pro lapsi sint. Lateres coquendo fuerunt probi, ac frugi, terram promeriti sunt promissionis, antequam eam haberent, propriis imperabant affectibus, quamdiu aliis subiacebant, quotiescunque delitiæ eorum in supplicia declinarunt, aliquod bonum inde manavit.

Ab hostibus lacessiti, fœdere cũ Deo illigati nõ fuerunt nunquã inemendabiles, nisi quando in tuto se positos credebãt, qui Hierosolimis erant pessimi, in Babylonia fuerunt sanctissimi. Porro quid dicam de Ninivitis? Quidam Vates profugus à Cete in littus eiectus, Niniven, & quidem absque literis credentia-

dentialibus, ac mandato pergit. Vix in Verba prorumpit, & statim omniũ oculi nimbos lachrymarum profundunt. Rex, ut pœnitentia reddatur solemnior, privatum, ac subditum se reddit, dumque concepti anima doloris gravitatem sustinendo non esset, in partem jumenta vocavit. Tota Ninive in cineres abierat præ nimio feruore in ea succensæ. Bulgari, ut nihil dicam de aliis populis, qui nil humani præter faciem habebant, quantumvis essent facinorosi, ac feri; Veruntamen dum se viderent maximè ærumnis confici, capacissimos sese Christianorum dogmatum reddiderunt, ferocitatemque animi vivis ignibus combusserunt, dumque morerentur, vivere incipiebant, aerisque pravis influxibus animæ infectiones curabant.

VII. An non ergo sit miraculum, quod nos à naturâ dociles, moribus mites, professione sanctiores, excœcemur; Ubi illi fuerunt illustrati? Ibi nos pertinaciores fiamus, ubi illi sese dederunt? Nos peiores evadamus, ubi illi sese emendarunt? Quis quæso vos (N N.) sit effectus rarior: *Vt ex occasione lucis hauriamus materiam tenebrarum?* Uti ante centenos annos dixit Leo. Scio ego sanctos Patres, dum viderunt similia, ea censuisse extraordinaria. *In serm. de Nat.*

Quod Salomon vir adeo sapiens, illecebris carnis se permiserit, omnes quidem memorant, sed nullus demiratur, cum juxta Ambrosium, *Magna illecebra delinquendi rerum affluentia secundarum.* Verum, quod Socrates inter inediam, ac egestatem ijsdem vitiis immersus fuerit, nequit capere Cyrillus Alexandrinus. Quod Romani, dum necdum mundum pugillo continerent, eundem inter turbaverint, & dum majorem partem in sui deditionem coegerant, vitiis se dederint, cunctarumque nationum mores imitati fuerint, prodigique tunc fuerint, cum aurum supereffluerct, Salvianus tolerat, quia perspectum habuit, quod: *Vix poterat Religionis authoritas in tanta rerum exuberantia, morum tenere censuram.* Attamen postquam barbari totam devastarunt Italiam, Capitoliumque mutarunt in campum, ac Romam in tumulum, posteaquam favorem secundæ fortunæ luserunt, vitiis non valedixerint, nequaquam potuit capere Augustinus, qui ipsis in os obiecit: *Perdidistis fructum miseriarum vestrarum, miseri facti estis, & pessimi permansistis.*

Lib. 2. de Interp. Iob cap. 5.

Lib. 3. in Tull.

Quod Adamus peccaverit in Paradiso, nescio an aliquis demiretur, hoc tamen scio, quod Chrysostomum in stuporem egerit dissolutio Cham filii Noe tempore diluvii; ac revera non immerito; siquidem portentum fuit quod aquæ, quæ hauserunt integrum orbem, concupiscentiam unius hominis submergere haud potuerint. Quod Cham inter tot bestias migrarit in belluam, ac in arca positus, dum reliqui naufragium patiuntur, ipse scelus patrarit, quod orbem eluvione involvebat, non censeo quid alienum; sed quod nos in hoc mari furibundo navigantes tempestates concitemus potius, quam ventos sedemus, capere nequeo. Quid magis paradoxum? *Cum minima pars nostri jam perierit, hoc* *Salvia. ubi sup.*

agimus, ut pereamus omnes. Videtis ergo (NN.) quod effectus sit peregrinus.

Verum nunc expecto, ut causam indagetis. Cum ipsemet Deus eandem exquirat à suo Vate. *Quare aversus est populus iste aversione contentiosâ, apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti?* Nescio quis mihi eandem dicere queat. An forsan potentia Dei per succursum continuum defecit, an clementia per protectionem, patientia per tolerantiam remisit? An nos fortasse ejus excidimus memoriâ, dum manus ejus non evasimus: *Nunquid oblivisci poterit misereri Deus?* An forsan non sumus factura manuum ejus, ut, dum sumus ultimi, simus minus accepti? An forsan merita Christi sunt diminuta, aut ejus quinque vulnera occlusa per quæ nostrum agit advocatum? Verum, quomodo possit senescere gratia in authore gratiæ? Quomodo possit exvere patrem, qui cum patre eiusdem est naturæ? An forsan causæ adeo efficaces non applicantur? An forsan nobis non sint eadem sacramenta, quæ primis Christianis nostræ debilitati eadem arma, nostræ infirmitati eædem medicinæ, nostris sordibus eadem balnea? An forsan nullum habemus intercessorem? Num forsitan injurius sis Matri DEI, totæque curiæ cœlesti, singulariterque iis, qui proximè à nobis cœlo sunt illati, quique fortassis nobis coniuncti amicitiâ, vel consanguinitatis nexu fuere? Revera rem acu necdum tangimus. Quænam ergo causæ tam efficaces, quæ vice suorum effectuum totum in nobis contrarium vident produci? Revera ego non minus hoc demiror, quam si ex igne glaciem, aut ex glacie ignem viderem oriri.

Hiere. 8.

Isa. 19.

X. Verum huc usque putabam vos indispositionem subiecti pro causa adducturos, Ac Mehercule diu id expectavi; quia tam admiror quod simus mali, quam censeam nos habere optimas dispositiones, ut simus boni. Sanctus pater Augustinus duas exigit dispositiones, ut homo amplectatur bonum, primum, ut agnoscat, id ad quod obligatur, secundum, ut alliciatur ad obiectum cognitum. Quoad primum, nemo dubitet id nobis deesse. Faxit DEUS, ut cognitioni opera necteremus. Et quando fides obscurior fuit, quam hodie? Quodnam sæculum fuit magis illustratum? Quodnam ævum plures numeravit Theologos, Philosophos, Canonistas? Libri spirituales sunt plures, quam spiritus, Prædicatores plures, quam pulpita. Nil est nisi doctrina, scientia, Moralitas. Ex alterâ parte porro totum est perfidia, superbia, Luxuria. Revera non est quod nobis adulemur, merito siquidem accusatione Ieremiæ prophetæ involuimur, quam populo Hebræo impegit: *Percussisti eos, & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam* Attamen excusatio, quæ eis fuit, nobis non convenit: *Et dixi forsitan isti pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini, & judicium Dei sui?* Iactabundi nos iactare possumus cum nostro rubore, pauca æva tantâ cognitione DEI illustrata fuisse, quam nostrum; Nam quod illi viderunt, nos legimus, quod post illos evenit, nos vidimus. Adeoque non est defectus cognitionis. Et an possumus incusare

Lib. de pecc. Merit.

Ierem. 5.

cusare

cuſare effectum, ſeu voluntatem, quæ eſt ſecunda diſpoſitio? Quid DEUS non fecit ſciens ſenſibilia maiorem movendi potentiam habere? Mille modis ſua attributa oſtendit. Qualiter nos non tetigit, ut eum ſequeremur? Quid non egit, ut amore ducti eum quæreremus? Quomodo nobis non fuit ſuaviatus? Quot mediis nos non invitavit? Tot annis quantâ familiaritate nos non ſuſtinuit? Noſtra, quam ſecundam non habuerunt fortunam? Ruſtici, quâ non pace ſunt fruiti? Solum, quantâ non copiâ fruges protulit? Aſtra, quam bene ſuis influxibus nos non honorarunt? Nihiloſecius omnia in vanum,

Videns itaque DEUS vulnera fruſtra obligata, & oleo fota, ferrum prenſavit, cumque amorem non potuit inſtillare filialem, periculum vult facere, num timorem nobis inducere non queat ſervilem. Et è veſtigio immiſit bella, quæ campos mutarunt in deſertum, inducias, quæ mille nos cumulant anxietatibus, paces, quæ nullam indulgent quietem, anni tempora inclementiſſima, ac inordinatiſſima, aeres, qui pravos exhalent humores, terram, quæ parcâ manu miniſtret annonam, flumina, quæ inundatione ſubmergant villas, ventos furentes, qui proterant prædia, turbines, qui conquatiant arbores, vermes, qui abſumant folia, peſtes, quæ tollant amicos, negotiationes, quæ cenſum non augeant, cibos, qui ſanitatem lædant, voluptates, quæ parum delectent. Hæc omnia Deus tentat, ſed quid efficit? Sufficiebant hæc timorem inferre lapidibus. Verum in nobis quid profecerunt? Nihil omnino. Imitamur ſiquidem mortales poſt diluvium, quorum nemo ut obſervat. Auguſtinus, à Noemo uſque ad Abrahamum nominari meretur. Non degeneramus à Loth, qui poſt Sodomam hauſtam flammis id cum filiabus præſumpſit, cuius cogitatus, vel horrorem induxiſſet. Inſiſtimus Samaritanis, qui poſt inediam tam diram, uti queritur Chryſologus avidius in vitia, quam panem avolarunt. Sequimur Achaz, qui poſt ærumnas, quibus diu confectus fuerat, in barathrum ſe ſcelerum demerſit, ita ut hæc de eo legamus. *Inſuper, & tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum.* Villico in hæremus Evangelico, qui in jus vocatus obſervante Chryſologo peius quam ante Domini bona adminiſtravit.

[Margin: Iuſtin. vit. lib.3. cap. 1.]

[Margin: Lib. 22. contra Fauſtum.]

[Margin: Paulin. Lib. 2. c. 28.]

[Margin: Chryſol. ſerm. 26.]

O miſera Chriſtianitas, & ad quos non es fines reducta! Eſtne poſſibile, ut loquar cum Cypriano, quod. *Tantus cladium terror dare non poſſit conſcientiæ diſciplinam, inter populum frequenti ſtrage morientem, nemo recogitet ſe eſſe mortalem?* Revera miraculum eſt cenſendum, quod tot ſupplicia, quibus legimus Deum antehac in peccata animadvertiſſe, non valuerint timorem DEI immittere. Prodigium eſt, quod nos emendare non potuerint terræmotus, qui ſex menſium ſpatio Conſtantinopolim inhabitabilem reddiderunt, Antiochiam ſolo æquarunt, Nicomediam abſorpſerunt; bella, quæ Carthagines, Babylones, Romas, everterunt; fames, quæ obtruſerunt Spartianis ſerpentes, mures Caſilinis, feles Athenienſibus,

[Margin: Tractatu contra Dom.]

ensibus, mulieres, Sardis, proles Hebræis. Nil hic dico de hiatibus terræ ad mergendos blaterones, fulminibus ad interimendos audaces, ruinis ad opprimendos superbos.

Verum enimvero, an magis est mirandum, quod nos, ut inquit Salvianus: *Tormentis nostrarum iniquitatum, nec ipsi quidem, qui jam à Deo plectimur, corrigamur?* DEUS immortalis, dies adeo ærumnosos numeramus ut merito crepusculum supremæ diei nos contigisse credere liceat, & quidem satius, quam id quondam suspicabatur ex sævitia persecutionum Tertullianus, ex seditionibus hæreticorum Athanasius, ex immanitate pestis Cyprianus, ex assiduis bellis Ambrosius. Porro quod si quondam solus rumor, sola fama, esto infundata recitatorum suppliciorum urbes transformabat in eremus, sanctoque timore animos consternatos amorem Dei manuducebat, quomodo hodie prius moveantur montes, qui cineres euomendo nos invitant, ut iis operiamur, linguisque flammeis loquendo ignes eructant, quam nos homines? Et forsan, an hic subsistat illatum Salviani: *Vastata est Italia ot jam cladibus?* Ergo Italorum vitia destiterunt? Minime, nam plus quam ante: *Vim facimus Deo iniquitatibus nostris, ipsi in nos iram divinitatis armamus, cogimus ad ulciscendas criminum nostrorum immanitates nolentem Deum; prope est, ut eum non permittamus, ut parcat.* Quod si tot ærumis constricti tam perversi simus, quid non faceremus delitiis diffluentes? Dubitem, an securius vitiis immersi, remotiores à nobis, à Deo magis alieni essemus probi. Peste plura mala dispellenda, mores emendandos sperabant, uti factum in Christianis circa annum millesimum à Christo nato, quo juxta sensum plurium patrum, ut refert Baronius, supremus dies illu cesciturus credebatur, omnes siquidem se totos pietati manciparunt, tamque confestim ad templa concurrerunt, ut eorum plura dilatare oportuerit; Ast non ita nos; quamvis enim necdum extra omne periculum simus, novis tamen nos sceleribus immergimus. *Recesserunt à nobis copiæ veteres, recesserunt priscorum temporum facultates; miseri jam sumus, & nondum nugaces esse cessamus.* Et annon merito dixi: *Babylon dilecta mea facta est mihi in miraculum?*

Salvia: ubi sub.

vide Iosephum Acostade de ultim die Lib. 1. c. 2.

Salvia: ubi sub.

XI. Nonne prodigium est, quod nostra facinora sint adeo enormia? Quod nobis per supplicia tam bene dispositis ad habitus virtuosos recipiendos, causisque omnibus applicatis ad eos inducendos, nil efficiatur? Si hoc miraculum non possit nuncupari, nescio si aliquid tale dici mereatur. O nos miseros! Qui Deo à miraculis cessante, miracula patrare incipimus! Jam tandem minæ intentatæ per Isaiam ad impleræ sunt: *Admira ionem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo; peribit sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Dum quidam sanctus Abbas Monachum quendam carnis molestiis expmturus, mille modis exagitari jussisset, ac post aliquod intervallum ab obuio quæsivisset, quomodo jam ageret, à discipulo stupefacto hoc responsa tulit: O Pater, *Vivere*

Salvia: ubi sub.

Isa. 29.

Vivere non licet, fornicari ergo licebit? O Christiane, tali tempore vivis, quo vix fugâ vitæ consulis, & adhuc tibi spiritus ebulliant, ac pruriant in libidinem? Ergone dum *Vivere non licet, fornicari licebit?* Agedum, Deus diutius te sustinere non potest, dicitque per Vatem: *Super quo propitius tibi esse potero?*

Remedium mihi potentissimum supererat, nempe manus tibi dorso superligare, ac tamen elapsus es. Tempestate te exercui, assiduoque agitavi, ut Lethargo te excitarem, tu vero an audivisti? Nequaquam. Sed dicere potes cum eo, de quo sapiens: *Eris sicut dormiens in medio mari; & quasi gubernator amisso clavo, & dices, verberaverunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non sensi, quando evigilabo. & rursus vina reperiam?* Nil aliud te anxiavit, quam auræ magis propitiæ absentia. Verum, ubi nunc hæretis meæ lachrymæ? Cui vos servatis? Sumus in abominatione desolationis, & tamen non est: *Qui fugiat ad montes.* Mundus limini ad motus est, & videntur prudentiores dormire. Profectò hoc omen pessimum est, quod necdum epotarunt amarum calicem Domini. O Sacerdotes ecquid agitis in altari? Animæ sanctæ eccur hæretis in templis? Eccur oculis nimbosis Dei iram non placatis? Eccur non dicitis, cum Ecclesiastico: *Innova singna, immuta mirabilia?* Quæso te Domine ne miracula similia continues. *Innova signa. Immuta mirabilia.* Flagitamus miraculum misericordiæ, & non iustitiæ, & esto aliud non foret, rogitamus tamen illud solum ex hoc. *Quia apud te propitiatio est.*

Prov. 23.

Cap. 36.

XII. Divus Chrysostomus disertè more suo ponderat, cur Lamech septies multiplicato supplicio supra Cain pro meruerit puniri? Tandemque causam assignat, quod Lamech viso supplicio Cain à culpa sibi non temperarit. Quod si à me exquiras, cur Deus à flagellis, quibus te exercet non desistat, dicam, vel ideo, quod non solum alienæ, sed nec tuæ poenæ te moveant. Quoties non Deus per vates suos ingeminat excidium Hierosolymitanum, ex eo solum, quod deletâ Samariâ nec per hilum fuerit mutata? Apud Oseam voci feratur Deus: *Vlcis car sanguinem Iezrael super domum Iehu.* Sed cur Domine? Quia iisdem se noxis contaminavit, ob quas Deus per Jehu domum Achab exscindere decreverat.

In cap. gen. 4.

Cap. 1.

Nos colla eius iugo subdere nolumus, sed ipsi onus bene erit, cui nos supponat. Inter alias fictiones Rabinorum hanc lego. Nabucho donosor videns principes Israel ad exilium relegatos exoneratos per illud inambulare, ex membrana librorum legis saccos componerent jussit, quos arenâ repletos iis imposuit. Verũ quod illi finxerunt, id hodie veritas est: nos enim, qui onus misericordiæ divinæ detrectamus, à Deo in iumenta iustitiæ suæ mutamur. Et quod res ita se habeat nimis clare videmus. Porro nil consultius, quam ut antidotum quæramus, quo malum pellamus, quod tantum stuporem, ac insensibilitatem nobis invehit.

Ast nonnemo dicet. Amice mi in hoc insudare videris hodie totus, ut orbem in æquilibrio ponas, cui ego

repono, quod cuidam Nobili: Qui multum indolebat mundum quotidie in pejus ire. Quidam simplex è divi Francisci familia Laicus respondit, & ita reposuit, Domine mi, si tu egeris partes boni nobilis, & ego boni Religiosi, certi erimus, nobis duobus mundum bene iturum; Utinam civitatem hanc sanctam reddere possem. Sed en modum. Quilibet suæ obligationi satisfaciat, & sanctam urbem habebimus. Aulis exsint simultates, Curiis amor proprii commodi, Mercatibus fraudes, divites sint humiles, pauperes patientes, puellæ in cultu corporis modestæ, Juvenes compositi, nec ulla de nobis querela erit.

XIII. Porro reperire est aliquos, qui alias domos sanctas velint, de propriâ, nil soliciti. Totos dies vociferando insumunt, nil miri esse, mundum adeo sceleratum à Deo puniri. Et quid mundus commisit, dum tu parti tuæ dees? *Quis cœlis terram non misceat, & mare cœlo, si fur displiceat Verri, homicida Miloni; quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* Deus flagellat peccata, & quidam etiam tua, quæ forsan sunt enormiora. Dumque mundus dicitur non emendari, de te, qui ob scelera neci es destinatus, fabula cuditur, quam de vulpe recensent. Hanc Rustici captam, processu formato ob frequentes direptiones gallinarum, morti addixerant: Vulpecula per advocatum libellum porrigi jubet. Sed quid existimatis ab illa postulatum? An vitâ donari, libertati restitui? Minime. Quid ergo? Hanc sibi supremam gratiam fieri petierat, educeretur ad mortem per plateam, in qua gallinæ venales prostabant, ut laqueo induta unicam adhuc deplumare posset, Est qui ob insidias illas, ac fraudes innocenti structas vindictam Dei sentit. An eum dolere putatis? Nequaquam. A Deo tempus, ac vires postulat, eum denuo circumveniendi. Sed sinite eum fatali Lineæ admoveri, tunc ei Apologus Corvi aptari poterit: Morbo decumbens Corvus à Matre efflictim rogarat sibi Deos propitios faceret; Cui Mater ægre id successurum retulit, dum absumptione victimarum eos sibi infensos haberet.

Ad te Christiane redeo, ultimæ lineæ admotus, quodnam tibi percupis attributum favens à Deo expostulari? An attributum misericordiæ, quo tot annis abusus es? An justitiæ, quam irrisisti? Ego interim Colophonem non addo, nisi meum vobis judicium promam. Quamne putatis me causam habere, cur judicem inter tot adversitates nos magis perverti? Duobus verbis edicam. Nemo in id adigi potest, ut credat afflictiones, quibus premimur esse fructus suorum peccatorum, ideoque absque ulla formidine eorum semina jacere pergis. Est quispiam, cujus filius fatis concedit, & illico Medici Socordiam, vel inscitiam incusant. Dic porrò sodes, cur non magis armaris in te ipsum, qui ei ditando injustitias committens, DEUM accivisti, ut eum mundo subduceret? Ne quæso in alios bilem effundas, DEUS luculenter testatur à se tibi afflictiones immissas. *Non est malum in civitate quod non fecerit Dominus.* Amos. 3.

Bella

Bella indefinenter devaſtantur orbem, nec eſt, qui non queritetur, pacem mundo non poſſe reddi, niſi aliquot Politici è medio tollantur. Ut dicam, quod res eſt, rem necdum acu tetigiſtis. Omnia hæc ſunt flagra DEI, Niſi Vindicem manum Numinis provocaremus, actutū arietem à bono, & pia opera impedientem Mundo ſubduceret. Nec virgas Vulcano donabit, quouſque profeceritis, ac lectionem callueritis. Poſteaquam Phocas imperio Orientis donatus eſſet, duriuſque vaſallos habuiſſet, uti eos habuerat Mauritius, ac tota ejus ſtirps; quidam Aſceta devotus, uti refert Athanaſius, Deum lamentis pulſans, indoluit Imperatorem tam atrocem ab eo creatum; cui è veſtigio cœlitus reſponſum: *Quia non inveni peiorem.* quæſt. is in ſcript.

Mundus tam perverſus eſt, ut eum exagitari oporteat, vix aſtra influxus ſiniſtros influunt, ac ſtatim Medici domicilio Jovis, Dominio Martis, & Saturni totum attribuunt. Veruntamen negari quidem non poteſt, quin hi planetæ elementa alterent, ſed nō niſi Deo permittente, qui alias vento leviſſimo cuncta hæc aberrantia impedire, vel corrigere poſſet, hæc fiunt.

Itaque (NN.) mei, ut concludam, cum noſtrum interſit bonum commune, quæſo vos, quilibet illud procurare ſtudeat. Agimus quadrageſimam, tempus pœnitentiæ, peccatis nos exoneremus, quæ tam publica, quam privata ſupplicia ſecum trahunt. Quod ſi hoc negligamus, certi ſumus Deum nunquā nobis placandū, quippe qui facilius ſuâ poteſt exui Divinitate, quam noſtris adaptari iniquitatibus.

Pars ſecunda.

XIV. Percepiſtis radicem mali monſtruoſi noſtri ævi, nunc ejus medelam percipite. *Filia mea malé à Dæmonio vexatur; & ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit dicens: Miſerere mei Domine fili David.* Optimum pharmacum noſtrorum malorum eſt limites exire peccatorum, vitam emendare, calentiſſimiſque votis DEI miſericordiam implorare. *Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.* Nunquam animo inducere potui à me detegendam cauſam ſtuporis, ac inſenſibilitatis noſtræ ſub virga Dei, donec hanc rem à Michæa vate edoctus ſum. *Facti ſunt cogitantes labores, & operantes mala; quia non levaverunt ad Dominum manus ſuas.* En fructum noſtræ ſocordiæ, Deum tam raro in mente habemus, ac ſi Deus non eſſet. Valde ambigo, an noſtrum aliqui, vel ſemel in anno animum in eum intendant, eius auxilium imploraturi. Scietiſne mihi dicere cauſam, cur primi Chriſtiani tam ſanctam egerint vitam? Sanctus Lucas eam ediſſeret. *Erant perſeverantes in oratione.* Prout obſervat S. Act. 1. Auguſtinus, ubicunque, ſequeſtratos, ac remotos à tumultu ſe inveniebant, orationi ſtatim ſe dabant. Hodie vero, inquit Niſſenus, *Ideo abundat in vita peccatum, additionibus ſemper in majus augeſcens, quoniam oblivio DEI tenet omnes, & orationis bonum rebus ſeriis ab hominibus non ſemel adhibetur.* E ſenſu mundi ſolis Monachis orationi vacandum, ſtudiiſque, ac negotiis, omne tempus eſt ereptum, quod illi impenditur.

Verum obijcitis mihi, & quid aliud nisi orationes nostro ævo repetuntur in ecclesiis? Quid nisi psalmi decantãtur in choris, quid nisi quadraginta horariæ ordinantur preces? Per bellé profectò, quippe ego quicquid sit de substantia, ex modo declarabo, hasce non esse orationes. Conscientiæ vestræ tribunal appello, an ex formâ, & specie externâ processionum, colligere possitis, populum non precum fundendarum ergo concurrere, sed potius, ut exerceat pedes, ac spectandum se præbeat? Quod si nostri ecclesiastici divinum per solueutes pensum, populusque assistens mentes erigeret in Deum, an creditis eos tam perniciter ad finem properaturos? Quod si in modum, quo Vesperis, ac Missæ assistimus attendatis, rescire poteritis num orationi vacemus.

Amantissimi Patres, qui tanta prædicatis de oratione, cum Augustino eam laudando quod sit: *Oranti subsidium, Deo sacrificium, Diabolo flagellum*: Cum Chrysostomo. Quod sit *radix, & basis omnium virtutum*, Cum Nisseno *quod sit Arx, commune propugnaculum, & Munimentum*; Cum Bernardo *Clypeus salutis*. Cum Machario. *Honestarum actionum summus vertex*: Cum Euthymio *Sancta Metamorphosis*, Cum Dyonisio *catena secum trahens cuncta bona*. Valde me cruciatis dicentes Orationem esse clavem paradisi, repagulum, ac seram inferni, & per omnia cunctipotentem; nostram siquidem reperimus nihil posse Malis obruimur, nec oratio ea arcet, aut iis nos liberat. Scitis ne causam? Illam dicam cum Cassiano asserente orationem nostram esse quasi nutibundam, & quodammodo ebriam. Tam tepide, & somnolenter oramus, ut nos ipsi nesciamus quid á DEO petamus.

Nostræ orationes sunt similes filiabus Jovis, quæ idem sunt, ac preces quas finxit Homerus adeo debiles fuisse corpore, brachiis, genubus, ac tibiis, ut dum juberentur mortalibus gratias à Jove postulatas advehere, sæpe illas in plateis effunderent, iisque privarent eos, qui eas præstolabantur. Dicerene auderetis (N N.) Dœmonem hoc nostro ævo cum sua phalange futurum tam potentem, si veræ orationi incumberemus? Nequaquam. Unicus nostrum eum exarmare posset. In hujus confirmationem lego in libris Patrum, quod Julianus Apostata citis equis in Italiam quendam Dœmonem sibi familiarem amandarit in expeditione Persica gesta relaturus, hunc porro post decem dies totum confusum re infectâ reversum, asseverantem à Publico Monacho viam sibi præclusam. *Sustinui per decem dies Publicum Monachum, si forte cessaret ab oratione.*

Hac de causa Dæmones in id connituntur iunctis viribus, ut hanc familiaritatem inter Deum, & nos impediant: Certi nos nullatenus ipsis esse formidini, nisi inquantum cum Deo mediante oratione colligamur. Et quia oratio nos illo fœdere cum Deo connectit, hinc apud Hebræos. *Thephilac: & orare Deum & coniungi DEO* significat. Unde & totos intendunt nervos, ut nos ab oratione præpediant.

XV. Qui-

XV. Quilibet hic merito in deliberationem vocet, id quod dixit olim S. Nilus: *Bellum universum inter nos, & Dæmones non nisi de oratione.* Vix proponimus mentem colligere, ut ad Deum recurramus, & statim totus infernus arma corripit, & classicum canit. Præ reliquis tamen vobis sancti Sacerdotes, quos Nazianzenus nuncupat *supplementum mundi*, incumbit id supplere, quod in mundo de est, ac egestatem tot populorum reficere. Dum mentem subit id quod sanctus Cyprianus sacerdotibus, & Diaconis scripsit, merito excitamur ad calentissimas, & fervidissimas preces publicas ad Deum in altari, & choro transmittendas. Ecclesiæ Affricanæ non opimæ meritis, sed fœdissimis erroribus quotidie in pejus ruebant, reiectis dogmatibus Apostolicis hæreses amplectebantur Novatiani, dumque mores pravi elementorum constellationi sinistræ suppetias ferrent, cœlum mire terræ excanduit. Vitas, quas homines in persecutionibus atrocibus pro Christo prodigere detrectarunt, absque merito contagiosa pestis devoravit.

Sanctus Cyprianus sub onere tam gravium ærumnarum gemebat, & ab ipso Deo, quonam venio tot turbines concitarentur supplex rogavit? Cui è vestigio Divinum oraculum respondit, clareque absque ambagibus edisservit, ob unicum defectum orationis Africam furiis, ac devastationi Dœmonum consignatam. *Hoc nobis per visionem exprobatum sciatis quod dormitemus in precibus, nec violenter oremus.* Quod Deus gladium vibret, nec unus nostrum velut Moyses eum cohibeat, undis sanguineis deplorandum est, & à propheta ipso plangendum. *Non est qui consurgat, & sanet te.* Quid diceremus, si Deus in tot Ecclesiasticos unicum obtutum figeret, ac ingeminaret illud Ezechielis: *Quæsivi de eis, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam.* Nunc itaque obtestor vos, conspiremus in orando, ut ita quadam suavi violentiâ Deum cogamus ad tempora meliora nobis præstanda,

AMEN.



CONCIO IX.

PRO DIE VENERIS
DOMINICÆ PRIMÆ

Cum cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei, vis sanus fieri? Ioannis 5.

Nemo est miser, nisi talis esse velit.

1. MIsera generatio humana. Plurimum tibi obfuit venenosus ille bolus, quem charitas imprudens mulieris tibi porrexit. Dum sanguinem tuum tam turpiter corrupit, tam fœde humores turbavit, tot morbos tibi immisit, in comperto est, eum à serpente confectum. Planissimas vias Dei inambulasti, tamen nec unquam desiisti claudicare, Venas aquarum, vivarum occlusisti, & perenniter inarescis, facem extinxisti, quæ tibi in tenebris prælucebat, & errando vagaris, imo sicut cœcus palpando incedis, fulcra, quæ te sustentabant evertisti, unde tremulus pendes, imo paralyticus es. Id solum tuis extremis miseriis, deest, quod is qui eas levare potest primus illas irrideat. Dulcissime Domine, omnis boni nostri prima causa, instrumentum, ultimus finis, & principium, vidi, quod intraveris has quinque magnas porticus, in quibus non jacet unus tantum, vel alter infirmus, sed *multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, aridorum.* Et postquam tu Angelus testamenti credidisti nil esse amplius expectandum à cœlo, subito illud Isaiæ verificatum est. *Deus ipse veniet, & salvabit vos, tunc aperientur oculi cœcorum. & saliet sicut cervus claudus, & quæ erat arida, erit in stagnum.* Isaiæ 18.

Interim conspicio, quod dissimulando tuam potentiam & pietatem accedas quendam misellum triginta octo jam annis obstinatissimâ paralysi confectum, quamvisque scias, quam impensê sanitati recuperandæ insudarit, eum tamen interrogas, num sanitati restitui velit. Ast, annon hoc est eū traducere veluti bardum, qui non cognoscat, quid sibi sit proficuum, aut si cognoscat, id spernit? Quis in dubium trahat naufragio exposito nil magis in votis esse, quam littus, equuleo distentum nil magis appetere, quam tormentorum finem, inter flammas urentem, nil impensius desiderare, quam, refrigerationem. Veruntamen absit (N.N.) ut hodie nostrum judicem reum proclamemus, quin potius mysterium interrogationis adore-

adoremus. Cur is interrogat, in quem nullus cadit error? Necessario dicendum infirmum illum, multis nostrũ non absimilem esse, qui tanto affectu nostis adhæremus miseriis, ut potius voluntas, quam oportunitas fortunæ desit, ut iis expediamur. Et ne ab aliquo, hoc hodie insolitum videatur, declarare proposui, idcirco mortales in suis hærere miseriis, quia nolunt iis eximi. Hinc immerito assiduis querelis lacessunt naturam, fortunam, cum apertissimum sit, nullum in mundo esse miserum, nisi qui vult.

PARS PRIMA.

II. Quod si unquam, hodie toto rigore est disputandum. In antecessum porro duo genera miseriarum sunt distinguenda, naturalium scilicet, & vocantur pœnæ, moralium, & sunt culpæ. De utrisque autem argumentum nostrum verificari probandum. Nec mihi negabitis, quin sola nostra imaginatio sæpe causet mala quæ primâ fronte nos affligunt. Quot non sunt, qui cum solis umbris dimicant, dum ab inimicis se undiquaque cominus cingi putant? Iis evenit, id quod quondam accidit castra Mithridatis sequentibus; hi siquidem in bello contra Pompeium, dum umbram lu-
lorus l. 3. næ haberent à tergo, eandem, quasi
5. hostes extimescebant. Nos irridemus Chinenses, qui dum in tabulis
rigautius expedit. geographicis à patribus nostræ Societatis exhibitis, Chinam didicerunt non in centro sed angulo mundi sitam, gravi dolore correpti sunt. Quod si nosmetipsos penitius introspiciamus, forsan magis ridiculos timores deprehendemus.

Est nonnemo, qui instar Aman præ furore morbum contrahit eo, quod à Mardocheo non sit honoratus, cum tamen non ex despectu, sed ex incuria depositione pilei venerationem omiserit. Cogitationibus absorptus erat, jamque præterierat, dum id adverteret. Quam multi sunt Alexandri, qui deplorantes se mundis privatos qui non sunt, dumq; bonis veris, nequeunt potiri, imaginationibus se fictis oblectant, & risui se exponunt? Non mala, sed sola imaginatio malorum eos miseriores reddit. Hic currit illud: *Quicquid recipitur per modum recipientis recipitur.*

III. Tibi cœcitate nil est miserius, quæ tamen Democrito summa fœlicitas fuit. Exhorrescis paupertatem tanquam matrem desperationum, cũ tamen eandem Crates, ac alii multi tanquam omnibus bonis dotatam avidissimè amplexati sint. Mors ipsa, quam adeo formidas à pluribus amata, quæsita, & procurata fuit. Quid ergo dicis? Nonne verum est te his miseriis imaginariis conflictari, quia id vis? Emenda tu tuum errorem, & omnia salva sunt. Non sum tamen adeo stultus, ut in solam apprehensionem omnia nostra mala derivem. Dantur multa vera mala, dum reipsâ, & non apparenter nostro bono adversantur. Grando illa, quæ fruges pro-

proterit, turbo navigantes infestans, Mors exercitum imminuens, damna negotiationes lacerantia, non sunt mera entia rationis. Sit ut sit, apprehensio horum malorum potissima est causa detestationis eorundem. Sunt aliqua, quæ quo magis commiscentur, ut ferculum ex iis conficiatur, eo magis palatum animi corrumpant. Cum autem maxima horum pars proveniat à nostris pravis, & socordibus passionibus, non mihi negabitis iis nos torqueri, quia ea quæsivimus, & numeratâ pecuniâ comparavimus.

Est qui lamentis prosequitur se militiæ nomen dedisse, idque quia nocte altissimâ, vel debet lustrare stationes, vel in loco periculosissimo agere excubias, vel inter loricas à sole adustas ebullire, vel congelari in agris, campis nive oblitis, humi cubare, sub Jove frigido dormire, continuo exponi discrimini vitæ, vel famæ, glandium, insidiarum, & aliorum similium malorum. Sed dic sodes, an non is hanc vitam ultro elegit, dum crepantibus, & frementibus parentibus, amicis, propriâ complexione militiæ nomen dedit? Patienter militiæ disciplinam servet, & omnibus miseriis exemptus erit. Mercator ille diris devovet Maris Siculi voracitatem, rapidum cursum Oceani Liguritani, scopulos sinus Romani, Syrtes Orarum Affricanarum, Vertices latentes, gurgites, & voragines fundi expertes, Pyratas, qui naves diripuerunt, Pyratas Algairienses, qui tot damna intulerunt. Sed dic quæso, an non quia vult, solum affligitur? Contentetur si in cistis ducenta scuta minus recondita habeat, moderetur expensas, tot magnificas non exstruat domos, tot vineas non comparet, tam amplam dotem filiabus non corroget, & omnia salva erunt, ventosque irridebit. Alter consumitur suis litibus, assiduo à Procuratoribus, Advocatis, Judicibus vexatur, nunc insimulatur ignorantiæ, qui terminos non intelligat, nunc proclamatur irrationalis, qui à ratione deflectat, nunc traduciter ut tenax, qui ducatos non profundat. Verum an alivnde hæc patitur, quam à propriâ voluntate? Proponat deinceps ex blattis, & tineis scripturas tam diu latentes non ervere, cunctis prætensionibus non nimis tenaciter inhærere, arbitris rem amicabiliter componendam deferre, & continuo se omnibus curis exutum videbit.

Plures sunt, nec ego per capillum id miror, qui sanitate destituuntur quia eam nolunt. Hodie corpus exonerant, cras illud vino opplent, bibunt non quantum debent, sed quantum possunt, nulla noxia devitant. Sunt & alii, qui caput libris incumbendo torquent, nunc affliguntur contradictoria conciliare non valentes, nunc inquietantur, ut dubiū decidant, nunc hoc argumento involuuntur, hac difficultate cruciantur. Vitam possent agere contentissimā, si moderatis opibus, & famâ contenta ri vellent.

IV. Porro hic verissimum est, *Qui vult esse, vult & consequentia ad esse.* Ille amoribus correptus non periret, si amoribus se extricare vellet. Ille aulicus invidiâ tabescit, quia nimium ambit. Usurarius avaritiâ non torqueretur, si nimiis opibus coacervandis non insu-

insudaret. Involuntaria ergo solum illa mala dici potuerunt, quæ non quæsita à nobis sese offerunt, aut ex delusione phantasiæ, aut ex passionum effrenium intemperie. Sed & in his, si persistamus miseri, voluntati id tribuendum. Quæso vos ne in bilem effundamini. Intelligite me bene. Cum habeamus Deum adeo bonum, qui sese publicâ astrinxit fide, postulatis affuturum: *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis*, dicere possem argumentum esse manifestissimum, nos miseriis nostris nolle eripi, dum adeo raró iis eximi postulamus, nullus siquidem asseret eum velle finem, qui media non adhibet, quæ potest. Et quamvis hoc sit verissimum, assumptum tamen meum pro babo, cum constet plurium preces non exaudiri. Quod si propositionem meam bene observaveritis nequibitis me erroris insimulare. Non dico, quod omnes in vincula dati, in exilia relegati, lecto affixi, iisdem adhæreant, quia volunt; à mundo quippe toto mendacii impudentissimi arguerer, sed intendo probare ab eorum voluntate proficisci, quod desolati, tristes, impatientes sint.

Matth. 18.

Dicimus cum Augustino *voluntate homines esse miseros, non quod miseri esse velint, sed quod in ea voluntate sunt, quam etiam eis in vitiis miseria sequatur necesse est.* Vtinam hoc omnes caperemus. Miseriæ non faciunt miseros. Felicissimus erat Paulus inter vincula, Laurentius in craticula, Agatha inter forcipes, Apollonia inter flammas, socii Francisci inter ignominias, discipula S. Dominici cancro laborans. Non nescio à nobis Christianis in dubium trahi veritatem ab ipsis Epicureis ambabus ut aiunt manibus amplexatam. Audiamus de iis Ciceronem: *Dicunt ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, sapientem etiamsi in Phalaridis tauró succensis ignibus torreatur, dicturum tamen suave illud esse.* Causam allegarunt virtutis potestatem in quamcunque fortunam. *Vt non posset esse unquam vir bonus, non beatus.*

Lib. 1. de lib. arbit. c. 14.

Orat. in Pisonum. 43.

V. Ne mihi dicas Charissime, te à tempore affligi, id enim concederem si alius non esset modus, quo obtineatur felicitas, quam exemptio à miseriis; sed cum æque possimus esse felices inter afflictiones miseriarum, ac extra eas, si nempe id optimum censuerimus, quod vult, si ex doloribus spem, suppliciis merita, damnis lucra elicuerimus, consequitur necessario te miserum esse, quia sic vis. Velis, nolis, verum est Oraculum Quintiliani, *Nemo nisi suâ culpâ diu dolet.* Ipso sensu Gentilium Marcus Regulus inter vincula Carthaginensium, Caius Marius inter paludes Minturnenses potuerunt non esse miseri. Nunc ergo tu vide, qui Christianus es, an tu cum tot gratiis, si velis, possis non esse miser. Deinceps ergo nemo querelis verberet proudentiam divinam, quasi nil oblectamenti præster.

Lib. instit. 8.

Quid dicitis stulti? An fortuna mala nos adigit in perrennem inquietudinem? Minime. Sola vestra voluntas ad tribulationes vos damnat, & nisi hoc ita sit, respondete mihi ad argumentum, quod valide comprobare possem ex Epicteto, Senecâ, Chrysostomo in variis literis ad Olimpiadem. Dicite sodes, an non præter mala naturalia

turalia dantur alia, quæ, vel nos stulte apprehendimus, & fingimus, vel immoderatis passionibus excoecati, ultro quærimus, aut naturaliter miseri in illis permanemus? Nemo negabit, quin mala primi, & secundi generis nobis plane sint voluntaria, cum evidens sit, apprehensiones, passiones, quæ eorum sunt causa posse corrigi, & refrœnari. Et quamvis mala naturalia effugere non possimus, cum tamen habeamus media, per quæ non esse miseri quimus, nemo inficias ibit nos solum esse miseros, quia volumus.

Verum vos quibus meus perspectus est genius, bene advertere potestis, longe aliud à me intendi, quam quod solum respectu miseriarum naturalium nemo sit miser, nisi velit; quippe, quod de naturalib⁹ dixi, magis probatùm vellem de moralibus; quod intendo declarare. Prodite in medium vos, qui toto anno vix duos dies transmisistis in gratiâ DEI, ac dicite vos velle hoc non obstante salvari; nam ego conabor ostendere, nec hanc volitionem vobis inesse. Manifestissima est implicantia, quod duæ voluntates contradictoriæ pro eodem tempore eidem subjecto insint, cum ergo tam evidens sit vos velle damnationem, chymerica erit vestra volitio salutis. Porro antequam disputationem aggrediar, in antecessum decisum exoptarem ubi agitur de voluntate, an potius æstimanda sint facta, quam verba. S. Joannes Chrysostomus apprime sciens linguam ordinarie obtegere defectus cordis, utque famam salvet, eam officiosissime mentientem proferre, id quod velle deberet, & non quod vult, solum operibus credit, quæ voluntatis indices sunt: *Opera testimonia sunt voluntatis.*

hom. 46. in Matt.

VI. Nec ego credo à vobis id negandum; enimvero, si quispiam per viginti, aut triginta annos suam erga vos benevolentiam jactasset, dum vero sese offert occasio vobis serviendi, id negligeret, quin potius damnum inferret, & vos proderet, an non dubitaretis de ejus bene volentiâ. Imo meritissime, quia unicum factum index cordis, majorem meretur fidem, quam quatuor millia verborum. Hoc quæso principium mihi servate, quia brevi illud repetam. Non credidissem in historiis, vel fabulis me fuisse repertu-rum, quod aliquis sua damna adoraret, ac coleret, iisque basiaretur. An vos putatis Tantalum amare poma fugientia, Sisiphum instabilitatem Saxi, Prometheum voracitatem aquilæ, Ixium volubilitatem rotæ? Nequaquam. Et tamen in Homero legi, quod merito me terrefecit.

Trojâ iam decennalem obsidionem sustinente, Rex Priamus eminentissimā conscendit turrem, animoq; versans ærumnas, quibuscum conflictabat, sic secū dicebat: in illo ponte prostratæ sūt auxiliares copiæ ab Amasonibus mihi submissæ, illud pratum virens cruore quinque filiorum tinxi, ibi divictus est Hector, ibi discerptus, in illo loco sepultus, super illum rivum occubuit Palladius, in illo littore cecidit Cicnus, in illo Menno, ibi illi Heroes, illic isti magnanimes perierunt. O miserum regnum! Et quam caró tibi constat unica bella facies? Helenam defendisti, ac omnes vires amisisti, Iam an-

nona

nona in granariis, defensores in moeniis, nummi in ærario deficiunt, crescunt debilitates, suppetiæ emanent, deditionem facere est probrosum, hostes vero sustinere diutius temerarium; Dum tristibus hisce cogitationibus agitaretur, Helena omnium malorum causa adest, & quod mireris, eam quam torvo abigere vultu, acribus perstringere verbis debebat, tanquam charissimam filiam amplectitur, osculatur, consolatur, & laudat. Eam filiam appellans iuxta se locat, & excusat, ac eam esse malorum causam negat. Quomodo? Quod si hæc fecissent adolescentes, qui obsidionis initio coniurarunt cum Paride, se eam nolle restituere, iis condonari posset; Sed quod unus sensatus senex, adeo desipiat, qui tot per eam malis affectus fuerat, quis ferre possit?

Quintil. l. 8 Cap. 4.

VII. Profecto non absque ratione tantus Poeta hanc finxit fabulam. Hujusmodi Priami plures in mundo sunt, ac milliones ego digito monstrare possem. Nonne scit ille, quod mox, ut incepit usuris ditescere nullam habuerit quietem à conscientia, nec tamen ab eis vult abstinere? Alter iurare posset post lapsum in libidines se absque anima vixisse, nec tamen emendationem cogitat. Alius certissimus est, quod inimicitias fovens divinam à se repulerit gratiam, nec tamen ignoscere vult. Est ne possibile, quod hi à vitiis omnem ruinam proficisci videntes nolint se iis expedire? Quinimo, sed nolunt. Noluntne ergo consequenter cœlo admitti? Ita: Noluntne ab inferno præservari? Non. An nolunt consortio sanctorum, & DEI frui? Ita. Possetne hoc de iis credi, qui Luce fidei illustrati sunt? Interrogemus oro vos eos, ut videamus, quid responsuri sint. Huc, huc o vindicativi, usurarii, Sensuales, cupitisne vestris ervi miseriis, & salvari? Attendite, quid dicatis, quia si vultis potestis; optime siquidem dicit Os aureum: *In te est, ut possis, quia in te est, ut velis, ita enim velle efficit nolle non posse.* An ergo vis salvari? Quinimo, sed crasse mentiris, utque hoc ostendam, accipio opera tuâ, quibus iuxta dicta potius adhibenda fides, quam verbis, quibus os mihi oblinis.

Hom. de Zach. tom. 2.

Ergone credere possim, eos expediri velle spurcitiis sensuum, qui continuis libidinosis conversationibus assuescunt, qui in ecclesiis lascivis sese obtutibus pascunt, qui nonnisi obscœnis oblectantur libris, qui non nisi prostibula, & amasias frequentant. Sed quid dicitis vos vindicativi? Vos vultis pacem, cũ tamen continuo meditemini bellum, quorũ stomachus adeo vacuus est Christiano calore, ut spatio viginti annorum nullum durum valuerit concoquere verbum, qui de eo nunquam loquimini, quin vobis excidant diffamationes enormissimæ, quiq; adeius nomen, poenam morte graviorẽ probatis. Exoptatisne vos auaritiæ sordibus eximi, qui quotidie aliena bona rapacius clelitis, vestra contractioribus manibus largimini, qui cistas ducatis confertas possidetis, qui eleemosynam illius egeni, sartoris stipendium, servi solutionem, villici expensas &, labores in litem trahitis? Ne id mihi persuasum feceritis, siquidem stultus est, qui id credit.

VIII. Ex fructu dignoscitur arbor, & non ex comâ, voluntas ex factis, & non dictis. Audiamus Chrysostomum? *Vbicunque fuerit desiderium hominus illuc dirigitur, & sensus ipsius.* Aristoteles insuper à me interrogatus, quænam sint indicia ex quibus cognoscam voluntatem hæc mihi tradit: *Dolor, & voluptas indicia sunt voluntatis.* Sincere mihi fatearis, quid te delectet, quid te contristet, & absque ulteriori declaratione dicam, quid velis, vel nolis. Non oblectaris nisi libris obscœnis, conversationibus in honestis, actionibus vindicativis, propositis capitosis. Ex his tua proficiscitur ruina. Ex quo conficio, dum his adeo delecteris, te nil velle, quam tuam damnationem, adeoque nolle tuam salutem, utpote cujus volitio repugnat cum voluntate ruinæ.

In Matth. Hom. 48.

1. Rhet. Cap. de Aps.

Quicquid è salute tua est, id te affligit, Nempe cancellis legis divinæ constringi, sanctos audire discursus, libros evoluere pios, sacras frequentare ecclesias; ex quo euadit te repudiare finem, cuius media abominaris. Vel Aristoteles me fallit, vel tu, sed veniâ tuâ, ei potius credo, quam tibi, adeoque ex tua tristitia, & gaudio evidenter judico, te longe aliud velle, quam tu tibi imagineris. Credo Auditores vos his dictis meis turbari, sed quid ego possum contra? *Scio*, cum Chrysostomo, *quod aures vestras offendunt, & vellicant verba hæc; sed ignoscite: avidus vestræ salutis hæc loquor.* An creditis me delectari vestrâ desolatione? O dilectissimi Auditores, arctius vobis divinctus sum. Ego vobis dico Mundum perversis scatere, qui dum se tales esse negare nequeunt, palpum vobis obtrudunt, se, esto sint perversi habere tamen voluntatem piam, ac sanctam. Sed id falsum est, sunt Chymeræ, quas in iis fabricat diabolus, ubi enim liquent prava opera, non potest dari bona voluntas, & hoc mihi evidens est, Nec enim frustra Christus hodiè paraliticum interrogat: *Vis sanus fieri?*

Hom. 24 in Scenes

IX. Cum eodem sancto plango, & me affligo. *Omnes quasi pecudes abducimur; idcirco mihi major est, & indesinens dolor.* O peccatores, quod si votum emisissetis arcessendi vestram ruinam, an largius à via salutis aberrare possetis? Quid tunc aliud, quam modo ageretis? Tunc omnes occasiones peccandi insequeremini, quod & modo facitis. Fragilitatem vocaretis inobstinationem, sicut & modo. Annon ergo essetis delusi, qui dum citis equis volatis ad infernum, vos ipsos palpatis, ac si velletis salvari? Crasse erratis. Huc adsitis, & vos docebo, quid sit velle, ac desiderare beatitudinem.

Idem eadem hom.

An non videtis tot milliones Martyrum vias terentes cœli, ad illudque conscendentes? Attendite paulisper, num animum despondeant, & viribus deficiant in stagnis congelatis, in metallis liquefactis, in equuleris, craticulis, inter lictores, bestias, cassides ignitas, fornaces ardentes, inter nodosas fustes, ungulas scorpionum. Hic absque pedibus volat, ille caput manu gestans properat, Bartholomæus cœlum petit pelle exutus, Agatha uberibus evulsis, Lucia sine oculis, Apollonia sine dentibus.

Imperatores Romani cum totâ

suâ

ſuâ potentiâ huic viæ obſtacula, & quicquid incommodi poteſt eſſe inijciant, Perſæ, Isdegerdi, Judæi, Gentiles, ſchiſmatici, hæretici cum tota ſua fæce eam imperviam reddant obiiciendo Cruces, equuleos, rotas, inſtrumentis quibus cunque torquendo, & ipſi tamen pedibus clavatis pergent. Sternatur, ac teſſeletur ſolum carbonibus ignitis, vitris fractis, pectinibus peracutis, clavis pungentibus, eos diſſecent, confodiant, telis petant, ſartagine frigant, cacabis elixent, verubus aſſent, ac torreant, lapidibus mergant, exenterent, excorient, nec propoſitum mutabunt, aut à Via deſiſtent.

In eiſdem ſemitis conſpicite ſanctos Confeſſores, qui amore virginitatis puræ tentationes flagris domant, Lacrymis appetitus coercent, ciliciis carnem macerant, Videte Anachoretas, qui deſiderio acti perfectionis haud vulgaris, poſt ſe trahunt dœmones vinctos, ſenſus mortificatos, affectus peſſundatos. In iisdem conſpicite Doctores, qui perſecutionibus hæreticorum non conſternantur, furiis tyrannorum non terrentur, Philoſophorum ſophismatibus non circumveniuntur, contradictionibus Atheorum non abſterrentur. Athanaſij irrident Arrianos, Hieronymi cum Origeniſtis concertant, Auguſtini Pelagianos exercent; Ibi videbitis Benedictos in Vipreto nudos, Bernardos in lacu congelatos, Franciſcos nivibus ſepultos. Iſti mehercule ſalvari voluerunt, & non tu, qui inediâ ſeptimanali (Deus porro ſcit qualiter peractâ) aſſumptâ, moriturum te credis. In eadem via videte illos uxoratos, quam ſibi vim inferant, ne conſortem affligant, quantum invigilent liberis recte inſtituendis, quantum deliberent, antequam paciſcantur, quam ſeduli ſint, quantum invigilent famulis, & ancillis, quam arcte ſtent fidei datæ, quantum allaborent, ut familia iis concredita ſalvetur, quam profuſi ſint in pauperes, reverentes erga majores, in expenſis moderati, templis frequentes, pietati dediti.

X. Iſti volunt ſalvari, & non tu, qui nec tibi, nec tuis intendis, ac ſi Deus aliorum curæ illos commiſiſſet. Nec decipiamur Auditores mei. *Vellem* (ſunt verba Chryſoſtomi) *vos ſermonem hunc diligenter memoriâ tenere*: Deus nolentes non cogit. Quod ſi nolimus, actum eſt de nobis: *Nam ſi ipſe vult, nos autem non volumus, ad noſtram ſalutem nihil proficiunt ea, quæ alioquin efficacia ſunt.* Nec deinceps mihi dicatis, quod velitis, quouſque factis id probetis. Qui libere agit, nunquam mihi perſuadebit, ſe id velle, cujus contrarium re ipsâ facit; qui aliter ſentit, activitatem bonæ voluntatis ignorat, quæ otioſa eſſe in cordibus perverſis tanto tempore non poteſt. Hoc perbelle ſciebat S. Auguſtinus ideo dicebat: *Totum habet, qui bonam voluntatem habet. Sola bona voluntas poteſt ſufficere, ſi cætera non ſint; ſi autem ſola deſit, nihil prodeſt quicquid habitum fuerit.*

Hom. de converſione Pauli.

Lib. 40 hom. hom. 9.

Verum enimvero, quis adeo ſubtili, ac polito vir eſt ingenio, qui ruborem ſuum defendere parans, dicit, ſe ideo bonâ non pollere voluntate, quia Deus eam non donavit? Siſte, ſiſte quæſo, nunquam enim niſi modo te convici. Ergo id, quod antea mihi

dicebas nempe te voluntatem habere firmam salutis, jam ultro negas? Ideo responsum tuum contra te retorquens ulterius progredior, ac urgeo, te non solum illam non habere, quinimo nec voluntatem habere, quod illam volitionem velis. Ad nullum aliud, quam tuæ conscientiæ tribunal te cito. Illa veritatem edicat, an unquam à Deo flagitaveris bonam voluntatem, quam ab ipso solo obtinendam scivisti. Edic quæso, quo tempore adgeniculatus, à Deo desiderium melius rogaveris tibi concedi? Quantumvis voce tenus hoc petieris, ego te irrideo. Flagitas annos nestoreos, sanitatem firmam, proles formosas, commercia prospera, illam hæreditatem, dignitatem, Victoriam, litis illius addictionem, persecutionis illius finem.

XI. Enimvero hoc Paganus ille apud Satyricum postulabat. *Da spatium vitæ, multos da Iupiter annos.* Quando unquam bonam voluntatem exorasti? Qui imo, an liberalier illam tibi concessam, acceptasti? Et adhuc nō adverris, quod sis delusus, dum tibi in aperto est, à te id non possideri, quo reipsâ cares. O te miserum? Quā appositè in te illud Joañis AngeloLaodicææ dictū quadrat *Dicis, quod dives sū, & locupletatus, & nescis, quia tu miser & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus.* *Iuven. Satyr. 10.* *Apoc. 3.*

Quid vobis ab initio dixi Auditores? nil aliud, quam quod miseri simus quibuscunque miseriis, quia sic volumus. Quod si Aman in crucem sit actus, ipse sibi eam fabricauit velut dignum suæ superbiæ solium. Si Goliath sit decollatus, temeritati id propriæ attribuat, quâ ensem innocenti victori in manus dedit. Quod si Absalon sit suspensus, ac transfixus, id aureis assignet capillis, qui laqueus exitialis ipsi fuere. Holofernus occiditur, quia Amazonæ Hebrææ gladium tradidit. Et revera hæc est miseria malorum nostrorum, quod nos ea cudamus. Nemone ergo salvabitur, nisi qui habet firmum propositum se salvandi? Quis de hoc dubitet? sed sunt paucissimi, qui hoc velint. O pessimas voluntates, quæ nos ità perditis! Ergone in despectum Dei, qui tanto affectu vult vos salvari, vos vultis damnari? O resolutiones stolidorū, desperatorum, stultorū, verba cedant Lachrymis, nam dum tanta veritas nō capitur, siccis oculis loqui nequeo.

PARS SECUNDA.

XII. Nil frequentius deberet esse in mundo, quam bona voluntas dicebat bene S. Augustinus: *Nihil tam facile bonæ voluntati est, quam ipsa sibi.* Velle nihili constat, nihilosecius tamen nimbi oculis defluunr, dum adverto nil esse rarius in orbe bonâ voluntate. An non in rebus concernentibus salutem maximam vidistis parcitatem? Ad ecclesias, quæ nos ad salutem ducunt, nō trahimur nisi choris Orpheorum, illas non intramus nisi novi apparatus, ac ornatus nos oblectantes adsint, ad Conciones, quæ nobis solicitudines salutis instillant non confluimus, nisi pellecti discursibus belle connexis, curiosis historiis, conceptibus raris, floribus historicis elegantibus. Ad Sacramenta, utpote saluté nobis influentia non currimus nisi festivâ solemnitate, indul- *Serm. 9. de verb. Dom.*

gen-

gentiarum largitate, excomunicationis metu inducti. & tamen adeo perversi, & cœci estis, ut quantumvis enormia patraveritis, ad huc vos palpetis bonâ voluntate. O bardi? Qui tam turpiter vos à Dœmone seduci permittimini, quod voluntatem chymericam æstimetis tanquam veram.

Huc adsitis; Severinus Bœtius, vos errore eximere vult. *Duo sunt*, inquit, *quibus omnis humanorum actuum constat effectus, voluntas scilicet, & potestas.* Quo admisso conficitur, unum, qui vult, & non operatur, carere potentiâ, adeoque ubi adest facultas, & non operatio, evidenter inferri, deesse voluntatem. Blasphemi, & mendaces essetis si diceretis, vos non posse facere bene. Deum siquidem promptissimum, ac paratissimum habetis ad vobis succurrendum. Hinc Pelusiota: *In spiritualibus, quibus adest voluntas, iisdem, & facultas non deest.* Nunc inferte consequentiam Quidnā autem sit voluntas, quā vos putatis habere dicat S. Bernardus: *Voluntas alia est sicca in reprobis, alia recta in inchoantib⁹, alia devota in proficientibus, alia beata in consummatis.*

Lib. 4. epist. 95.

In sententiis

XIII. Voluntas vestra bona, est voluntas sicca, hoc est non est vera voluntas, eo modo, quo missa sicca, non est vera missa, cum nullum habeat fructum. Me clarius expono. Hermas antiquissimus, ac inter primos Christianos celeberrimus Theologus, trinam assignavit voluntatem in homine. *Vacuam, semiplenam, & plenam.* Prima est voluntas vana & stulta, quam habent jactabundi, qui dum sunt pessimi, bonam voluntatem se habere censent. Porro hisce bonis voluntatibus infernus scatet, omnes siquidem damnati bonam se putarunt habere voluntatem, quâ voluerunt salvari. Altera voluntas partim efficax, & partim inefficax est: *Vult, & non vult piger; totâ die concupiscit, & desiderat.* Et hæc vulgatissima est apud nos Christianos, qui volumus, & non facimus. Hanc habuit Augustinus conversionis suæ initio: *Cum deliberarem, & servirem Domino Deo meo, ego eram, qui volebam, ego qui nolebam; nec plene volebam, nec plene nolebam: ideo mecum contendebam, & dissipabar à meipso.* Quot non sunt nostrum, qui possunt dicere cum Alcibiade: *Dioscororum se vitam ageret!* Per hos Dioscoros intelligebat Castorem, & Pollucem; qui nunc in cœlo, nunc in inferno erant. Nunc prandemus cum Deo, vespere cœnamus cum Diabolo. Voluntas nostra nec hilo differt à nostrâ vitâ, in ea qualitate juxta quam eam S. Ephrem definivit *repagulum, ac folles Organi ac fistulas putei.* Plurimi ex vobis tota vita veluti nonnulli Architecti imperiti formant in chartis arces, & palatia, iisque formatis, nec in opus deductis moriuntur: *In imagine pertransit homo.*

Prov. ..

Lib. 8. Confess. cap. 10.

In Plutarcho

Apud Crescon.

Hoc solum efficimus, quod cū hac voluntate non possumus plane esse vacui. Postrema voluntas est bona, de qua S. Bernardus: *Tunc enim demum perfecta erit voluntas, cum plane fuerit bona, & bene plena.* Hæc vix comparet in mundo, ac mox ut comparet, se statim ostendit. Hanc inquit *Deus ingentis pretij loco habet.* Nil adeo exigit in homine, quam hanc voluntatem: Ita Gregorius; *Deus non intuetur quantum quilibet valeat, sed quantum velit.*

Tract. de grat. & lib. arb.

Hæc

Lib. 12. Moral. Hæc cum ita ſint, an non maximũ eſt dedecus, cum Deus non requirat, niſi unicam volitionem, ut magni in regno eius efficiamur, quamque nos nullo negotio efficere poſſimus, quod illam non habeamus. Magna res, inquit Chryſoſtomus, *dum opes ſunt congregandæ; non ſolum voluntas, ſed & tot induſtriæ, itinera, contractus, exiguntur, & hoc ſolum ut obtineantur divitiæ:* ut ſalveris, *ſufficit ſi velis, ut oportet, & facias ea, quæ ſunt volentis,* & tamen adhuc ea non vis facere: *Et quomodo non eſt abſurdum ad res quidem terrenas tantum ſtudiam oſtendere, Cœlum autem mercaturos ſatis habere, quod ſolum velint; imo vero ne id quidem oſtendant, cum eo quo par eſt ſtudio.* Reſolvas te itaque O peccator: *Vis ſanus fieri?* Reſpondes ita, ſed repeto: *Vis?* Quid vis? *Velleitas* juxta Doctorem Angelicum *eſt voluntas incompleta, qualis ad impoſsibilia.* Quamdiu non oſtendis, quod velis, id de te benè expectare non poſſum. Res difficilis eſt facere bene? Hoc non diffiteor, ſed quamdiu non vis, non alias: *Qui vult eſſe bonus, nihil eſt, quod impediat, etiamſi prius eſſet improbiſsimus.*

Hom. 14. in 1. ad Cor.

ibid.

1. 2. q. 13. a. 5.

Sanctus Chryſoſtomus te certum reddit, quod intra duos dies ſanctus eſſe poſſis, ſic enim dicit: *Non enim multis diebus opus habet Dominus.*

Hom. 10 in Geneſ. An fuerit difficile Zachæo male parta reſtituere tibi judicandum relinquo. Attamen mox ut illud voluit, omnia ſalva facta fuere. *Zachæus id circo potuit, quia voluit, & alius idcirco non potuit, quia noluit.* Tu dicis, volo, ſed quomodo? Aſſeris, *Hominem non habeo.* Mentiris, *Ecce homo*, qui brachiis extenſis te expectat, dic ergo quid ego dicere volo. Nos O Domine ſumus in abyſſo miſeriarum, & quod peius eſt, nolumus exire. Tu ergo Domine omnipotentu tuâ miſericordiâ, accende in nobis ignem, ut hoc conſequamur. Nullum nobis deferas reſpectum, ſed *noſtras etiam rebelles ad te compelle propitius voluntates.* Veruntamen voluntatem ſalvandi à te expecto. Illam ſuppliciter rogamus nobis conferri in probatica tui ſanguinis, ut efficaciter volendo noſtrum finem, illum conſequamur. Ne mortis limini ad moti, vanam illam, excuſationem à Chryſoſtomo exiſtimatam adducere poſſimus. *Nec quiſpiam poterit excuſari quaſi voluerit, & non potuerit, cum conſtet eum idcirco non potuiſſe, quia noluit; & nolens exemplo volentis damnatur.* Ne hoc fiat ſupplices te rogamus: Tuâ Domine defectum noſtræ voluntatis ſupple, Tuâ fac quod noſtrâ efficere non poſſumus, ut cum Regio Pſalte queamus dicere.

Ex orat. eccleſ.

Hom. de Zach. to. 2

Domine ut ſcuto bonæ voluntatis
tuæ coronaſti nos.

AMEN.

CON-

CONCIO X.

De

GLORIA COELESTI.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

Amatoribus mundi exprobria fiunt.

I. O Turbæ, ô turbæ, quæ à ſequela Chriſti deſtitiſtis, & dum cum eo non ſcandiſtis in montem Thabor, cum tribus ſolum ſociis eum reliquiſtis. Proh quam amœnis ſpectaculis, quam gratioſis diſcurſibus, quam inenarrabilibus conſolationibus eſtis privati! Video inter vos illos, qui ſe magnates intitulant, nullo magis paſci, quam vanis adulationibus miniſtrorum, veſtibus pompoſis, equitatu faſtuoſo, exquiſitis ferculis; Video, quod nulla alia re delectentur, quam quod exercitum ducant, provincias gubernent, victorias in præliis reportent, hippochoreas, & haſtiludia exerceant, muſicas ſonoras habeant, nobiles, ac ſervos multos in comitatu numerent.

Video plebem deficere præ ſiti auri, eam delectari ex mineris illud eruendo, ſudare, ut in clibano illud expurgetur, fatiſcere, ut cudatur in monetis; Textorem in id totum eſſe, ut illud bombyci opere Phrygio intertexat, aurifabrum, ut gemmis illud inſerat, Alchymiſtam, ut illud in laminas ſolidet, Poetam, ut verſibus illud incantet, Medicum, ut aphoriſmis illud comparet, Juriſtam, ut textibus illud lucretur.

Video, quod domicellæ formas ſuas in ſpeculis adorent, cogitationibus ſemper venuſtati intentæ hæreant, ſeſe poliant, pingant, ceruſsâ, ſtybiâ ornent, & ſuffitibus ſe profument, putantes ſe adverſum habere diem, cum corpore non fulgente innumeris gemmis, pectore non ornato variegatis floribus, collo non micante monilibus, torquibus, in publico non poſſunt comparere. Video pueros contentari pomo, aviculâ, baſiatione, eos recreari, ſi arundini inequitent, in cunis navigent, pupas ornent. Adoleſcentes cerno bullore ſangvinis contritos, gladios manu vibrantes, ſuæ, non alterius quieti bellum movere, dum vel Ætna impuratorum ſtatuarum animo volvendo ſilentium noctis per plateas graſſando, ac fides pulſando turbant, aut immodeſtiis ſuis devotiones in Eccleſia per diem impediant. Ipſimet ſenes, jam diutinâ experientiâ decepti, pede tumulo

iam illato, cum morte agunt de novis voluptatibus, mirè elati ob titulos quibus gaudent, valde tenaces ob pecunias quas possident. Isne ergo sit honor, quo Deum afficiatis animæ ignavæ, quibus Deus cœlum creavit? An non recordamini vos ita esse canes de quibus cecinit Regius Vates qui mundi occasum adesse putantes, præ fame fermè excœcati, ac furiosi ossa inquirunt quæ comedant? Ergone vestrum primum principium sit eo longius, quo potestis à cœlo abire? Ergone ita vestrum regnum duabus lenticulis cum Esau vendidistis, & cum Lysimacho duabus guttis aquæ prodegistis imperium, dum, ut fruamini illo exiguo, quod vobis modò porrigit mundus, despicitis æterna, quæ vobis daturus est Deus? Hodie audite improperia, quæ in vos stultos hodie effundam. Mecum examinetis; an maximum quod vobis dat mundus in præsenti possit comparari minimo, quod in futura gloria exspectatis. Ad cœlum, ad cœlum ô fideles, vobiscum illa vitia quæ vos perdunt, conducite, hac quippe vice janitor cœli sanctus Petrus permittet ut similes proscriptos ad ianuam illius sanctæ civitatis adducam. Vestra avaritia ô avari, vestra ambitio ô superbi, vestra libido ô luxuriosi hodie mihi dicent, num honores, voluptates, thesauri, quibus velut mancipia servitis sint conferendi illis, quibus in paradiso potituri estis.

PARS PRIMA.

II. VAde, vade, bene te tracta ô dives, vestibus Attali thesauris Crœsi, palatiis Cyri te pascas, servi sint tibi ad nutum, fercula exquisita, loci pomposè ornati, conclavia aulæis, ac conopæis fulgentia, nec unquam unicam expensam minuas, ut te mortifices, nunquam familiam minuas, ut illi annonæ succurras, nunquam frontem deprimas, ut unicam gratiam mendices; sed dic, quæso, in quod tandem desinent ea, quæ modò avaritia tibi dare potest? Quid erit tandem coralliis ex mari haustis, gemmis pluviâ è cœlo dimissis, granariis ex campo repletis, metallis ex mineris eliquatis? Quid tandem erit utilitatibus, ac securitatibus negotiorum, varietati, ac copiæ censuum, delitiis, ac fertilitati agrorum, quid navibus, quæ modò onerantur saburrâ lapidum pretiosissimorum Indiæ, modò bombice nobilissimæ Chinæ, modò tapetibus nobilissimis Arabiæ modò mercibus rarissimis ex America advectis? Quid palatiis quarum contignationes innituntur columnis aureis, quarum pavimenta sunt marmore pavita, laquearia tabulata hebeno; nescio an magis ornentur conclavibus vel antibus, aut innixis pergulis, & coronidibus, atria nescio an magis ornata sint tapetibus an scriniolis, an magis decora picturis, quam incrustationibus? Quid erit hortis, quos ornant vivaria instar maris, elegantissima ornithotrophia, eo artificio confecta, ut in variis arbusculis plantatis, viridarium quoddam amœnum exprimant, quod continet aviaria instar sylvæ, labyrinthos instar pagorum, myrtas, protheos. Quid erũt statuæ ex opere topiario, flexæ, & implexæ, nũc referẽtes minitabundũ centaurũ, navigia exornata, aquilas volãtes? Quid erũt varii flex⁹ ac reflexus instar labyrinthi, tot artificiosi ductus

duct⁹ aquarũ, quę, ut amissæ restituãtur libertati, nunc gra t osè exiliunt, nũc velut cœlũ expãduntur, nunc irides reprę sentant, tantoque artificio prosiliunt, fluunt, ut serpentibus æneis sibilos, sonos instrumentis aureis, cantum avibus marmoreis indant.

O misera avaritia, si aliud nil habeas! Huc, huc, Auditores, & quia nõ potestis pedes cœlo inferre, ad minus oculos in illud conjicite, ac per illã fenestram, per quã Daniel ex Babylonia, quolibet die conspiciebat Hierosolymã, vos caput immittite: videte, videte, an opes, quas hic possidetis, sint aliud, quã tuæ pecuniæ, rapacitati tot furum subjectæ, invidiæ tot æmulorum, violentiæ tot infortuniorũ discrimini expositę? Videte, an aliud sint, quã agri, vineæ, quæ tãtũ exposcũt laborẽ, tot inũdationib. fluviorũ devastantur, quã tuæ negotiationes, quæ tot cõtractib. infectæ reddũtur, tot temporum injuriis impediuntur, toties infidelitate sociorũ dissolvuntur. Quid censes de illa area adeò ampla, ut sit nõ nemo, qui sentiat, Deum posse cuilibet beato, qui infiniti sunt, dare spatium, quod terram æquet? *Ioann. Ha. apud Drex.*

Et quid, quæso, sunt vestri comitatus, marchionatus, principatus, & regna? *Ipsa terra*, dicebat Tullius, *ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret.* Qui non vult coangustari, is se in altum tollat. *Surfum*, inquit Seneca, *ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur.* Quid dicis de illis palatiis, quæ diuturnitate temporis ruinam non faciunt, terræ motibus non evertuntur, igne in cineres non rediguntur? Quid de illis hortis semper floridis, qui nullam timent hyemem, semper cum fructibus, qui non dependent ab Autumno, semper cum germinibus, quę nulla indigent irrigatione? Quid judicas de illis maribus crystallinis, de contignationibus smaragdinis, thronis aureis, portis zaphyriis, vestibus, quæ non comeduntur à tineis, sylvis, quas ignis non absumit? Et quid? Nonne hæc omnia vides?

In somnio Scipionis.

Lib. 1. n. 1. quæst.

III. Hoc novum sit argumentum tuæ cœcitatis. Ego tamen illa video, illa vidit Augustinus, qui contra non neminem, qui docuit Sanctos in cœlo alienatos à sensibus in continua degere ecstasi, statuit, quod, cum corpora gloriosa, cum omnibus sensibus sint resuscitanda, qui cum nullam habeant convenientiam cum objectis spiritualibus, aliis corporeis proportionatis fore oblectandos. Sit, ut sit, certum est, quod beati in cœlo excellentioribus, ac pretiosioribus fruantur, quam nos. Id corroboravit Angelus, qui dixit S. Francisco, quod si tota terra foret aurum, ac tota aqua balsamum, omnes montes lapides pretiosi, nil tamen hoc fore in comparatione thesauri, quem post hæc expectabimus. S. Abbas Salvius, qui pro utilitate discipulorum vitæ erat restitutus, mensæ accubiturus, dum ferculorum exquisitorum, quæ beatis in mensa cœlesti apponuntur, recordaretur, nimbos lacrymarum profudit. Abbas Silvanus, ut illas cœlestes delitias unico intuitu conspicere posset, ne alias deinceps conspicaretur, oculos occlusit dicens: *O mei oculi, diem vobis negari, permittite!* Profecto Sancti non fuerunt adeò stulti, ut sese omnibus nudarent, nisi à Deo exspectassent bona meliora. Alexander M. postquam ei gazæ Regis Pori, ac Indiæ relatæ fuissent, sua inter

Ex Chron. Min.

Ex Greg. Tur. Præd.

milites dispertiit dicens: *Auri feraciora regna quærimus, nec deest fiducia, ea brevi obtinendi.* Quæso vos, ne me exclamare cogatis! *Quid est illud, quod habeo in cœlo? quantum est, quale est, quid est?* Ego non omnia capio, nec comprehendo; *Servas tu mihi in cœlo divitias immortales; teipsum ego volui à te; hoc pro magno desideravi à Deo meo super terram, pars mea Deus meus.* Quid ulterius vultis? Deum dum possides, omnia habes, & reliqua alius capiat. Quis est, qui mihi dicit, beatos divites fore; *Quoniam ipsi possidebunt terram?* vel, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum?* Respectu ipsius Dei, quem possident, omnia hæc nihil sunt, si Deum habeas, id jam consequitur, quod ait Augustinus: *Quid illi erit, & quid illi non erit? Certè, quidquid volet, erit, & quidquid nolet, non erit.* Utinam, utinam, hodie acu rem tangam! Cœca es, ô avaritia, ego porro te duxi ad locum, ut videres; & quod plus est, ut videres ea, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit*, quod si haberes intellectum, eumque applices, meum habeo intentum. Tibi res magna est; cunctis affluere, magna possidere prædia, ingentes reditus, amœnas villas, amplas domos, & ego etiam id magnum esse censeo; Enimvero, an non Deus, *à quo bona cuncta procedunt*, melius illa bona, quæ tam ubertim tibi largitur, in alios conferret, qui tanto affectu ei deserviunt, cum tu interim in cunctis eum offendas? Nonne foret mirandum, quod Neroni, qui præter alia enormissima facinora, Ecclesiam adhuc in cunis vagientem suffocare decrevit; dedisset ædes tam amplas, ac magnificas, ut aureæ vocarentur, & mediam occuparent Romam; S. Petro verò, qui ejus amore in crucem actus est, digniorem non construeret? Quod Imperio vastissimo, quam unquam vidit orbis, donasset, Maximinianum, Diocletianum, Licinium, qui atrocissimis eum persecutionibus insecuti sunt, Stephano verò, Laurentio, Sebastiano, qui lapidibus, craticulis, sagittis pro eo occubuerunt, minus aliquid quam totum mundum in feudum det?

August. in psalm. 72.

Matth. 5.

Aug. lib. de Spir. & grat.

1. ad Cor. 12

Dicendum foret eum carere memoriâ, ne recordaretur promissorum. Intellectu, ut inintelligibila cognosceret, voluntate, ne bonum vellet; cum tamen, quam diu Deus erit, Deus de eo cum illo Sancto queat dici: *Magnus es tu, Domine, nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ, sed, sicut magnus es tu, ita & magna sunt dona tua.*

Aug. in Soliloq.

IV. Sed quid? Et tu, ambitio, quo effugis? Huc adsis, avaritia confusa, tibi fenestellam cedit. Tibi porro indagandum est, num illæ dignitates, quæ in illo palatio videntur, comparandæ sint inclinationibus, genuflectionibus, titulis, qui tibi exhibentur? An purpuris, mitris, sceptris, baldachinis, palatiis, ac tot aliis vanitatibus, quibus continuò aviditatem tuorum affectuum pascis? Optimè faciebat Valerius Maximus, qui de nullo sibi ignoto judicium promere volebat. Profectò is scripto non consignasset, post narratas decem fœlicitates celebres Q. Metelli, superbum, ac temerarium illud acroama: *Cœlum contemplare, vix tamen ibi talem statum reperies.* Erras, nam de bonis cœlestibus non es informatus. Geographus, qui vult agere Astrologum, necesse est, erret.

Lib. 7. cap.

Non

Non absimiliter ego, cum terrenos honores contemplor, magni eos æstimo, sed quamprimum eos comparo cœlestibus; Statim eos irrideo, ac chymericos existimo. Et mihi evenit id, quod tyroni illi Geographo accidit; hic, postquam terram maximi æstimasset, eo, quod audivisset, eam dividi in tot zonas, climata, paralella, meridianos, regna, provincias, cum postea eruditum audiret Astrologum, percepit terram atomo, qui in centro cœlorum est, viliorem esse; unde, stupore summo defixus, acquiescere non potuit, quousque à respondente audivit, neutrum à veritate aberrare, atque tam Geographum, quam Astrologum vera proferre; contemplans enim, solam terram, non est mirum, quod eam æstimet, is verò, qui eam confert cœlo, non potest non in vili eam habere.

Supponamus hic, quod nulla sit præeminentia in eodem conclavi cum Rege gloriæ sedere, eidem mensæ accumbere, matrem habere Mariam, fratres Angelos, collegas Apostolos, manu gestare palmam, capite præter communem coronam aureolam specialem, quolibet tempore audientiam procurare posse, ut gratiæ fiant, & subsignentur, efficere, agere, ut omnia delicta obliterentur. Supponamus, hæc vulgaria esse, an autem honores, ac applausus, qui in illa via triumphali, intrantibus illam sanctam civitatem accinuntur, non sint majores, quam illi, quos unquam somniavit, vel practicavit Roma? Vos id edicitote.

V. Moritur, hodie in illo angulo civitatis unus pauper patientissimus, qui patientissimè paupertatis incommoda, ac morbi molestias sustinuit, purgatorii pœnis nequidem attactis ad cœlum rectà contendit. Quæso vos Marii, Scipiones, Pompeji, Cæsares, paulisper ex inferno prodite, venite, ac videte, an minimus triumphus Sanctorum, vestros maximos non superet? Quod si dicerem, iis statim injici vestem pretiosissimam, mihi adstipulatur magnus Antonius, qui tali vidit coopertum Paulum Coriphæum Eremitarum. *Athan. in vita Anton.* Quod si asseruero, iis sterni mollissimum lectum, hoc confirmabunt illi Monachi, qui talem paratum pœnitentiæ speculo Thaidi conspexerunt. Si descripsero viam totam floribus, ac tapetiis pretiosissimis stratam, confirmabunt hoc illi, qui Benedictum admitti in cœlum viderunt. Si asseruero Christum ipsum è cœlo prodire, ut Sanctos recipiat, id plures historiæ confirmabunt.

O quales sunt ibi Augures, Flamines, Tribuni, Consules! Quales imagines turrium solo æquatarum, montium eversorum, vallium completarum, civitatum expugnatarum, provinciarum subjectarum, poterunt conferri pompæ, quam ego video? Quot non tripudiis ei applaudit Angelus, cujus curæ fuit consignatus, Sanctus, cujus nomen gessit, superiores, quibus subfuit, magistri, quorum ferulæ subjectus fuit, Confessores, quibus confessus est, Patres spirituales, quorum consilio se contra dæmones armavit? Hic concurrunt consangvinei, hic patriotæ, hic collegæ, hic ei amicitiæ fœdere innexi, hic Manes expiatricibus flammis ejus precibus ereptæ, aut ejus bono exemplo salvatæ, ac hi omnes, cum Angelis *Ex var. hist. Eccles.*

 custo-

custodibus, vestibus amicti festivissimis, lætitiam suam cantibus, choreis, ac aliis signis contestantur, recensendo, quam fœliciter talis tentatio fuerit superata, pœnitentia illa tam perfectè completa, quam generosè illa injuria condonata, illud bellum tam patienter toleratum, illa inspiratio tam exactè executioni mandata, illud damnum tot lucris resarcitum.

Vix attigit portam, & è vestigio omnes Patriarchæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, ei benè precantur. Introducitur ad visionem beatificam verbis Isaiæ à S. Petro: *Respice Sion, civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videant Hierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest.* Christus eum pro suo servo fideli agnoscit, ac, ut talem apud Patrem eum recommendat, collum ejus complectitur, eique dicit: *Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui.* Sanctum illud cor, præ jubilo, seipsum non capit, conspicit ante se abyssum gratiæ, æternitatem gloriæ, fontem inexhaustum vitæ, si retrospiceat, non videt amplius à tergo hærentes dæmones, mortem, afflictiones.

Isaiæ 33.

Matth. 25.

Obtutũ figit in terrã, ac vix eã reperit, & discernit. Ridet timores præteritos, periculis, quæ evasit, oblectatur, devotiones Ecclesiarũ deprædicat, auditionẽ concionũ, lectionẽ librorũ piorũ, quibus illa bona proposita hausit, socium illum, qui illa bona proposita promovit, collaudat, ac antequã in solio se collocet, mundo valedicit. Valete miseriæ, nec enim vicinæ me amplius consternabitis, nihi junctæ, nõ me invadetis, absentes me nõ contristabitis. Vos elementa agite, sicut vultis, ab igne nulla deinceps metuo incendia, ab aqua inundationes, ab aere contagiones, à terra annonæ caritates. Reboent, ut velint tympana, tubæ insonent, sclopeta mugiant, hic non audiuntur. Veniat, qui velit, ego in tuto sum, postquam meipsum devici, omne bellum finivi.

Quid dicitis ad hæc, ô ambitiosi? Nõ poteritis dicere, quod hoc fingam; Nã si vitas Sanctorũ perlegeritis, hæc à me dicta invenire potuistis. Meo videri, vos putatis, quasi soli festa celebrare perfectè possitis. Ah non! Tanta est urbanitas, ac civilitas in cœlo, quantã vos nunquam vidistis. Est charitas, nulla tamen invidia, cognatio, nullæ tamẽ differentiæ; Et si, juxta testimonium veritatis ipsius, *gaudium est in cœlo, super uno peccatore, pœnitentiam agente*, cũ ipsa Salus per pœnitentiã necdum in tuto collocata fuerit; quos non applausus faciet illa Curia, dum merces non comparatur, sed recipitur, & obtinetur?

Lucæ 14.

VI. Vos nunc compello, qui voluptates adoratis, & illud quod delectat, solum censetis utile, utinam vobis aperire oculos possem, statim enim nimbos lacrymarum vobis elicerem, mox ut conspiceretis, quomodo illa objecta consectemini, quæ vestros sensus non possunt satiare. Adolescentes, Adolescentes, qui sacerdotibus ad altare operantibus, oculos in creaturas conjicitis, quæ intra sex dies fœtebunt, ac cũ illo alio dicitis, qui, aquilæ fixis oculis contuenti Solem, hoc lemma subjecit: *Vt oblectent sese oculi, alæ consumantur.* Utinam, utinã, vel semel intueremini non Mariam, (formæ adeò elegantis, ut adolescens quispiam binum intuitum il-

Ex Ruscel.

lius

llus formæ utriusque oculi amissione licitatus fuerit, & coemerit) sed minimum Angelum, vel Sanctum, siquidem tanto amore caperemini, ut cor præ nimio gaudio creparet. O Domicellæ vanæ, quæ nunquam acquiescitis, nisi in choreis sitis, paulisper intueamini, an non in cœlo festiviores sint choreæ, discite ab illa puella; hæc cum similis esset vobiscum genii, rogata à quodam Religioso, Prædicatorii Ordinis, pauculo tempore sese is à voluptate privaret, ut ita per totam æternitatem magis choreis sese oblectare posset, vitâ defungens, cum illi obediisset, illi religioso dixit, eum promissis stetisse, seseque jam conspicere sanctas virgines saltando diversos choros in cœlo ducere. In illa verificatum fuit illud dictum: *Oblectamenta vetita sunt furta declarationum vitæ futuræ.*

Ex Speculo Exempl.

Apud Drex. lib. 2. cap. 4.

VII. Adsitis hic, quos ita oblectant suffitus, odores, parumper naribus admovete rosas, quas in hyeme ex viridariis cœlestibus Dorothea Theophilo misit. Adeste, qui, ut frueremini musicâ præluſtri, vos omni alia voluptate privastis. Audite, quam dulce melos in aula Dei resonet; Adite sanctum Franciscum, qui in morbo, quamprimum Angelus fides pulsare inciperet, mari consolationum absorptus fuit. Adeste vos, quos adeò oblectat conversatio honorata, ut levi negotio subscribatis Senecæ: *Nullius boni sine socio jucunda possessio est.* Si per unicam horam egissetis cum illis spiritibus modestissimis, semper lætis, nunquam dissolutis, semper familiaribus, nunquam argutis, qui pungunt sine mordacitate, offendunt sine rixis, omnibus affecti, nulli molesti, omnibus convenientes, à nullo alieni, judicate, an possetis manere in mundo? Non revera. Quinimo, si remitteremini ad terram, diceretis: *Hic ego quid facio? Certè hic esse nolo. Hic ego quid facio? Certè redire volo.* Rem attentè pensate, uti pensavit Augustinus, ac mihi dicetis, qualis sit superna patria. *Quidquid delectat, & quidquid expedit, ibi est. Et quid ibi deesse potest, ubi Deus est, cui nihil deest?*

Seneca epist. 6.

Cæsar. lib. 2. cap. 6.

Lib. de Sponf.

Quod si tribus modis juxta Anselmum fruamur Deo, *intellectu, amore, visu*, quis magis intelligit, quam is, qui in suo vero lumine eum totum videt, quis magis eum amat, quam qui ita plenè eo fruitur, quis magis vivat, quam qui ipso totus vivit? Doceat Angelus, hæc est vera beatitudo, *quæ adjectionem non capit*, adeò est enim perfecta. Cantet Isaias: *Locus fluviorum, rivi latissimi, quia solummodo ibi magnificus est Dominus.* At postea date locum sanctæ Gertrudi, quæ veritatem hanc clarè demonstrabit. Hæc dicere solebat, omnes intellectus Angelorum, ac hominum, in unum collectos, verba sufficientia non reperturos, quibus minimum gradum gloriȩ, ac delectationis, quam Deus in cœlo abscondit, exprimant, quinimo, si illa gaudia videre contingeret, exanimaremur præ dolore, quod ab hac tam longè ab iis absimus. *O gaudium super gaudium, gaudium, extra quod non est gaudium, cum intrabo in te!* Aliquid nunc de te dicere possum, nempe: *Civitas sancta, civitas speciosa, de longinquo te saluto, te amo, te acquiro.*

Isaia 33.

Cyrill. Hierosol.

Aug. lib. de Spir. & grat.

VIII. O

VIII. O sensuales! An vos necdum hæc gaudia appetitis? Minora porrò solum monstravi, sunt frustilla paradisi, quæ vobis hactenus descripsi, nec sunt paradisus completus. Feci sicut ille, quem ridebat Hierocles; Hic ostensurus, quanta esset ejus domus, ejus ideam in charta delineatam alteri misit: Attamen possum id dicere, quod de sua, quæ venalis extabat, dicebat Phocion, ut eius pretium augeret: *Bona domus est, & bonos etiam vicinos habet.* Bonos sanè vicinos habet cœlum, siquidem ubique in ea summa pax resonat, non ita apud nos, omne gaudium vicina habet tædia, omnis spes, timores, omnis honor diffamationes, attamen contenti vivimus, nec aliam vitam curamus.

Deus bone! liceat hodie mihi cum venia fidelibus hæc gaudia denuntiare. Vobis, qui huc venistis, nullus timendus amplius morbus, qui affligat corpus, tristitia, quæ torqueat animam, infortunium, quod lædat negotia, persecutio, quæ auferat famam, præ nulla senectute vobis insurdescent aures, oculi caligabunt, vacillabunt pedes, caput vertiginem patietur, semper agetis annum trigesimum tertium, nec vos unquam deserent amici, quos amatis, consangvinei, quos diligitis, privilegia, delitiæ, quibus gaudetis. Videbitis, quem exitum sint habitura illa bella, quam fortunam tot assultus, molimina, variationes populorum, successiones Principum, semper cum gustu comedetis, nunquam patiemini famem, in continua vivetis lætitia, nunquam subjacebitis tristitiæ, verbo, in gratiam vestri Deus mutare mundum vult.

Hucusque semper subfuimus edacitati temporis, sinistris influxibus astrorum, debilitatibus naturæ, plusquam poeticis licentiis fortunæ, agoniis mortis. Vos singulariter non dolebitis, non plorabitis, nec in juventute moriemini, quantumvis elementa in vos insurgant, ut vos terreant, homines, ut vos opprimant, dæmones, ut vos perdant, nihil tamen efficient. O filii hujus sæculi! Vos video, & benè video, hanc propositionem, ut deberetis, non capitis, & tamen nil vobis promisi, quod Deus non det suis hostibus.

Quod si ergo dicam non solum hæc, sed & alia incomparabiliter majora vobis esse præparata, id non creditis, non appetitis enim paradisum verum, tam firmiter vobis promissum, cum imaginario tam malè à me descripto infarciti sitis. *Hoc*, inquit benè Augustinus, *sufficere visum est humanæ infirmitati, ut diceretur: Habebis vitam æternam.* Et tamen juxta summum desiderium, quo omnes vivere desideramus, hoc sufficere deberet, quia, si hic vivimus, vivemus & ibi: Interim non capio, quomodo, ut vitam ad aliquot dies producamus, permittamus nos discretioni medicorum, temeritati chyrurgorum, diætarum prolixarum rigori, medicinis amaris, cucurbitis, emplastris, ustulationibus, pro æterna autem vita nec gressum movemus: *Si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ut vivant paucos dies, quam stulti sunt, qui sic vivunt, ut perdant dies æternos?* O sancta fides, quam exiguam fidem tuis infallibilibus promissionibus adhibemus!

Serm. 64. in Ioann.

Serm. 64. in Ioann.

De reliquo cur non respiremus, ac anhelemus, dum solum concipimus

nos

nos esse capaces domus cœlestis, in qua ob infinitam amplitudinem nullus est locus angustiæ, in qua ob æternitatem interminatam nullum est tempus tristitiis, per libertatem beatam nullus est aditus lacrymis? Quomodo non desideramus portum securum, ubi nullæ sunt tempestates, montem sublimem, in quo nullus est descensus, civitatem benedictam in qua nullæ sunt miseriæ, regnum privilegiatum, in quo nulla dominatur fortuna, in quo pax non timet bellum, gaudium nulla turbatur pœna, gratiæ nulla est vicina culpa, gloriæ nulla opponitur invidia, in quo est lætitia sine tædio, sublimitas sine periculo, volatus sine discrimine, speculi consultatio sine fastidio, ubi sanitas sine morbo, fœlicitas sine minutione, fortitudo sine fatigatione, virtus, quæ non diffluit, aut langvescit odio, juventus, quæ non senescit, ver, quod non marcessit, dies, quæ non noctescit, serenitas, quæ non obnubilatur gratiæ, quæ obtinentur non rogatæ, divitiæ, quibus fruimur, esto anxiè non custodiantur, amici, qui non quæsiti habentur, servi, qvi absque stipendio serviunt, ubertas omnium rerum sine commerciis, securitas sine periculis, sapientia sine studio, concordia sine contradictione geniorum?

Charissimi Auditores, & quid hic hæremus? *Flens dico, quousque odoramus, & non gustamus? prospicientes patriam, & non apprehendentes, suspirantes, & de longe salutantes?* Cleombratus, ut refert Augustinus, postquam in Platone legisset, per mortem nos transire ad vitam meliorem, subitò è muro sese præcipitando necem sibi intulit; nos autem, si illam fidem, quam iste adhibuit illi Philosopho, adhiberemus Christo, quam non sanctâ impatientiâ præstolaremur horam illam, in qua in illam fortunatissimam insulam trajiceremus? Exploratum est, nos hic non esse peregrinos, dum ad supernam patriam non magis aspiramus.

[margin: ...ern. serm. ...). in Cant.]

[margin: ... e civit lib. ... cap. 22.]

IX. De reliquo benè cecinit Poeta, qui hoc longo exilio probavit: *Nescio, quâ natale solum dulcedine cunctos Ducit, & immemores non sinit esse sui.* Ita nos cibis terrenis infarcimus, ut non sit mirum, quod cum sociis Ulyssis, postquam gustarunt herbam Lotos in Africa, patriæ nostræ totaliter obliviscamur. Audivimus concionem de paradiso solum, ut memoriam exercere possimus, nam si nobis significet aliquis, nos illi gloriæ esse vicinos, paucosque annos, vel dies superesse, dolemus, ac si omnia cum hoc mundo interirent.

[margin: Ovid. 1. de Pont.]

Sed quæso vos, taceamus, nam adverto me nimis prolixo discursu de paradiso vobis molestum fuisse, & vos in purgatorio posuisse. Illi, qui pluribus annis in militia sub signis Cyri impensis fortunam faventem habuerunt, in Persiam patriam revertendi, ut illam è monte quodam sublimi conspexerunt, adeò sunt lætati, ut vicinas oras suis clamoribus terrifecerint, armisque missis, trophæa, ac tripudia exitarint, & hoc, quia consideratunt, paucos dies ipsis restantes, in quiete traducendos, ac tandem moriendum.

[margin: Diod. lib. 14. Bibl.]

Qualis ergo non erit noster jubilus, dum, bello crudeli hujus miseræ vitæ sopito, ad fores patriæ nostræ perveniemus? Scipio nunquam majori sola-

tio aliquid se conspexisse testatus est, quam, dum à Lucullo ad Regem Massinissam ablegatus, omnibus curis positis, è cacumine montis exercitus Regis Numidiæ, ac Asdrubalis Carthaginensis centum mille viros numerantes, vidit acri prælio confligentes. Quodnam ergo non erit solatium, & gaudium beatis in cœlo conspicere continuum conflictum elementorum, animalium, hominum?

Sabell. lib. 8.

PARS SECUNDA.

X. Demades nominis, & experientiæ laude conspicuus, dum inter Græcos apud Philippum Macedonem Legatum ageret, bellas Athenas tam ore, quam calamo, tam vivè descripsit, ut Rex summo ejus desiderio captus dixerit: *Vt urbs hæc mea sit, ferro, vel auro efficiam.* Ego, ut potui, delineavi vobis insignem Sion, credo vos omnes ejus amore flagrare: Ferro illam conquisierunt martyres, vos auro, & argento illam obtinebitis. *Venale est*, inquit Augustinus *quod habeo, dicit Deus, eme illud: requiem venalem habeo: eme illam.* Nunquam tuos nummos melius impenderis. An sit paradisus, Auditores? Est, si sit Deus. *Si non est Resurrectio, nec est Deus*, inquit Damascenus Deus egregiè decepisset Sanctos, si eorum servitia hic mille crucibus munerasset, nec aliquam felicitatem iis in cœlo reservasset. Ita, ita datur paradisus, & quidem pro nobis, qui tam langvidè eum desideramus. *Quid*, inquit Chrysostomus, *quid est hoc? Neminem novi, qui ad cœlum volare nolit.* Id verum est, ore id dicimus, non corde, unde, quia verba sine operibus non sufficiunt, re ipsa voluntatem oportet confirmare. Porro, plures præsentes hic sunt, qui intra paucas horas, dies, annos fortè gloriam videbunt, quam ego hodie describere non potui. Quod si ego scirem aliquos adesse, mille applausibus, tripudiis gaudium meum contestatum vellem.

In psalm. 93.

Chrys. prol. in Ioann.

Vos, qui communiter vivitis in gratia Dei, quique, si casu aliquo in peccatum labamini, subitò majori vi surgitis, ibitis in cœlum, ibitis, inquam; Ut tamen sitis securiores, duo vobis verba dicam. Si paradisus multum constet, quolibet pretio eum emite. Helena à Zeuxi depicta sui conspectum nonnisi multo pretio penso permittebat, unde nec credo, quod velitis gratis cœlo admitti, ut insignem vultum Dei mei videatis. Poetæ canere solebant: *Non est ad astra mollis è terris via.* Per tauros transeundum est minitantes per leones rugientes, per scorpiones venenatos. Quod si in hac via ardua, ac periculosa animo vos linqui cernitis, vires resumite cum Propheta: *Adhuc unum modicum.* Hæc etiam adversitas, infirmitas transibit, uti & plures aliæ transierunt.

Sen. in He[...]

Aggæus c[...]

Quod si pusillanimitas, ac diffidentia quædam vos invaserit, id vobis ingeminate, quod Abbas Apollo ad suos monachos, quos desolatos videbat, dixit: *Ad superos tendimus, & tristamur?* Hæc mortificatio est gradus scalæ cœlestis, quomodo ergo illum flectamus, vel rumpamus? Sanctus martyr Barachisius inter atrocissima tormenta ita persecutores inclamabat: *Tentate, tentate plura, Regnum cœlorum his omnibus dignissimum est.*

Pall. in [...] cap. 52.

Surius i[...] eius vit[...]

XI. Quod si tribulatio omnes aditus præclu-

præcluserit, adhuc adest Dedali evasio. *Terras licet, & undas obstruat, at cœlum certè patet; ibimus illuc: omnia possideat, non possidet æthera.* In cœlo securè latebis. Crede Hieronymo: *Paradisum mente perambula; quoties enim ibi fueris, toties in eremo non eris.* Vis tu vitam æternam? inquit Paulus, si eam non capias, tibi eam non donat. *Apprehende vitam æternam* Vide, *medio poscit Deus omnia campo.* Dixit Pompejus ad milites in acie jam explicatos in pugna Pharsalica: Putasne, quod Deus casu permittat te affligi? Minimè, vult, consolationes patientiâ, ac doloribus emas. Marius, castris fixis, ac munitis in provincia prope urbem Aquensem, dum milites siti ferè confecti aquam, cujus penuriâ laborabant, efflagitarent, solo digito flumina, & fontes, quos hostilis exercitus Teutorum occuparat, monstravit dicendo: *Viri estis, en, illic habetis.*

Lib. 7. metamorph.

ad Tim. c. 6.

Luc. lib. 7.

r. l. 3. hist.

Quod si nostræ concupiscentiæ, fœdere cum mundo, ac dæmone nexæ, in via cœli obstacula objecerint, oportet ea aggredi, & abigere. Helveti, ut refert Cæsar, ut fertilissimas regiones Galliæ conspexerant, ne ab earum expugnatione, quas efflictim expetebant, à propriis domibus abstinerentur eas in cineres, ac lutum redegerunt. Idem nobis faciendum, quia, quo magis alienabimur à terra, eo magis afficiemur cœlo. O devoti religiosi, ô fervidi pœnitentes, ne vos vestri rigores absterreant, unica hora gloriæ plus valet, quam omnia vestra merita. Id testari potest è familia sancti Dominici Religiosus ille, qui post austerissimam vitam transactam, unico solum obtutu paradisum intuens, cuncta sua merita pro nihilo duxit, respectu præmii cœlestis. Verùm quid tibi, qui adeò innecteris mundo, ac si ex illo nunquam abire deberes, dicam; Alii discursibus de paradiso delectantur. *Mihi* cum Basilio *lacrymas fundere succurrit; dum considero te gloriam Dei, turpibus, ac probrosis tactis posthabere, & te à tanta honorum expectatione, per inconsiderantiam, excludere, ut tibi cœlestis Hierusalem gloriam spectare non liceat.*

l. 1. de Gall.

...xitis ...icat.

XII. Propositum fac, nisi mutes viam, ad paradisum non venies. Nemo domo Dei admittitur, nisi prius tyrocinium subierit, eo modo, quo ad religionem prisci monachi neminem admittebant, nisi jam probatum, ut refert Cassianus Illi non statim aliquem veste religiosa donabant, sed cum per plures dies ante fores monasterii variis modis probabant, & si constanti humilitate, ac patientia non persisteret, cum hac formula dimittebant: *Abi, ô bone, abi, unde venisti, ad nostras leges tua impatientia non quadrat.* Non absimiliter, nisi tu alia specimina edideris, cum ad fores cœli præsentaberis, exibunt virgines, & dicent: *Abi, moribus nostris tua spurcitia non quadrat.* Martyres: *Cum virtutibus nostris impatientia tua non quadrat.* Angeli: *Cum innocentia nostra tua iniquitas non quadrat.* O mi frater, quantum tibi compatior, quod per unicam momentaneam voluptatem te privaveris æternaliter] societate Angelorum, communione Sanctorum, possessione Dei. Dic ergo hodie: *Convertere anima mea in requiem tuam.* Esne ligatus illo affectu? Quis impedit ne eum recidas? Non habes tantum animum? An ob infinitam gloriam inimicitiis, pravâ

Lib. 4. cap. 3. de intuitu renunc.

va ſocietate, injuſtis uſuris te non expedias? Viden, an non ſit verum, quod huic articulo non credas, &, ac ſi forent figmenta, quæ de campis Eliſiis dixi, ea habeas? Quod ſi ego tibi annuè cenſum mille aureorum è monte quodam oſtenderem, ac promitterem ea lege, ut paucis diebus à Deo offendendo abſtineas, quid non faceres, ut eos lucrareris, ac conquireres? Nunc autem Deus ſeſe tibi offert mercedem, nec tamen ab offenſis ceſſas

Iſaia 4. Viſne, ut proclamem te deſperatum, & dicam cum Iſaia: *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi fortè proſit tibi?* Non ſanè. Ad paradiſum te trahere volo, & id vult Deus, qui ideò tibi dedit tempus pœnitentiæ. Bonam inſtitue confesſionem, manibus te Dei permitte, in quibus nil poteſt perire. Quod ſi Cimbri, Teutones, Tigurini, ut refert Florus, poſtquam Hiberna eorum Oceani inundationibus devaſtata eſſent, à Romanis meliora ſibi hoſpitia aſſignari petierint, tu quoque, quem iniquitates in miſeris hoſpitiis collocarunt, meliora à Deo rogare debes. *Lib. 3. cap. 3.*

Spiritus reſume, imitare monachos Ægypti, qui iuxta Hieronymum quolibet die diſcurſum de paradiſo à quodam Seniore recitato attentè audiebant, mirèque cruciabantur, ſi forſan eos non adeſſe contingeret; & te etiam certum reddo, quod ſæpius ſuſpirando exclamabis cum Bernardo: *O vera exulum patria, exilii finis! video te, ſed intrare non ſinor carne retentus; ſed nec dignus admitti, peccatis ſordens.* Hic ego me lacrymis perluam, quousque paradiſum, in quo à tot Sanctis, & Amicis meis exſpector, intravero. Amen. *Hieron. epiſt. 22.* *Serm. 30. in Cant.*

CONCIO XI.

PRO DIE LVNAE
DOMINICÆ SECUNDÆ.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Cap. 8. Ioann.

Inſultus generalis in cor peccato inveteratum.

I. O Cœleſtis militia, claſſicum cane, hodie non eſt tempus feriandi, iuſſu Dei exercituum ad oppugnationem generalem vos invito. Foras, foras, prodite machinæ bellicæ, quæ expugnare poſſunt cor inveteratum, ut utiliter poſſit adaptari. Sancti Patres iam ſuas ſtationes occupant, valla, & propugnacula ad omnes auxiliares copias peccatoribus rebellibus ſubmitten-

mittendas impediendas iam exſtructa ſunt. Quod ſi hodie mihi ſuppetias feratis, eius obſtinationem devincemus, eumque in deditionem cogemus. Ipſemet Architectus, qui cœlos creavit, deſiderans hic in terra munitionem quandam occupare, in qua theſauros ſuos reconderet, ædificavit unam, nempe hominem. Ipſemet propugnacula circumquaque deſignavit, eamque vallis cinxit, armisque, & annonâ copiosè inſtruxit. Excubitores in ea poſuit Angelos, ei præfecit liberum arbitrium prudentiſſimum. Verumenimverò, poſtquam præſidiarii, ſeditioſæ ſcilicet paſſiones conſpirantes, & coniurantes præfectum præfecturâ exuiſſent, ac excœcaſſent, munitio legitimo ſuo Domino erepta eſt, factionibusque & tumultibus vitiorum quotidie creſcentibus, in poteſtate archiſtrategi obſtinatè deſperatorum manet.

Nos prædicatores electi ſumus, ut eam recuperemus. Primò manè diei primæ quadrageſimæ obſidione eam cingimus, intimatione ieiunii, commeatum ne inferatur, arcemus, exploſione aſſidua Evangelicarum machinarum eam quatimus; verùm omnia hactenus fruſtra, nam adhortationes, quibus ſeditio ſvadetur, fiunt ſurdis, minæ pyriorum globorum non curantur, pollicitationes præmiorum cœleſtium ſpernuntur. Porrò tu Deus mea vota ſecundes, nam animoſior, quam unquam, hodie eam expugnare intendo, utque hodie mei inſultus fiant validiores, rebellibus omnes ſuppetias præſcindo. Hodie declarare volo, quod valla divinæ miſericordiæ, quibus abutendo, non timet iuſtitiam, non ſint tuta, nec valida, uti ipſi ſupponunt.

Porrò, abſque metaphoris loquamur, ac expeditius expugnationi nos accingamus. Peccatores Chriſtiani, qui tot annis inimici Dei declarati fuiſtis, vos perbenè ſcitis, de vobis actum, ſi moriamini, ſicut vivitis. Extrema interim veſtra malitia ſcutum ſibi parat deſperatæ ſpei, divinæ bonitati innitendo: Confiditis, eam in vindictam non armandam, donec vos emendaveritis, ab eaque vos non poſſe repelli, cum ad eam confugeritis. Verùm audite, dum ita pœnitentiam pro delictis promeritam differtis, in pœnam quod vos dedere nolueritis, dum potuiſtis, cum voletis, non nequibitis.

Attendite, num minæ Chriſti non ſint tormenta maiora, quæ veſtram arcem miſerè quatiunt. Dum vos eum pugno concluſum veſtro putatis, abitum parat. Quantumvis occaſio fuerit eum quærendi, fortunam non habebitis eum reperiendi. Nec ego hoc fingo, ipſemet id pronuntiat: *Ego vado, & quæretis me, & in peccatis veſtris moriemini.* In nullo argumento, à me tractato, magis intelligi exopto, quam in hoc. Hic Rhodus, hic ſaltus, hic ſcopus, quem Chriſtus tot gratioſis parabolis ſpectavit, tam formidandis ſententiis inculcavit, nempe, dum tempus eſt, tempus non expectandum. Luſero animam meam, niſi hodie veſtras expugnem. *Speculatorem ſuper Iſrael poſuit me Dominus.* Hic excubitorem ago. *Ierem. 2.* In multos video ſicam ſtringi, ſi non præmoneam, cadent illi, nec ego ſalvus evadam. Mehercule plures ſunt, ut dicebat ſancta Agnes beatæ Birgittæ, qui *in arbitrio ſuo poſuerunt miſericordiam Domini.* Melius itaque eſſet, ut hic utili- *Lib. 3. revel. cap. 12.*

ter abeant consternati, quam ut irremediabiliter se inveniant delusos.

PARS PRIMA.

II. QUis unquam stoliditatem majorem vidit illius perversi Pharaonis, qui, dum instar vilissimi Principis virgâ crudelissimâ à Domino excipeřetur, omnem pœnitentiam in novas culpas mutavit? Nec mentionem de populo electo libertati reddendo injici patiebatur. Ut igitur hanc causam eloquentiâ suâ Advocatus aliquis promoveret, Deus ranas ad hoc officium delegit, easque idcirco ad aulam amandavit; Harum itaque millenæ assidua coaxatione ejus aures pulsabant, centenæ eius diademati insidebant, ac ita eum exagitarunt, ut nec in lecto posset capere quietem, nec in solio maiestatem moderari regalem, nullos attentus legere libellos supplices, in senatu de nullo consultare remedio. Quilibet locus ei fœtens videbatur paludes. Hæc importuna animalia aures sibi totas à Rege porrigi urgebant, absque ullo respectu solium occupabant regium, ipsumque vultum velut muscæ inquietæ petebant, servi solertes eas colligebant, dumque duos saccos repletos iisdem è fenestris eiiciebant, decem in pavimento generabantur.

Subito advocatur Moyses, qui hac vice abitum liberum indulgeri cum suis vel maximè sperabat. Hic à Rege exoratus, Deum exoraret, aulam hac peste eximeret, gratiosè, ac suppliciter tempus orandi sibi designari petebat: *Constitue mihi tempus, quando deprecor pro te.* Profectò, si sapuisses, statim orandum dixisses. Et quantumvis musica adeò molesta aures obtusas habuerit, potueritque eâ liberari statim; attamen in diem sequentem orationem reiecit. *Et respondit: Cras.* Ah! quot non sunt Pharaones inter nos, esto non degamus in Ægypto? Plures sunt anni, quibus incessanter vexati, ac tormentati sumus, à libidine quadam nunquam satiata, avaritia semper appetentiore, bestiali odio, diabolica invidia, mille aculeis nos conscientia pupugit ob illud adulterium, in confessione celatum, illam restitutionem omissam, illum contractum illicitum, illum innocuum occisum. Deus pietate motus sese ante eos sistit, sanctaque inspiratione cor alloquitur. Et quid? An ergo nec semel te emendas, dignumque reddas meo conspectui? Et omnes cum corvo respondent: *Cras, cras.* Rogamus, *constitue nobis tempus.* Hac quadragesima necdum est tempus, quo convertamur. Exod 8.

III. Nimis consona sese nobis ingerit occasio in illo munere furandi, pellici consvescendi, mutatâ aurâ, mutabimus proposita. Cum romphæa necdum sit in delapsu, eam poterimus prævidere, ac declinare. Hic est genius, inquit Ecclesiasticus, morosi debitoris. *In tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædii, & murmurationum, & tempus causabitur.* In Januario est, qui debebat solutionem præstare, eam protrahit in Pascha, à Paschate in messem, ab hac in vindemiam. Quod si denuò solutionem urgeas, Cap. 29.

urgeas, queritatur tempus sibi à se non concedi, sed se premi. Inducias usque ad finem mensis efflictim postulat, tunc se censu annuo potiturum, tantam summam ab illo sibi pendendam, ultro absque sua exactione nummos tibi se daturum, necessitaté adesse prorogandi solutionis tempus. Verumenimvero, tu, qui ita dies produci vides instar practici, concludis, tibi mera verba dari, os obliniri, te ipsa nil de solutione cogitari. Hunc astum perversa natura omnibus dictat, dum negatio in erubescentiam dat, non negamus quidem, hoc non facturos nos esse, sed de die in diem id producimus. Ita egit Thaletes. Juraverat se connubium initurum, verùm nunquam sydera clementia esse incusabat, nunc allegabat adolescentiam, nunc annos provectiores, dumque iam omnino resoluto, ac parato aliqua proponeretur, prætexebat hanc minus ingenuam, illam nimium elatam, hanc indotatam, aliam ignobilem, huic olebat halitus, illa cerebro vacillabat.

Fidem porro mihi hic subintrans sanctus Anselmus clamat, adhibitote. *Qui differt in futuram, & forsitan non futuram ætatem, suam vitam corrigere, probat se non amare quod expectat, & non meretur accipere.* Quod si mihi peierares illum de confessione generali instituenda, quam Deo inspirante iam dudum concepit, cogitare, ut Numen sibi propitium habeat, quomodo id mihi persvasum faceres? Non est annus, non mensis qui appositus ei sit. Post Pascha sequuntur dies amœni, quibus ipsa Ecclesia austeritates mitigat, æstas calore corpora enervat, multisque laboribus exercet, auram capturi eximus, messis vehibus in horrea convehenda, in Autumno vindemiandum. Adventus prolixas secum trahit vigilias, ac negotia quoque sua habet. Natalitia festa conviviis, compotationibus celebranda, Bachanalia choreis, ludis transigenda, Quadragesima, quæ meritò foret appositissimum tempus, secum habet ieiunium, corpus, & animam debilitans. Confessarii eo tempore occupatiores plus meritò sunt, sique sint, cui in sinum effundi peccata possunt, unus est conscientiæ delicatioris, alter est severior, tertius curiosior, à quarto nullam expectat satisfactionem.

Anselm. Epist. 1.

IV. Ne, quæso te, ultra mihi imponas talem de exomologesi cogitare. *Vivendi rectè fatuus procrastinat horam.* Profectò videbitis, quod usque ad periodum vitæ, seipsum fallat, nec futurum melius præsenti impensurus sit.

Mart. lib. 1. epigr. 16.

Verumenimverò, nonnullos intra se mussitantes, ut hanc meam velitationem elidant, audio. Quidquid sit de illo, mihi in aperto est, quod paucis elapsis annis ad frugem me reducam. Modò eiusdem sum animi, quo ille, qui apud Divum Augustinum dicebat: *Homo iuvenis sum.* Facio, quod me delectat, & postea pœnitentiam ago. Mentem tuam perbellè percepi, sed edic, quæso per vitam tuam. Putasne quod dæmon te non excœcet? Quinimo; id enim ei proprium est. Ergo audi, quid edisserat Nazianzenus: *Hoc illius consvetudo fert dicentis: Da mihi id quod non fluit temporis, futurum DEO: mihi ætatis florem, DEO senectutem.* Dummo-

Serm. 230. de temp.

Orat. in sancto Baptism.

Dummodo ætatis florem ſibi vindicet, in vili habet, nam ætate devexa Onuphrius, vel Arſenius quidam evaſurus ſis. Non neſcit te poſt ſexaginta annos velle ſocietatibus pravis, vale mittere, & ad Deum te convertere, & acquieſcit: ex tua quippe corporis conſtitutione compertum ei eſt, te anno ætatis quinquageſimo quarto fatis conceſſurum, nec Solem anni ſexageſimi conſpecturum, adeoque te tempora, quæ non teres, profuſa manu in Deũ nõ effuſurum. Porrò, quis mortalium aberrat, niſi is, qui non, niſi ætate annoſa, ſe mortis tributũ exſoluturũ exiſtimat, ubi tot, ac tãti ætate florentiores, Sanctitate robuſtiores, omnibus commoditatibus affluentes, improvisè occumbant? Unus ſangvine in ſomno ſuffocatur, alter bolo cibi lethodatur, unus aquis hauritur, ille in præcipitium alliditur, hic equo in terram excutitur, ille flammis mergitur, hic muro opprimitur, alter coqui inadvertentiâ mortem cum veneno mandit, hic ab eo, qui eſt à cubiculis, ſtrãgulãdus aliis traditur, alter è feneſtra ruit, hic apoplexiâ tangitur, alter lethaliter vulneratur, vel à prædonibus occiditur.

V. Quod ſi Deus homini, dum naſcitur, inquit Gregorius, annos vitæ ad calculum numeratos conſignaret, aliquis poſſet ex triginta, vel ſexaginta unam partem Deo, vel ſibi, prout vellet, diſpertiri. Verùm, cum Deus nec minimum temporis vitæ alicui revelaverit, ſed voluerit, iuxta Auguſtinum, *latere ultimum diem, ut obſervetur omnis dies*; quam non craſsè multi hallucinantur, qui diſponunt de diebus nunquam venturis? Non nego aliquem poſt centum annos in vitiis transactos per momentaneam deteſtationem, gratiæ Dei reſtitui, iuxta huius promiſſum, quod fallere nequit; aſſero tamen tempus, quo talem deteſtationem elicimus, non nobis eſſe certò addictum. *Qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit.* Væ tibi, qui adeò ſocors, & ſecurus tuis peccatis immerſus hæres, nolens non, niſi in ætate declinante iis te expedire; dic Sodes, & curioſitati Divi Auguſtini ſatisfac: *In quo Propheta mihi legis quia promiſit tibi Deus longam vitam?* Non abnuo, quin anno inſequenti Deus te in gratiam ſuam, ſi contereris, admiſſurus ſit, ſed dicito, quæſo, ubi tibi illum annum promiſit? Eſt bonus, inquis nec me repellet; optimè; ſed ſi ego eſſem loco tuo exiſtimarem me in eius amicitiam non admittendum; ac hoc modo tale aſſertum ſtabilirem: Deus miſericordiſſimus, ac totus bonitas, ne pœnas mihi accumulem, annos vitæ præcidet, dum ipſi in comperto eſt, me mediis mihi emendando porrectis evadere peiorem, morbis immiſſis me non curatum, concionibus non correctum, Sacramentis abuſum, admonitionibus amicorum non obtemperaſſe, quin potius iis irritatum. O quanta dementia eſt ſpes longa inchoantium! dicebat Seneca.

Et an non hoc inſania ſumma eſt, ubi agitur de acquirenda æternitate, quæ à nobis infallibiliter dependet eventibus incertis inniti? Parumper ſcire averem, cur ille non æquè ac alter poſſit improviſa morte obrui? Quo facto, quis inferno ipſum ſubducet? Unicus actus contritionis dicet, non, nemo,

Marginal notes: *Gregor. hom. 12.* — *Hom. 13. ex 50.* — *Gregor. ibid.* — *Tract. 33. Ioann.* — *Seneca epiſt. 101.*

nemo. Sed audi. Tu, cui in vita is adeò est insvetus, quomodo ultimæ lineæ admotus eum elicies? Graviter saucius cum fueris, unà cum Chyrurgo Confessarium adesse jubebis. Bella res. An ergo confessarii sint cum Deo immensi, ut nullo loco exsint? Dum viribus defici me sensero, animitus nomen Jesu, ac Mariæ inclamabo, id laudo, & futurum dicerem, si ita tunc tibi, ut modò compos fores. Granatensis homo, in paucis probus, de seipso testatur, quod quadam vice in vitæ discrimen adductus, Dei planè oblitus, solum in id intentus fuerit, quomodo illo discrimine vitæ eximeretur. Et meo sensu in simili eventu, id omnibus evenit; dum enim extra mortis periculum de vita æterna nil cogitamus, toti in id erimus, ut mortem temporalem evadamus.

In vita Thom. Mori, cap. 32.

VI. Præterea de quodam Anglo lego, quod crebrò admonitoribus vitâ licentiosâ, ac perversâ se expediret, id solum reposuerit, hacce curâ non se angerent, tribus solum verbis se cœlum à Christo morti proximum extorsurum. Id quidem putavit, sed spe delusus, dum in ponte quodam equus, quo vehebatur, titubaret, unà cum equo in fluvium subnexum præcipitatus fuit, non Deum invocans, *sed rapiat omnia dæmon.*

Quinimo, quinimo, ô peccator, innitere annis, quos non habes, mendax sim, si tibi non evenerit id, quod Archiæ tyranno Thebanorum, contigit. Cum lautæ cœnæ cum suis accubaret optimatibus, litteræ porriguntur maximi momenti, in quibus à quodam Persa milite admonebatur, à conjurantibus eum ea ipsa nocte cædi destinatum. Rex porro litteras legere dedignatus, eas pulvino suppoluit genialiter dicens: *Seria in crastinum.* Hoc est, hodie pergræcandum est, & crastinâ seria tractanda. Verùm matutinus Lucifer, illi non illuxit, ab ipsis sicariis nocte eadem pridem trucidato.

Non absimiliter factum fuit, cum quodam Hollando, hic, prope ignem cœnans, dum à famulo admoneretur, togam jam flammas concepisse, eum acriter perstringens silere jussit, asserens adversa mensis debere exesse, sed pœnituit eum dicti, dum, vestibus adustis, ignis pellem pervasisset. O Bardi, ô Bardi, pergitote, divinisque vocationibus semper reponite, *seria in crastinum.* Forsitan crastinum non videbitis, hac nocte mortem oppetituri. Clepsydra, ad quam nostra vita numeratur, jam effluxit, tuus avus attigit annum nonagesimum, pater octuagesimum, sed tu trigesimum non combures. *Plutarchus in Apot.*

VII. Nonne semper crassissimè deciperis, dum, omni momento mori potens, emendationem in tempus, quo non eris, differs? Et hoc novo insultu conscientias tam largas coangustare incipio? Concedamus id perversis, quod tamen non est adeò probabile, nempe, Deum tam sceleratis octuagesimum annum concessurum. Quid magis ridendum, quam inter quatuor jumenta, quæ nobis al nda consignata sunt, ut per ea annona perenniter duratura granariis cœlestibus inseratur, ita

onus dispeſcere, ut uni, ac quidem debiliſſimo, quod cum pedibus fertur, ſenectuti ſcilicet totum onus imponatur.

Ex Granatenſi. Tu mihi dicis, quod in ſenectute ſis vitam mutaturus, ſed Spiritus ſanctus contrarium replicat: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* *Prov. 22.* Modò arduitate obſtante non emendaris, quomodo ergo inveteratus, & habitualiter in malo radicatus difficultatibus ſeſe multo gravioribus objicientibus, amoribus diſveſcere poteris? Crediderim à te ignorari illud Auguſtini: *Conſvetudo eſt quadam habituata natura.* *Lib. 6. de Muſica.* Vitium, quod altas radices per viginti, vel triginta annos fixit, ſi eradicaris, id atramento albo annota.

Seneca in Prov. Ipſemet Seneca id edicat: *Tunc deſinit eſſe remedio locus, ubi, quæ fuerunt vitia, mores fiunt.* Nunc prætexis te calcaribus naturæ non poſſe obſiſtere, quomodo ergo illam reprimes dum per aſſvetudinem ſeipſam ſuperat? Divus Auguſtinus experimento edoctus, *Serm. 10. feria 3. poſt Dom. Quinquageſ.* quam difficile ſit conſvetudini irretito pravæ, ad Deum ſeſe convertere, è veſtigio peccato valedici ſvaſit, *ne conſvetudine peccando in ipſis ſe ruinis ſuis ſepeliat.*

Ex S. Doroth. Aſceta ille, qui ab Abbate Dorotheo remedium vitio infami furti reprimendo efflagitarat, jam animum induerat, manus à ferculorum attactu coercendi; nihiloſecius, quantumvis abundè ipſi omnia adminiſtrarentur, tamen, quotiescunque ſe occaſio ingereret, in culina clam clepebat.

VIII. Quod ſi contingeret illum amoribus impuris ineſcatum è tumba vitæ reſtitui, ſanè veteres ſuos mores repeteret. Leviſſimo negotio id perſvaderet illa germana fœmina, quæ, ut virum calicibus epotandis deterreret, quadam die egregiè potum tumulo recondidit, in ſequenti porro die cyathum vino repletum geſtans, num quis mortuorum ſitiret, inclamaret, è veſtigio potator manus ad vitrum extendens in tumulo adhuc reconditus ſe inebriavit. *Ex promon malæ ſpei.* O Deus æterne, & qualis eſt hic modus exorbitans peccatorum? Quæſo te, illis coloribus eum depinge, quibus eum Angelus tuus apud Arſenium delineavit. Ruſticus quidam ligna cæſum ſe in ſylvam contulerat, dumque jam plura cæſa, ac in faſciculum collecta, humeris impoſuiſſet, periculum capturus, num iis ferendis par eſſet, ut eum ponderoſiorem invenit, quam ferre valeret, alia ligna ſucceſſivè cæſa adjunxit, quousque faſciculo in immenſum aucto, illum movere non potuerit, adeoque reliquerit.

Idem tu agis, ô peccator. Tu idem ille eras, qui ligna cædis accendendo igni avernali, adeò auxiſti tua peccata, ut, dum antecedenti quadrageſima ea velles in caput ſuſtollere, algueris, & tremueris. Aſt, ut unum te interrogem, an hoc anno, ea diminuiſti, ut faciliter ea poſſes portare? Nec in capillitio; faſciculus quippe creſcit, viribus interim ſenſim deficientibus. Nec

Nec id sine speciali Dei permissu contingit, ne, dum conversio tibi difficilior redditur, in desperationem agaris. Et quidem dæmon, cujus juri adeò subderis, dum vidit ab initio te ita pronum in scelera, pœnitentiam facilem reddidit, nunc autem eam impossibilem, ac difficilem proponit. Audi Fulgentium: *Alias desperationis tormento te præcipitat, alias fallacis spei deceptione supplantat.* Verumenimvero, dilectissime mi, visne bonum consilium? Illud tibi proponit sanctus Augustinus: Et corrige te hodie propter cras. Quod si hodie te non emendes, nunquam te emendabis. Id dudum prædixit Bernardus: *Ex hac imprudentia pullulabit impœnitentia, mater desperationis.* Ex natura divinæ justitiæ doctissimus Lessius hoc docuit documentum, irritatoribus patientiæ divinæ, Dei permissu, tales ingeri tentationes, ut eis lacessiti damnentur, ubi alias fuissent salvati.

Lib. 1. de re id. peccat.

Serm. 42. in Cant.

Lib. 13. c. 15. de Perfect. Divin.

Verùm, ô mi Deus, tu mihi suppetias fer, nam nunc ultimum arietem adhibeo perversos expugnaturus. Equidem à Veritate non abhorret, inquiunt nonnulli, quod consvetudo, quo magis radicatur, eo difficilius extirpetur; attamen, dum contigerit nos in extremo discrimine versari, extrema tentabimus, quibus modò supersedemus; dum invalitudine obruemur, expertum adsciscemus nobis Confessorem, actuque contritionis intento omnes technas dæmonis elidemus. Aliud nunc est; quippe moles negotiorum nos obruit, nec aliud permittit, cogitemus. Proh dolor, proh dolor, adferte ergastula, ergastula, quibus vinciamus illos mente captos, qui hæc effutiunt. Quis, siquidem ita insaniat, nulli rei tunc intendendum, dum in patriam nunquam visam contendimus, dum intra paucas horas deserturi sumus facultates, & opes tot sudoribus conquisitas, eas relicturi uni orphano inconsiderato, qui eas in luxus, libidines prodigat, dum familia pauperi viduæ consignanda tot litibus à consangvineis interessatis movendis exposita, dum moriendum lite illa necdum determinata, filiâ necdum dotatâ, tot receptis, & expensis in codicillum non relatis, tot contractibus necdum expeditis?

IX. Necessariò dicendum, eos necdum agnovisse morbum qui in ipsa agonia mortis sensus sibi jam expeditos pollicentur. Dum unicus dens eos affligit, exuuntur dominio in passiones, quid non erit, cum omnia membra defecerint, corque desertum à spiritibus in actus prorumpere nequibit? O miseros delusos, & rationis inopes! Vel enim tunc ratio vacillabit, ac ita tunc non poteritis exequi id, quod in illam horam differtis, vel ratio integra erit, & vires fortes, ita, ut vos tunc necdum morituros credatis, & ita pœnitentiam in aliud etiam tempus relegabitis. Quilibet communiter, priusquam putet se animam agere, jam est mortuus, illa incisio ultima venæ eum curabit, per illum sudorem catharrus resolvetur, illa potio animam corpori restituet. Quomodo ergo periculum illæsus pertransibis, quod necdum imminere putas, quodque nullus tibi audet dicere, quod adsit?

Confide miser, quod arteria sensim deficiente à cunctis monendus sis, cum tunc tempus sit. Audi Basilium: *Tui mœrore conficientur, alieni spernent.* Tibi propinquiores doloribus immersi, plus sibi, quam tibi intendunt, alii sua nil interesse dicent. Medicus, qui scit, quod summè sis apprehensivus, quodque, velut multi alii, tali nuntio, veluti fulmine ictus, versus murum te conversurus sis, ac nullo verbo replicato pharmacorum vim impedias, spem tuam fulciet. Confessarius, qui tibi sincerissimè rem, ut est, ediceret, non admittitur, quamdiu tibi præsens es, & hoc, ne testamentum mutare possis, aut adjicere aliquod legatum piũ, rogatur, revertatur manè, eo, quod sit dies criticus, manè, ob totam noctem insomnem traductam, supplices illi fiunt, pauxillum tibi somni concedat, & ita consequitur, ubi tu tot annorum curriculo tuam nauci habuisti salutem, nec eam ursuri sunt tui, quorum minus interest, quam tua! Ast faveat tibi fortuna, quod multis aliis invidit, confitearis exactè, alta trahas suspiria, plangas, pectus tundas, crucifixi plagas crebris osculis salutes, ã te ideò salvum putes? Nequaquam, inquit Ambrosius: *Non præsumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto.* Accino ego, inquit Magister sententiarum, credens *periculosum esse, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiam.* Calculum suum addit subtilissimus Scotus: *Quidem impossibile non est, in extremis habere veram pœnitentiam, hoc tamen difficillimum est, & ex parte hominis,* qui tunc minus est dispositus, *& ex parte Dei,* cui tunc minus, quam unquam, satisfit.

Orat. 4. de Pœn.

Lib. 2. de Pœn.

In 4. dist. 20.

X. Idem considerant varii Theologi, apud Vegam, & Svaretz asserentes, quod, quamvis Sacramenta faciant de attrito contritum, nihilominus in articulo mortis non sufficere attritionem, sed hominem ex virtute Charitatis erga se teneri elicere actum contritionis. Agmen claudat Hugo à S. Victore, credere non volens, pœnitentiam coactam, & non liberam esse salutarem. Quinimo res ipsa docuit, plures animam spirantes, sancta concepisse proposita, quæ tamen in fumos abierunt sanitate recepta, & convalescentibus in deteriora lapsis. Audiamus tamen, quæso vos, Augustinum pluribus locis ita fantem: *Pœnitentia, quæ à moriente tantum editur, timeo, ne ipsa moriatur.* Contremiscite peccatores inveterati audiendo Hieronymum non minus doctrinâ consummatâ, quam experientiâ utinâ illustrem. Hoc oraculum Ecclesiæ ultimæ lineæ admotum erat, spiritus autem eum adeò defecerant, ut vix, & non sine dolore loqui posset, vim tamen sibi faciens, prout postea Eusebius ejus discipulus, sancto Damaso perscripsit, in hæc verba prorupit: *Hoc timeo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus est finis, cui mala semper fuit vita.* Authoritate non sum par Hieronymo, id tamen scio, viventem bestialiter, non mori hominem. Nec mihi objicias exemplum latronis, illud enim reponam. Die, quo filius Dei mortem oppetiit, singularem gratiam debuisse concedi, quæ tamen ejus sodali, totque aliis millenis, qui mortui sunt, uti vixerunt, non est concessa. Mysterium bene capiatis, inquit

Ex promont mala spei, cap. 228.

Lib. 2. de Sacram. cap.

Serm. 67. de temp.

Euseb. epist ad Damas. de morte Hieron.

'e vera, & ...l/apœnit. ...p. 17. quit Augustinus, qui sæpius à Deo vocatus, communi malo perversè viventium meruit eximi. *In fine vitæ verè pœnituit, ut nullus desperet, solus, ut nullus præsumat.* Quis ergo sapientem sugillet, qui irridens perversorum spes vanas exclamat: *Spes impii tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est.* (...p. 5. v. 15.) Omnia arma tibi excussi, ô peccator, nunc meritò tuum cor rebelle urgeam, ut, omni munitione privatum, Dei illud oppugnantis se potestati dedat. Quod si in omni re verum sit illud Comici: *Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet.* ('autus in ...ap.) Id vel maximè dicendum erit in illo puncto Salutis, quod nos summè premere debet. Quomodo tu ergo illud censes securum, qui tot incertitudinibus te fundas? Sed attende, quale tibi consilium monstrare proposui.

XI. Supponamus, quod quolibet momento non possis mori, quod pravi tui habitus, non tam arctè te stringere possint, quin cum tanta felicitate tuos possis colligere fructus, ut fortunatior factus latrone, non ex infami ligno, sed ex lecto in Cœlum volaturus sis. Enimvero siste parumper. Tune sis adeò vilis, ut non erubescas, quod vel cogites à DEO, quem continuò offendisti, fato admotus, rogare prœmium, ac quidem prœmium æternum? Tune illo puncto audeas rogare Salutem, qui, postquam pro te fudit sangvinem, tot annis tuæ debilitati condescendit, qui præ multis aliis tot in te contulit favores, nec in ullo ei gratificari voluisti, nisi dum pœnam evadere non valens coactus fuisti? Cum in aliis primatum ambias, in negotio prædestinationis sine trophæis, sine palmis, sine coronis, ultimo loco contentaris, dignus, qui digitis ab Angelis noteris, velut miles castra dæmonum semper secutus, à Martyribus, tanquam meticulosus, qui nunquam affectus domuit, ab Eremicolis, velut ebriosus, nunquam inediâ se affligens, à Virginibus, velut Sardanapalus, qui inter meretrices incanuit. Apage, apage, quia loqui tibi non amplius dignor, qui homo adeò es sceleratus, ac obduratus, ut, dum agitur de negotio tibi summè utili, teque disponas, ut DEO gratificeris tam bene de te merito, ita, ut vel illud omiserit, quod non est factibile, aut quod visum est tibi non proficuum. An hanc veritatem clariorem vultis? Ohime, quia tam parum percipitur, ideò infernus repletur.

PARS SECUNDA.

XII. Terrovana, Flandriæ nobilis urbs, arcta cingebatur obsidione, hostis deditionem ejus per tibicinem postulabat, cives, ut hostem irriderent, ad mœnia inermes cytharis, ac fidibus choreã exhibituri se contulerunt. Sed profectò hæc chorea illis carò constitit; obsessores enim, hoc despectu irritati, insultum instaurarunt, urbem expugnarunt, tamque

misere eam devastarunt, ut solum nomen reliquerint. Corda obstinata, qui minas Dei spernitis. Quod si hodie, de deditione cum eo non agatis, æternas flammas vobis denuntio. Omnes vires belli vobis sunt enervatæ, ex his duobus ergo unum eligendum, vel desperatè periculum experiri vestrum, vel compunctos vos permittere Clementiæ Divinæ.

Nil dico de iis, qui sese jam dederunt diabolo, jusque, quod in cœlum habent, amiserunt. *Ipsi viderint.* Ad vos dirigitur sermo meus, qui dicitis, quod velitis salvari, cum tamen ex trecentis sexaginta quinque diebus, quos numerat annus, trecentos sexaginta quatuor cum dimidio in via perditionis transmittatis. Ad te loquor, & non ad grassatores viarum, te, inquam, qui amoribus impuris, contractibus usurariis, pravis inimicitiis irretitus à Paschate usque ad Pascha hostis Dei manes, compello, audi, quid tibi dicam. Nequaquam dicere poteris, quod nescias, quam difficile sit, ac indignum, vitiis in morte se expedire, ac per vitam pessimam ad bonam mortem contendere. An ergo tibi fixum est, hoc tempore exomologesin generalem instituere, sceleraque tua apud prudentem, & pium deponere Confessorem, quia ea cognoscat, eaque curare possit? Id fixum apud me quidem est, sed non hac Quadragesimâ. O stulte, & quis tibi aliam spondeat? A præterita usque ad hanc quot non sunt sublati?

Modò difficulter confiteri possum; sed audi, quo consvetudo inveteratior erit, eo difficilius te extricabis. DEUM rogabo, ut spatium pœnitentiæ mihi agendi concedat. Ergone tu gratiam poscas, quæ involvit DEI offensam? Audi Augustinum: *Summa stultitia est, hæc cogitare, cum & impium sit, talem licentiam à Deo postulare quempiam velle, cujus initium est, nos à DEO separare.* Nec tamen adhuc moveor, quando tandem moveberis? Mox, ut expeditus fuero nonnullis laqueis, & impedimentis. Verùm, an tibi dæmon tam stolidus sit, ut novos tibi parare nesciat? an difficultas præsens te consumat? Sed attende, non est tanta, quantam tu fingis. Confessionem institue, ac usque ad Pascha vita peccata, videbisque probam vitam tibi facillimam fore, & nisi hoc sequatur, mendacem me argue, quia sum contentus. Scisne, quâ viâ sanctus Bernardus quendam suum pœnitentem, luxuriæ cœno immersum, ad frugem reduxerit? Amore sanctissimæ Trinitatis rogavit, ut saltem ad triduum castè viveret. Annuit ille, & triduo expleto, totidem diebus in honorem CHRISTI, ac alios totidem in honorem Deiparæ abstineret, institit; Rursus illas inducias paciscitur alter. Elapso tempore præfixo, dum Bernardus illo astu inducias illas diutius protrahere tentaret, alter sese sponte insinuans, tantum dixit sese conscientiæ solamen, ac dulcedinem sentire, ut ea sola induce-

Lib. de salut. doc. cap. 39.

Ex ejus vita.

ducere valeat, ab amoribus impuris sese extrahendum.

XIII. Quid existimas exigi, ut te emendes? Nil aliud quam efficax propositum. *Velle sufficit*, inquit Chrysostomus, *& omnia correcta sunt.* Jam experiris gratiam DEI ad cor promptissimam, quæ te adiuvet. Vivat CHRISTUS, & anima tua, hunc diem actu heroico, & generoso, dignoque Christiano peccatore illustrare debes, meum consilium sequere: *Bono tempore uti incipias; sera parsimonia in fundo est; non enim tantum minimum in imo, sed & pessimum remanet.* Ergone tam indiscretus sis, ut DEO, cui instar patri, ac Domino filialem, & servilem teneris reverentiam, præbeas fæces vini, ac reliquias vasis? Ita, ita; *Rumpe moras, semper nocuit differre paratis.* Pœnitentia vera nunquam fuit tarda, quia tardam nunquam credo esse veram. Quinam sunt hi, qui ad tot motiva, nec in minimo flectuntur? Dicite eis, quod DEI iussu æternam proscriptionem ab eius vultu denuntiare debeam. Vos adolescentes, qui tam citis gressibus in vitia ruitis, nescio, an id, quod ego in emblematibus Alciati legi, videritis. Mors, & amor in quadam popina sese mutuò deprehenderant, hilariterque calices epotantes ita turbati sunt, ut mors arcu amoris sumpto senem petierit, eumque amore corripuerit, amor verò iuvenem amoribus inducere volens, telis mortis, in eum eiaculans, eum occidit. Subtili præstatis ingenio, & me capitis; cor saucium amoris telis aperite, & videbitis amorem morti illa tela surripuisse.

...om. 8. ad ...op. — *...en. lib. 1. ...ist. 1.* — *...can. lib. 2.*

XIV. Vos irridetis consilia Chrysostomi, nec creditis, quod *nascatur ex dilatione periculum*, hæc argumenta censetis esse meras Rhetoricas exaggerationes, quibus prædicatores ante tempus vos tremefacere volunt. Optimè, optimè vobis id dicam, quod Bernardus ingeminavit suo fratri Gerardo, eius consilia non admittenti; *Veniet dies, & citò veniet, cum lancea tuo lateri infixa pectus aperiet salutaribus consiliis, quibus nunc clausum est.* Unicus gladius in illo duello, unicum sclopetum in illo foro probabit meas minas non fuisse ventis sparsas. Quid vultis, dicam ô peccatores obstinati? Non vultis credere verbis tam asseveranter ab Augustino prolatis? *Percutitur hac animadversione peccator ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.* Jam video vos lecto affixos desertos à Medico imò & Confessario hac illacque inquietos vos jactatis, corde rigentes, cum illo avaro dicitis: *O pœnitentia ubi es?* Pœnitentia toties à me neglecta, ubi es modò? Charissimi Auditores, *cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadit, & non continuò extrahet eum?* Cadit asinus ac omnes accurrunt ut eum sublevent, animam verò vestram miseram in illa palude fœtentem linquitis. Audite Augustinum: *Pessima insania nostra dormimus & lascivimus in pigritiis nostris.* O nos miseros! Hæremus in statu in quo nollemus mori. Ah recordemini, Deū qui non est auditus, dū vocaret nō auditurū, dū iudicabit. Uti non

Hom. 22. in epist. 2. ad Cor. — *Ex vita Bernard.* — *Serm. 3. de Innoc.* — *Lucæ 19.* — *Soliloq. c. 26.*

non ante paucos annos probavit quidam infelix Canonicus Toletanus; huic Deus sæpius inspirationes, velut monitores, submisit, ut illi vitæ licentiosæ vale mitteret; sed semper frustra, morbo hunc fatali correptum, cum celebris Concionator conveniret, ad pœnitentiamque animaret, dum respondit, necdum esse tempus, usu lingvæ destitutus est. Ecclesiasticus, cruce manibus arrepta, tempus pœnitendi à Deo flagitavit, psalmum de profundis intonans, verùm, ut pervenit ad versum: *Fiant aures &c.* Christ⁹ manib. clavis affixis revulsis, aures obturavit, voceque severa, quam omnes percipere poterant, dixit: *Quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* Ita rejiciuntur à Christo moribundi, qui in vita ejus hostes fuêre. Amen.

Ex tromont malæ spei.

CONCIO XII.

PRO DIE MARTIS DOMINICÆ SECUNDAE QUADRAGESIMÆ.

Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Matth. 23.

Conspicilia, quæ convincunt ambitiosos, & superbos, debili pollere visu.

I. VAlde deprædicanda est industria humana; hæc siquidem, postquam conspicilia reperisset visum debilem corroborantia, ut ita per artem errores, & vitia naturæ emendaret, hominum ingenia exstimulavit, ne desisterent, quousque varias formas vitris inducerent, modum invenirent, quo ipsamet conspicilia, quasi globi fierent, qui per tormentum, seu machinam quandam procul visum emitterent, roborandoque radios visuales, dũ eos constringunt, ac uniunt, in despectum cujuscunque distantiæ efficiunt, ut objecta distinctè videantur. Oculos aperite, ô Gigantes, & non montibus, sed vitris supra se positis conspicite distinctè hoc, quod cœlos ascendit. Jam

Jam tremunt stellæ, quæ non scintillant, cum tubo optico conspiciuntur. Sciunt hunc tubum esse proditorem, qui manifestat Saturnum quasi vinctum inter duos apparitores duci, Jovemque velut puerum pluribus zonis involvi; Martem notabiliter deformatum, ac minutum esse, Solem subjici fuliginibus fumi, Mercurium, Venerem mutari deficiendo, & crescendo, ac Lunam tandem præter varias cavitates, & prominentias quibusdam quasi ulcerosis luminibus, seu luminosis ulceribus lividam, & sauciam esse.

Quinimo oculi Astronomici ab hoc tubo correcti, jam fatentur, stellas esse plures, quam mille, ac viginti duas, prout suppositum est. Præterea viam totam lacteam his carbunculis pavitam ex eo constat, quod numerus ille stellarum vix possit comprehendi, in qualibet constellatione ex constellationibus quadraginta octo, ut nil dicam de iis, quæ videntur à populis nobis necdum notis. Verùm, si Superi faveant meæ intentioni, alium tubum opticum proficuosissimum animabus visu debili pollentibus cudam. Non pauci sunt, qui eodem defectu laborant, quo Antipheron Oretanus, quem refert Aristoteles nil præter se vidisse, ii nempe, qui velut Pharisæi nil præter se in mundo esse putant, quod videatur; *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Porro, in his discursus meus vices tubi optici aget; siquidem acies oculorum adeò intendetur, ut, dum viderint multo plures esse illustriores, digniores, quam ipsi sint, se nihil esse sint visuri. probl. & ·bi.

PARS PRIMA.

II. Verissimum est, fumo nil nocentius oculis esse. Hic juxta Bernardum *quadam corpulentiâ suâ oculum mentis obscurat, ut jam non qualis es videri possis; sed, qualem te ames, talem te putes esse, vel speres fore.* Porro, quis sit ille, quem non corripiat malum à Cassiano descriptum adeò subtile: *Vt quibuslibet perspicacissimis oculis, non dicam caveri, sed prævideri, deprehendique vix possit?* Quia dicens se exemptum esse vanâ gloriâ, juxta Themistium non magis fidem meretur, quam ferrum, quod fuligine tinctum se negaret vidisse ignem. Qui nulla habet bona, quibus se jactet, jactat se de ipsis malis. *Non est enim, non est,* dicebat Chrysostomus, *vitium ita tyrannicum, & ubique dominans, ex majori quidem, vel ex minori parte, attamen ubique.* Omnes ergo tali malo curari conamur, cum nemo illo non decumbat. Nec putemus illud curandum, si illud descripserimus more solito dicendo, excellentias humanas esse entia ficta; Mundus quippe potius credit proprio experimento, quam Oratori diserto, qui asseveraret divitias, doctrinam, bona, pulchritudinem, non esse ex iis, quæ sint æstimanda.

Lib. de grad. humil.

Lib. 2. instit. cap. 1.

Chrysost. orat. 1.

Melius consilium svadet os aureum, ideoque non dico, *quod gloria brevis*

Hom. 59. in Matth. *vissimi est temporis* , nec , *quia citò extingvitur*; *sed quando maximè floret, tunc mihi , rogo , ipsam ostende.* Nullus sit inter nos Theagenes vocitatus fumus, qui , dum nil subtilitatis haberet , usitatâ suâ vanâ gloriâ diffluebat. Bona existimatio , qua quilibet se æstimat , sit fundata. Ut hoc assequamini , quilibet tubum opticum adhibeat , hoc est , quilibet unicum cogitatum emittat adeò eminus , ut non solum se, sed & alios conspiciat. Non solum obtutus in inferiores figamus; hoc enim, cum sit gratum, nimis crebrò agimus , sed & in eos , qui nos longè aliquâ prærogativâ antecellunt; Eos conjiciamus , ac certus sum , à rubore, in quem dabimur ex illo conspectu , nos vanam gloriam abominaturos, huicque nunquam pejus fuisse , quam nunc , dum talia conspicimus.

Isaiæ 2. III. *Dies, dies Domini exercituum super omnem superbum*, ac supra me ante omnes, qui dum vanam gloriam in vobis expugno, ego eam intra me admitto. Quam miserè ego hoc Apostolicum munus exerceam, vos satis videtis, esto ego id non dicerem. Mente captus forem, si ego reverentiam, quam vos defertis verbo Dei , in meritum meum derivarem. Verissimum est, nec ego minimum ambigo, quod sola vestra humanitate moti huc confluatis, solaque patientiâ gratiosâ instigati hic permaneatis. Verumenimvero, ne caput debile in hac sublimi cathedra tumefieri, ac supra se erigi possit, obvium se mihi dedit, bona mea sorte amicissimus meus sanctus Joannes Chrysostomus, à quo perbenignè ad quoddam xenodochium, quod Deo ita rogante à sancta Humilitate erectum fuit , ad curandos superbos convalescentes deductus fui; vixque pedem conclavi amplo intuleram, ac è vestigio ad me conversus subridens mihi comiter, & saliariter in aurem insusurravit dicendo: *Quid altum sapis, quoniam per verba doces?* Ergone tu sis ex iis, qui, dum lingvæ usu valent, se eloquentes existimant? Oculos paulisper in partem sinistram conjice , videque in iis picturis eleganter delineatas ac numeratas eloquentias, ac facundias tot Oratorum Atheniensium , & Romanorum, quorum lingva plus potuit, quam gladius Martium bellicosorum. Tuis jactabundis cogitatibus hi conspectus conspiciliorum vicem præbeant , hic videant, hic examinent, hic determinent, quis tibi locus inter Rhetores debeatur.

Profectò non præsumeres in scena congredi cum Hortensio, in declamatione cum Tullio , subtilitate cum Thucidide , vehementia cum Pericle, copia cum Isio; nitore cum Theophraste , svavitate cum Platone, soliditate cum Aristotele, eminentia cum Isocrate , animositate cum Demosthene, energia verborum cum Quintiliano, connexione cum Plinio, sententiis cum Seneca. Octo dies impendis concioni mediæ horæ , nec omnes tuæ lucubrationes extemporaneo Georgio Leontino te adæquant. Quod si periodum absolvas sine lapsu, memoriam velut

velut Numen adoras, quæ tamen nec in minimo componi potest memoriæ Portii Lattronis, qui quemcunque discursum prolixum chartæ mandatum illectum recitavit, Senecæ, qui eadem ordine bis mille nomina audita repetebat, Pico Mirandulano, qui nec unâ syllabâ omissâ carmina plurima canebat, ac ordine inverso recitabat, Adolescenti Corsicensi, quem Muretus cognovit Paduæ, qui triginta sex millia nomina eodem modo proferebat.

Quod si illos affectuum, ac voluntatum dominos, qui audiebantur velut oracula, suspiciebantur velut miracula, pruritus vanæ gloriæ vellicaret; Si Tullium, inquam, qui viginti duobus millibus clientibus stipatus obambulabat Romam, Demetrium Phalereum, cui Græcia 360. erexit statuas, Proeretium, cui conditus Colossus hac inscriptione: *Regina rerum Roma Proeretio, Regi Eloquentiæ*, cui à Constantio Imperatore plures insulæ donatæ. Si Dionem, quem Trajanus eodem secum curru triumphali insidere jussit, si illos repeto, jactantia lacesseret, id condonandum foret Sed de quo tu intumescas, & ergaris? Dum sunt quatuor, qui tibi applaudunt, centum, aut mille sunt, quibus displices, vel qui te non capiunt. Tune sis prædicator?

Oculos paulisper in illas tabulas elegantes ad latus dextrum affixas conjice, & videbis in illa vastissima basilica Byzantina perorantem Chrysostomum à conferta multitudine applausum ferre, in Africa Augustinum, in Francia Hilarium, in Romania Chrysologum, innumeros auditores habere. Omnem suam patientiam fudit, qui te mediâ horâ audit. Cum tamen in Germania Joannes Capistranus, ac si populum fascinasset, quæ latinè per tres horas disseruisset, per interpretem duabus horis proponeret, quotidie auditorum numero, & fama crescente. Tu te venditas Orpheum, si auditores numeres bis mille, beato interim Venturino ex Lombardia triginta millia Romam evocante ad suas conciones, ac beato Bertholdo è Minorum familia Ratisponæ sexaginta millia auditorum censente. Omnipotentem in monendo te jactas, si vel unicum suspirium ab afflicto elicias, dum Vincentius Ferrerius decem mille publicas pœnitentes secum trahit, Antoniusque Paduanus, & Bernardinus Senensis ipsas popinas, ac ludorum domos dissolutissimas in pœnitentiæ scholas convertunt. *Tibi igitur, unde gloria, putride pulvis? tibi unde?* Tu, illis sanctis Syrenis comparatus, quid es in cathedra, nisi garrula cicada super arbusculum cantillans? Ut porro Veritatem edicam, hæc perspicilia mihi multum prosunt, siquidem, nunc video visum me habere debilissimum, nec scio qui has elationes ferendo sim.

IV. Enimvero, utinam, utinam, nos Concionatores solitessemus, qui in hospitali superborum convalescentium conclavi egeremus! Nos, qui omnium primò deceptione educti sumus, aliis viam monstrabimus. Seneca Romanus Sapiens, quosdam mihi adolescentes, *comâ nitidos, de capsula totos*, *Epist. 10.*

 mon-

monstrat. Dominæ matri speculum surripuerunt, in illo per plures horas se consulunt, diceres cincinnis eos in aera tolli, unde vix terram calcant. Ne ab iis salutationes, aut plus quam unum genu in ecclesia flectant, expectes. Flore sangvinis Europæi ditati videntur, nec formam cum Apolline, nec gladium cum Marte commutarent, vestiuntur instar pavonum, velut galli incedunt, tot suffumentis delibuti sunt, ut nemo putorem eorum fumigantem sufferre possit. Quæso vos, eos huc arcessite, ego tubum opticum, ac porticum pro iis in hoc ægrorum loco habeo. Non sine mysterio DEUS ejus frontispicio inscripsit: *DOMINUS cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ.* Vix duos ambulabunt passus, & videbunt comam eorum necdum veniisse centum scutis, uti veniit coma Absolonis, nec prosapiam eorum censuisse duodecim Cæsares, ducentos Reges; Conspicient, quod cum tota magnanimitate, & generositate sua, nec in hilo conferri possint tot millenis victoribus in ludis Olympicis. Et quamvis gladius eorum viderit Solem, quod tamen necdum est in comperto, necdum tamen demessuit illas palmas, quas Manlius Capitolinus, & Scipio septendecim annos nati obtinuerunt. Insuper notabunt, quantum non solum valore bellico, sed & forma à magno Macedone superentur. Conspicient Pythagoram, cui non possunt componi in scientia diversarum scientiarum, ingeniosum Tibullum, à quo longè antevertuntur svavissimo versuum cantu. Cognoscent, quod non sint nisi Parides ad solum delectum, & lustrationem apti; Cum enim non sint, nisi forma, ac exterior species, quæ sub venustis genis parum judicii habet, Venerem præ Pallade insectantur, ac proprias domos in ruinam adducunt.

Isaia 23.

V. Nec tu, qui annis jam devexus, jactas te bonum œconomum, & meliorem politicum, hos Narcissos, qui, philautiâ capti, tam miserè pereunt, irrideas. Scio enim, quod si te conferas iis, qui sua non melius sciverunt moderari, quam moderatus fuerit Phaeton equos Solis, amplius tumesces, quam bos, qui bestiolam quandam, ut recenset Ælianus, devoravit. Sed expecta parumper, hic adsunt sapientiores Romanorum, tua principia exactius discussuri, quæ si verùm fateri velis, sæpissimè tibi, ut optabas, non successerunt. Non diffiteor, quin rem familiarem auxeris, necdum tamen cum Cæsare fundasti monarchiam. Tuas auctiones meritò subsannat Marius, Catoque tua consilia in vili habet. Tiberius secretorum tenacem involutionem superabit, ac Fabius Maximus propositorum executionem antecellet. Præterea felicitate cedes Metello, formidabilior te erit Sylla, amabilior Pompejus. Quod si agas militem, ducam te in conventum Scipionis, Annibalis, Gurgiatæ, Pyrrhi, Constantini, Theodosii, Caroli quinti, Francisci primi, ut videamus, an his gladius tuus æquiparari possit. *Quid*

Ælian. lib. 6. cap

cristas

Tom. 4. de er. Isa. vidi Dom. *cristas igitur erigis, homo, fumus, & vanitas?*

Verùm, ô Chrysostome, tu solum inveheris contra viros, ac si fœminæ omni modo illo vitio exempti essent. De Livia, matre Tyberii, narrat Dio, se illam diem in publicis historiis referendam curaturam, quâ ei perorare liceret; Quod si plures ex Gynecæo indignationem suæ Ducissæ non timerent, nescio, quænam flagitia de ea non referrent. Est nonnulla, quæ dum se deformibus comparat, Helenam se putat, sed errorem mittet conspiciendo tabulas Rachaelis, Judith, Hesther, sciatque, quod venustate sua non acquisierit imperium, uti Athenaides, quodque illi, à quibus indigitatur Diva, ut eam adipiscantur, non moveant bella, quæ pro Helena moverunt Asia, & Europa. Alia, quia Gallinarium bene regit, spiritus sibi sumit totum moderandi mundum, sed recensitas in his imaginibus relegat, actiones prodigiosas prudentissimæ Pulcheriæ, ac incomparabilis Amalasuntæ, *quam videre nemo sine admiratione potuit, quam & audire loquentem fuit miraculum*, teste Cassiodoro, quippe præter dona naturæ, & gratiæ, quibus pollebat, cunctas perfectè callebat lingvas.

Dio lib. 57.

Cassiod. in Inst.

Est alia, quæ, dum scit legere, & nonnulla verba Latina intelligit, decimam inter Musas, ac decimam tertiam inter Sibyllas se esse prætendit, sed vel paulisper, si lubet, ascendat illam cathedram, ibique legat cum eruditissima Hippatia Alexandrina omnes scientias, vel cum Catharina, Marcella, Fabiola, Eustochio, contra doctissimos Philosophos, & Theologos illa dogmata defendat. Alia, quia tenerrimi est animi, inter orandum, nescio, quoties non plangit, & en se tertium usque cœlum raptam putat, sed oculos conjiciat in sanctam Godolevam, barbaro marito adeò obedientem, Lidvvinam infirmitatem triginta octo annorum tam patienter sustinentem, sanctam Felicitatem filiorum tam enixam curam gerentem, sanctam Elisabetham servis adeò benevolam, sanctam Franciscam Romanam, adeò familiarem Angelis, sanctam Catharinam Senensem, amoribus adeò castam, conjiciat, inquam, visum in eas, nam tubo optico, visum roborante, suas impatientias, ariditates, & tepiditates conspiciet.

Ex histor. Socrat.

Quod si alia ob numerosam se jactet prolem, sub oculos ejus sola ponatur fœcunditas Ardeliæ Sabaudæ, Ludovici sexti Galliarum Regis, uxoris, quæ gloriari potest, quod à se hucusque descenderint viginti septem Reges Franciæ, Imperatores Orientis octo, Reges Siciliæ sedecim, Aragoniæ tres, Poloniæ sex, Hungariæ tredecim, ac Navarræ totidem.

VI. Verùm admonitus sum, dormitorium ac conspicilia procurarem pro tot eruditis, qui, quo plus participant de ingenio Angelorum, eo magis tentationi eorum subjecti sunt. Non pauci milites, qui, cum sub uno Clito, uno Lysimacho, uno Sexto Pompeio victoriâ quadam potiti sunt, venditant

se tanquam Neptunos in mari, Martes, ac Hercules in terra. Multos insuper doctos Scientia in dementiam propulit. Unus Chrysippus gloriatur, *quod solus sapiat, reliqui verò sicut umbræ feruntur.* Unus Caliphanes plures parat, ac recitat libros, quos tamen nunquam prælo commisit. Palemon secum litteras natas, & interituras assevera-bit. Et quamvis verissimum sit id, quod olim dixit Laurentius Justinianus, nempe, *quod simul præsumptio, & Sapientia nequeunt habitare*; attamen hodie videmus, quod simul stent, cum S. Hieronymus *Philosophum gloriæ animal* definiat. Quos non modernos sugillabit Aristoteles, prout quondam derisit illum adolescentem dicens: *Vellem esse tam sapiens, quam iste sibi ipsi videtur?*

Lib. de casto connub.

Mi Charissime, ob unicam lectionem, quam habes in Academia, & exiguum, quod ostendisti acumen in epigrammate, anagrammate, ænigmate, emblemate, aliquo acroamate, te velut Phœnicem ingeniorum jactas; ast oro te, Bibliothecam paulisper intremus, in qua Deus cuncta ab initio mundi hucusque recondidit. Et videbis à bibliotheca hac Dei, superari Ambrosianam, Vaticanam, aut aliam, in qua Gordianus reposuit sexaginta duo mille tomos, Plutarchus in alia ducentos mille. Videbis in illis eluviem Grammaticorum, Oratorum, Poetarum, Historicorum, Philosophorum, Theologorum, Scholasticorum, Politicorum, Moralium, Juristarum, Medicorum, Cabalistarum, Alchimistarum, Geographicorum, Geometrarum, Astrologorum, & quidem in cunctis lingvis. An forsitan alicui ex his æquiparandus es? Videamus id parumper. Mundus tuis operibus non applausit, ut logicæ Aristotelis, eloquentiæ Tullii, Æneadi Virgilii, Hierusalem Tassi; Necdum tua opera in tanta copia coempta sunt, ac tanto pretio, velut Iliades Homeri, quæ solutæ sunt centum mille, & pluribus scutis. Ego te non reputo alterum Mitridatem, qui viginti duas calluit lingvas, nec velut Augustinum, aut Hieronymum, qui, quicquid ante ipsos scriptum fuit, lingvâ Hebrçâ, Græcâ, Latinâ, Arabicâ, Persicâ, Medâ, Syriacâ legerunt. Libri, quos legisti, non multo majores sunt codicillis, ex iisque, quibus incubuisti, valde parum reservasti. Cum natus sis talpa, facis te aquilam, & quia aliquot vicibus fuisti in Parnasso, præsumis volare plus, quam Pegasus.

VII. Tunc intumescas, ac supra te extollaris, cum scripseris cum Sulpitio octuaginta supra centum volumina, cum Theophrasto trecenta, cum Chrysippo septingenta, cum Aristarcho mille, cum Origine fermè tria millia, vel id minus tunc te jacta, cum par fueris Ludovico Prothonotario Romano peste sublato in Concilio Basileensi, ætatis anno trigesimo, qui referente Ænea Sylvio, quicquid unquam in iure utroque legerat, proprio nomine poterat referre, vel Charmidi, quem adeò deprædicavit Plinius, quod librum lectum à capite usque ad calcem, nec

Æneas in sua histo.

Plin. in histor.

nec unâ syllabâ demptâ, repetierit, aut Theodoro Merochitæ, de quo testatur
lib. 5 histor. Georgas, quod suppleverit omnes libros; quidquid enim legerat, syllabatim edicebat. His ita se habentibus, an non meritò exclamet beatus Laurentius Justinianus :
li. ligno vit. cap. 4. *Omnia fatuitas, ô stupenda cœcitas, ô dedignanda vanitas cordis nostri, cujus cervicosos motus omnino damnare non potest, humilitatis tanta materia!*

Dato, quod maior esset in nos solos collata scientia, dexteritas, gratia, quam in omnes simul; adhuc tamen essemus imperfecta, & contemptibilia animalia. Quomodo ergo tot aliis inferiores supra omnes volare prætendimus? Sed quid? Vbi, quæso, linquimus quosdam Pharisæos baptizatos, qui, cum non sint, velut ille publicanus, usurarii, fures, concubinarii, grassatores, eos damnant, & sese velut sanctos canonizant? Jam dudum sanctus Grego-
l. 28 mor. c. 2. rius tales lippitudine oculorum laborare scripsit, quodque *hoc vitium quantò magis patimur, tantò minus videmus.* Tubo optico, conspiciliis visum eorum adeò roborate, ut virtutes Sanctorum, in illo angulo latitantes, iis sub oculos coniiciantur. In quonam angulo Ecclesiæ latitas, qui
Luca 18. dicis : *Non sum sicut cæteri hominum?*
l. 1. c. 18. Gerson hic te compellat dicens : *Intuere sanctorum Patrum vivida exempla; & videbis quam modicum sit & pene nihil, quod nos agimus.*

VIII. Quia illo Sabbatho, DEVS porro scit, qualiter ieiunas, magnum quid te præstitisse putas. Vide tot Eremicolas, qui non gustarunt, nisi Orizam, nullum cibum, nisi crudum qui totas quadragesimas impasti transmiserunt. Postquam duos obolos dedisti pauperibus, te conferendum putas sancto Joanne eleemosynario, sed ecce, habes tot, ac tantos, qui, postquam omnia erogarunt in egenos, seipsos non semel, sed sæpius vendiderunt, ut nummos compararent, quibus miseris succurrerent. Quandoquidem aliquo tempore à piaculis gravioribus abstines, simulachrum te Innocentiæ putas, ast obiicio tibi tot milites, aulicos, Principes, qui superatis omnibus occasionibus peccandi ac sese contaminandi, innocentiam baptismalem Cœlo intulerunt. Eo ipso, quo errores commissos, flagris, inedia castigas, te primum pœnitentium reputas. Sed en, ego tibi propono, tot, & tot, qui non unum adulterium, incæstum, fratricidium, sed unicum indicium temerarium, unum verbum minus providè prolatum, unam distractionem momentaneam, plurium annorum severissimâ pœnitentiâ, catenis se vinciendo, in specubus se abdendo, in fossis se sepeliendo, columnis insistendo diluerunt.

Cum ob Deum patiaris aliquam iniuriam, à superioribus, æqualibus, vel inferioribus, in dubium trahis, an in Cœlo sint tot laureolæ, quot tua promereatur patientia. Sed ecce tot milliones martyrum, qui quasi insensibiles, sputis, colaphis, contusionibus,

nibus, equuleorum distensionibus, discerptionibus, dilacerationibus, excarnificationibus, tostionibus exerciti sunt. Omnia tua merita in fasciculum colliga, ea confer, non uni CHRISTO, Mariæ, sed uni Paulo, Athanasio, Xaverio, & si non videas, tua ex parte esse vitiosa, iurem te nihil videre.

Verissimus est hic discursus Auditores. At audio Gverricum Abbatem: *Vtinam nos haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam verè Sancti habuerunt in virtutibus suis.* Ut semper nutriamus nostram inanem superbiam, dum sumus pygmæi, comparamus nos gigantibus, dum ignorantes, sapientibus, dum perversi, bonis. At Sancti, quantumvis essent virtuosi, sese æstimarunt peccatores, ubi nos cum vitiis nostris adoramus nos velut Sanctos. Verumenimvero, vestrâ veniâ liceat, ut me ante omnes abscondam. Non mereor vocari prædicator, cum ab Oratoribus, & Rhetoribus sim confusus. Non me censeo Religiosum, dum à tot me superari video. Totus confusus dico cum magno Machario: *Vidi monachos verè monachos, non sum ego monachus.* DEUS scit, quam citò hoc lumen in me moriatur, quamque faciliter conspicilia, quæ mihi paro, rumpantur.

Serm. I. de purif.

Ex ejus vita.

PARS SECUNDA.

IX. SErius adverto, quod effluxerit hora. Vitia congenita naturæ, quamvis oppugnentur, non tamen expugnantur. Nobis, inquit Nissenus, *vitium elationis connatum.* Vana gloria nobiscum nascitur, ac moritur; Ut enim advertit os aureum, hoc unicum vitium in mortuis vivit, in illo Mausolæo superbo, in illo Epitaphio longo, in illis funeralibus magnificis, vana gloria est ultimus pravus habitus, quo homo spoliatur. Id olim disertè, ac sincerè confitebatur, & inquietus lamentabatur Augustinus: *Est enim qualiscunque, in aliis generibus tentationum, mihi facultas explorandi me; in hoc verò nulla est.* Nemo est adeò miser, quin non de aliquo dono, sibi à DEO collato, congratulari possit, adeoque quilibet sementem secum habet huius malæ herbæ, quoque aliquis plures gratias habet, eò copiosius semen secum illius gerit. Bene dicit Pacatus: *Est enim Felicitatis indiscreta pedissequa superbia, & vix cuiquam contigit abundare Fortunâ, & indigere arrogantiâ.*

Orat. I. de beatit.

Hom. de inani glor.

Lib. 10. Confess. c.

In panegyr. Theod.

Attamen abi hinc vana gloria, vivat CHRISTUS, ac Veritas. Etenim, quamvis vana gloria sit sicut cepa plurimis corticibus, uti eam indigitarunt Sancti apud Cassianum circumvestita, veruntamen esto non omnes detrahantur, unâ tamen detractâ, superbię nostræ odiosa, execrabilis, insupportabilis reddetur. Non adducam vobis Petrum Blesensem definientem, quod vana gloria: *Est ærugo, quæ omnem mentis ornatum depravando consumit.* Nec cū Arnoldo Carnotense, quod est

Lib. I. inst. cap. 5.

Epist. 3.

In cap. I. Marci.

x Plini. in ...nto: est: *Scabies virtutis, & tinea sanctitatis*, Nec cum Victore Antiocheno, quod sit fatale venenum, quamvis plures illud gestent in coronis cum Cleopatra. Nec adducam Basilium asserentem: *Hanc esse dulcem spiritualium bonorum spoliatricem*. Quæ ita omni merito apud Deum vos privat, ut aliam mercedem ab eo postulare non queatis

X. Vnicum solum dicam, quod nimis verum est. Nunquam nempe vos in mundo minus æstimandos, quam cum vos magis æstimaveritis. Alium non adducam, quam Chrysostomum, mea dicta confirmantem; *Licet infinité sis conspicuus; si vanæ servias gloriæ, ipsemet glorificatus es, per hoc teridebunt*. (Tom. 3. ad ...pul.) Qui magna de se præsumit, an non potest in discursibus, gressibus, Loquelâ, conversatione, hoc demonstrare? Quinimo, nemo est qui hoc nesciat, ac probet, neque enim, quis tam ignarus est, qui non sciat fumũ occlusis ianuis, ac fenestris, exire per fissuras, & rimas. Quinimo ostende, ac demonstra, quod nihil teipsum ducas, ac omnia tuis anteponas, & nauci te ducas; adhuc tamen à te offensi, ne sese putent te inferiores, contra te conspirabunt.

Verum, vende te eum, qui non es, nisi tamen Larvã induas Asini Æsopi, nihil lucraberis. Stolidum hoc animal adinventâ pelle Leonis, illâ indutâ prodiit inforum, verum mox ut in illud prodiit, statim rudendo, ac gressus figendo se prodidit, unde è vestigio canes illud morsibus, ac pueri lapidibus petierunt, quin imo parum abfuit, quin Dominus cum alienâ, propriam ei detraxisset pellem. Tu te alium ostendisti, sed non ita exactè, quin non proditus fueris, quod si velis ut peius habearis, ostende te superbum, nec enim titulum pejorem homines reperire possunt. Hinc Romani, dicente Pacato; *Tarquinium execratione postremâ hoc damnarunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, avaritiâ cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt superbum, & putaverunt, sufficere convicium*. (In Panegir.)

Iam itaque vides, quod cristas erigere non sit via amorem, vel æstimationem conciliandi. Sis quantumvis magnus, quamprimum te ostenderis, deficies. Nunquam mundus tam clare fuit illustratus, ac fuit Ægidius Romanus, hoc principibus documentum instillans; *Qui decus aliquod imperfecté obtinet, magis ob illud suspici desiderat*. (Lib. 1. de regim. Prin.) Porro id edoctus est à Stagyrita, ac Beato Nilo, cujus hoc est axioma. *Superbia sterilitatis, ac paupertatis animæ indicium*. Profecto non es tam sapiens, qualem te venditas, modestissimus fores, si talis esses, ut enim dicit Plutarchus: *Quo magis cuique ex philosophiá accedit rationis, eo plus decedit fastus, & arrogantiæ*. (In libello Quomodo) Non es sanctus, qualem te æstimas; nam juxta Gregorium: *Qui de perfectione se erigit, habere se bene vivendi, nec initium ostendit*. (Lib. 9. Ver. C. 10.) Revera inter sapientes non numeratur Eutidemus, qui totus in hoc fuit, ne videretur à quopiam aliquod discere. Primas obtinuit Augustinus, qui nullius detrectavit esse discipulus.

Si legeres Paulum Samosatenum proprias curasse laudes decantari in ecclesia, Neronem, & Caligulam voluisse adorari, ut Numina, sputo

eos conſpurcares; Quod ſi veritatem velis dicere, tu in Tully orationes, quantumvis maximi Oratoris inveheteris, quia quoties ſe offert occaſio in proprias laudes aſſurgit. De ipſo Phocione nimis generoſo cecinit quidam. *Quantus erat Phocion, niſi idipſum præſe tuliſſet*: Ant. lib. 11.

Auditorés mei, mundus riſit illum Senecionem, qui ut grandis videretur, puncto pedum gradiebatur. Potius irrideantur illi, qui dum ſunt pigmæi, cupiunt videri baſes coloſſi. Nunquam veram habebitis gloriam, ſi vanâ paſcimini. Experientia ſiquidem nimis illud Chryſoſtomi probavit: *Non poteſt eſſe ſuperbus, qui fatuus non ſit.* Hom. 39. a popu. Et ut veritatem fatear, ſatius eſt eſſe fatuum, quam inſolentem, quod ſi non velimus amore Dei, ſaltem turpe hoc vitium amore noſtri fugiamus. Quod ſi fueritis humiles, apud Deum ſalutem, & apud homines gratiam, & reputationem habebitis. Utrumque autem perdetis, ſi gloriæ vanæ fueritis cupidi.

CONCIO XIII.

PRO DIE MERCURII DOMINICÆ SECUNDÆ.

Dic ut ſedeant hi duo filij mei. *Matth.* 20.

Inimici noſtræ perſeverantiæ.

1. O Cogitationes meæ amoenæ, hodie ex animo meo nimium perturbato diſcedite. Non eſt tempus gaudendi, dum tam rationabili timori locus eſt. Ergone non ſufficiat mundum pro Chriſto reliquiſſe, ſed etiam poſt magnalia eius tot gentibus prædicata, in nomine eius tot miracula patrata, tot adverſa eius amore perpeſſa, adhuc aliquis ipſam ſalutem in manu habens, poſſit perire? Ergone Dœmones, quos ex aliis eiecimus noſtras queant animas intrare? Ergone quis non exhorreſcat, quod aliquis Deum perdat in die redemptionis, in loco gratiarum, tot favoribus adjutus, tot Sacramentis armatus? Profecto pauci callent vias Dædali, dum enim medium non poſſunt tenere: *Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos.* Pſal. 106. V. 26. Icari non ficti, ſed veri, qui lapſi ſolum videntur temerarii, & audaces, quo altius tentarunt evolare, eo lapſu graviore ruunt. Ah noſtrum ævum, quot non horum habet exempla, qui divinam ingreſſi ſervitutem cum filiis Zebedæi, prætendunt ſedes, ſed poſteaquam aliquo

quo tempore velut indefessi operarii in vinea Domini præstiterunt operam, turpiter cadendo redeunt ad mundū, sequuntur castra Diaboli, propriis sese permittunt affectibus.

Vidi quendam ex Europa ad Japones pergentem, ut palmam martirii consequeretur, dumque jam jam esset plectendus, metu tormentorum fidem turpiter abnegavit. Video hodie aliquem agere prædicatorem Apostolicum in Bavariâ, & cras invenio eum infamen esse Ministellum Magdeburgi in Saxonia. Vidi Archiepiscopum nominatissimum in Italia, paulo post Apostatam fœdum in Anglia. Quotidie in theatro nostræ tragædiæ hæ personæ mutantur. Ille heri erat Religiosus, hodie est miles heri devotus, hodie dissolutus, heri in pulpito, hodie in prostibulo. Quinimo tempore Nazianzeni, ac Hieronymi

Hiero.ep.83. talia contigerunt. *Heri in sacrario, hodie in gurgustio, jam inter Clericos, nunc inter saltatores.* Nec sæculum aureum ecclesiæ hisce funestis successibus caruit. Unus quippe fuit Judas inter Apostolos. Nicolaus inter septem primos Diaconos. Ex Tertul-

De propri script.c.3. liano habemus scholam Pauli quatuor produxisse Hæresiarchos, Fligellum, Hermogenem, Philetam,

Disput. 17. in Io. & Irenæum. Ac ne dicam id, quod perhibet Salmeron, nempe ex centum viginti, in quos sacro Pentecostes die illapsus est spiritus sanctus, quatuordecim lycæa hæresum in orbe Producta sunt; testatur Climacus septem ex discipulis Joannis in hæresin lapsos.

Quid ergo nos Charissimi (N N.) faciemus? An spem nostram adeo infundatam continuabimus? Absit, inquit Cyprianus: *Adhuc in sæculo sumus, ad lucem in aere constituti, de vita nostra quotidie dimicamus.* Ergone animum despondeamus, ac hosti nos dabimus? Nunquam id cogitemus; cum enim multi in cœpto bono opere perseverent, hi nos inquit Chrysostomus potius animare, quam ii, qui desistunt, terrefacere debent. Ergo, ergo hodie totum id exenteremus quod palmam, & coronam nobis præripere potest. Quæso vos Patres antiqui, sit veniâ verbo, lustremus valla, & aggeres inimicorum, qui acriter nostram perseverantiam oppugnant, diligenter investigemus, nam eos inveniemus, ac ego eos vobis significabo, ut iis cognitis eorumque technis manifestatis, media adhibeatis, per quæ evadatis. Lib.1.epist.5 Cont vitup. vitæ monast.

PARS PRIMA.

II. Quod si quispiam, qui aliquo tempore bonum se exterius exhibuit, tandem deprehendatur malus, ac perversus, id non est referendum in defectum perseverantiæ, cum id revera nil aliud sit, quam detractâ larvâ, malitiam prodere. Si credamus Eutropio, Julianus Apostata, quia nunquam fidem habuit, non potest dici eam amisisse, nec enim fuit unquam grandior impostor, quam dum sub Constantio se devotissimum simularet Christianum. Nestorius præterea,

quamvis assumptus ad Patriarchatum, tantum Zelum, præ se tulerit, tamen ut inquit Vincentius Lyrinensis ipso dignitatis principio dixit Theodosio: *Tu mihi terram Hæreticis purgatam tribue, & ego tibi cœlum retribuam.* In fine tandem apparuit, qualis in initio fuerit; *Illum enim opinione vulgi aliquando magnum humana magis fecerat gratia, quam divina.* Alius plures annos inter Religiosos transegit, nunquam tamen Religiosus. Nostra simia larvata fuit, quod si jam appareat talis, qualis est, ne doleatis, tempori servivit, ac hypocritam egit. Egregie talem personatum egit sophista Ecebobius, qui referente Socrate fidem cum Imperio semper mutavit. Sub Constantino Catholicum; sub Constantio Arrianum, Apostatam sub Juliano se exhibuit, palliumque ventis aptare apprime scivit, nunquam veram pietatem animo colens. Falsum est talem à cœpto opere desistere, quum nunquam cœperit. Irride eorum protestationes. *Neque plantatus*, inquit Isaias, *neque satus, neque radicatus in terrâ truncus eorum, repente flavit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos.* Illæ ergo plantæ, quæ cadunt, veræ, & non apparenter sunt plantatæ. Et quia tales frequenter dantur quæ cadunt, rogavi Patres mihi monstrarent authores, & fontes.

Baro. an. 428. Vin. Lyr. c. 16. — *Lib. 2. Histor. Eccles.* — *Isa. 40.*

III. Et en Tertullianus votis meis annuens, primum mihi monstrat, quique maxime in hac venatione desudavit. Vis scire quisnam hic sit? Natura nostra; hac enim perseverantiæ nostræ, nullus est infensior. Perseverantia solum sectatur perennitatem, natura vicissitudinibus delectatur. Habitum vertere, naturæ totius solemne munus est. Nescio, an verum sit, id quod de Hyacintho perhibent naturales, toties nempe eum à se diversum, quoties cœlum mutatur. Scio interim, quod Job de homine dicat: *Nunquam in eodem statu permanet.* Continuo homini ingeminandum monitum Ambrosij: *Accessu unus esse.* Luna in suis motibus &, eccentricis differentiis, non habet tot varietates, quot imaginationes, conceptus, proposita, quilibet nostrum quotidie versat. Illa infamem se reddit per exemplũ, quod suâ nimiâ instabilitate, & inconstantiâ mundo exhibet. *Modo curuata in cornua, modo aquâ portione divisa, maculosa, & subito pœnitens, immenso orbe plena, & repente nulla; alias pernox, alias sera; deficiens, & in defectu conspicua;* Cum tamen nos quotidie infinitis alterationibus subiiciamur, nunc hilares, nunc tristes, nunc audaces, nunc timidi, nunc benevoli, nunc irati, nunc severi, nunc clementes, nunc amantes, nunc invidi, in prosperis mites, in adversis impatientes, in iis elati, in his dejecti.

De pallio c. 2. — *Iob. 7.* — *Epist. 8.* — *Plin. lib. 2.*

IV. Non amplius Platonicus Ægyptius omnes Græcos in uno Solone perstringat. *O solon, solon vos Græci semper pueri, nullaque in vobis cana sententia.* Hic morbus quippe epidemicus est, & popularis, nullibi locorum incanescimus in eadem cogitatione, dumque quotidie proponimus, proposita tamen non prosequimur; Nubes sine aqua, quas minimus dissipat ventus, Insulæ non fixæ, sed semper errabundæ. Quod si in aliis ita simus vicis-

Apud Plut.

vicissitudini obnoxii, id magis erimus in negotio salutis. Violenti rapiunt cœlum, cum tamen *Nullum violentum sit perpetuum.* Gratia nos in altum propellit, sed è vestigio corrupta nostra natura nos repellit. Cum igitur hic motus sit naturæ violentus, illa diu in illo non potest persistere, mox ut principium impulsivum extrinsecum prævalet, intrinsecum ei cedit, dumque hoc remissum, ac debilitatum fuerit, illud huius possessionem capit, illudq; retro pellit donec annihiletur. Machinâ, æneâ pilam protusam jurareris ni ab impetuoso illo volatu cohiberetur, ad Lunam usque volaturam, cornuaque eius discerpturam, Globus pyrius mille minans clades, & strages, linguâque igneâ blasphemans in altum evibratur, ac pernicissime volat, & ut visum tuum subterfugit, crederes eum cœli muros conquassatum transvolasse, sed illico summo impetu ruit, ac aerem indendo in fumum in terram prolapsus, evanescit. O nos miseros! Ignis quidem nostro corde conceptus ad stellas usque evolat, spirituque, ac animo æstuantes, ac si incorporei essemus, velut Aquilæ volamus; Verum cum omne agens, agendo repatiatur, dum sensim gratia, in conflictu cum naturâ minuitur, ad imum ruimus è quo ascendimus.

Hoc mane est, qui calentissimam fundat orationem, ac totus ignitus devotissime communicat, & cum Psal mistâ dicit: *Non movebor in æternum*, sed mox à Dœmone, seducitur, ab appetitibus sensualibus superatur, ante meridiem jam gratia privatus est, ac potest dicere. *De profundis clamavi ad te Domine.* Illum Nobilem, quem cernis in illo abysso, hic hoc mane raptus fuerat in tertium cœlum raptus. Non solum fons Dodonæus apud Plinium semper à meridie deficit. Unicum bonum propositum, quod in aurora prodiit, in meridie jam occubuit. Est herba quædam, cuius folia permutantur quotidie, jam sunt candida, dein fulvâ, ultimo rubea. Ast proposita, quæ in horto nostro germinant, quolibet momento formam mutant.

Psal. 129. *Lib. 2.* *Ant. Carist. c. 32. histo.*

V. Paucissimi porro nostrum Senecæ operose monenti: *Vt ipsa inter se vita unius sine actionum dissensione coloris sit*; parum obedimus. Qui nos audit loquentes, apte nobis imponat, quod de Pica scripsit Philosophus. *Pica singulis pene dictis diversas emittit voces* Mutatis judiciis, mutantur nostri discursus; *Alternis Vatinii alternis Catones & modo parum nobis securus est Curius, parum pauper Fabritius, modo Licinium divitiis, Apitium cœnis, Mecænatem delitiis provocamus.* Non sine mysterio de Jude cecinit Homerus: *Etiam bonorum mutabiles sunt mentes.* Optimum habemus intellectum in capite, sed ah. *Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum.* Impotentissimæ nostræ concupiscentiæ, quæ instar gurgitis inquietissimæ se continuo gyrant, omnia invertunt, voluntas nostra non diu manet serena, nescit, quid sit duratio temporis, uno vento eam sedante, alter conturbat.

Epist. 20. *Hist. anim. lib. 9. c. 13.* *Sene: epist: 110.* *Homer. Iliad. 15.* *Sap. 4.*

Vade inquit Coelius, curatum sanitatem tuam Mitylene urbe insulæ *Lib. 20. c. 18.*

Lesbos, in qua aer naturam ventorum, ita induerat, ut ſpirante Auſtro omnes languerent, Boreâ omnes tuſſirent. Sanctè diu vivas, ſi tibi ſit animus tot paſſionibus laceſſitus. Lenitatem tuecontra inſultus iræ, amorem contra oppugnationes invidiæ, Caſtitatem contra incantationes amoris impuri, benignitatem contra inflammationes odii, modeſtiam contra baſiationes adulationis, conſtantiam contra præcipitia timoris, O quam funeſtæ tragoediæ in viâ paradiſi ſe monſtrant! S. Joannes Chryſoſtomus Lachrymas mihi elicit, dum ſub oculos mihi ponit, me eſſe hominem paſſionibus ſubiectum, proximeque diſpoſitum, ut à bono ad malum muter; nimis verum eſt, quod: *Multas hujus modi mutationes, & olim, & nuper factas, & nunc quotidie fieri non ignoramus.*

Hom. 68. in Matt.

VI. Videant Pauliſper Adamum antea tam Sanctis habitibus Veſtitum, nunc nudum folia ficus quærentem, ut ſe veſtiat. Cujus culpâ? Certe culpâ naturæ, ſubjectionis incapacis. Conſpice Saulem, principem olim tam vertuoſum, ac morigerum, proprio ſeſe gladio trans fodientem. Cujus culpâ? Neminem ſibi parem tolerabat. En Salomonem tot donis opimum, Jdola venerantem. Cujus culpâ? Natura in voluptates propendebat. Ecce Giezi, ante pluribus vatibus pergratum ſervum, in plateâ Leproſum iacentem, à cuius cauſâ? Natura nimium pecunias ſatiebat. Quam parum exigitur, ut anima etiam illuſtris vela vertat. Quis Porphyrium Chriſtanum Zeloſum in blaſphemias contra Chriſtum egit? Nil aliud, quam ulciſcentia, quâ neſcio, quas injurias ſibi illatas, Cæſareæ vindicare cogitabat. Tertullianus totius Africæ magiſter, quomodo mutatus eſt, ut favens hæreſi Montani, fidem catholicam impugnaret? Unicum dedecus ei à quibusdam Sacerdotibus Romæ inuſtum. Lutherus Religioſus probus, ac Theologus eximius, quomodo adeo dementatus eſt, ut Naviculam Petri tam dire laceſſeret, ac mergere conaretur? Nil aliud, quam ut deſpectum ſibi à Papa, (ut opinabatur) illatum ulciſceretur. Jgitur iuxta dominium naturæ, vel gratiæ, in homine metamorphoſes magis, vel minus miras videmus. Veriſſimum ſi quidem eſt illud Hieronymi: *Multi de terra cœli fiunt, & multi de cœlo terra.*

Nicepher Lib. 10. Cap. 36.

In pſal.

VII. Verum in altum ſolvamus, quia Vincentius Lyrinenſis inſinuat ſe hoſtem infenſiſſimum noſtræ perſeverantiæ inveniſſe, Nempe: *Tentationem, & vehementem tentationem.* En impetum, qui in aera evibrat. Quamvis non eſſemus illi, qui ſumus, nec viveremus, uti vivimus, attamen in plateis adeo ſcopulos, & rupibus ſcatentibus, præcipites rueremus. Quot ſunt, qui quamdiu Dœmon famem non acuit, nec menſæ cibos vetitos infert, ſunt abſtinentiſſimi, & jeiunant? Attamen, ut paratiſſima ſeſe offert occaſio, ambabus manibus patinæ involant, & quantumcunque ſeſe infarciant, nunquam tamen ſatiantur. Videas adoleſcentem modeſtiæ ſimulachrum, domi modeſtiſſimum, in eccleſiâ devotiſſimum dumque ex principiis adeo bonis progreſſus augurari meliores, ætate maturâ diceres eum ſchema perfectionis futurum.

Atta-

Attamen percipio cogitationem quandam, animo meo tacitus hæc insusurrantem. Ecquis scit, an non aliquando scandalum urbis huius sit futurus? Optimæ quidem est in dolis, ne tamen iudicium præcipites, quousque in occasionem fortem cadat: Aristoteles in ludis Olympicis, qui per tot sæcula exhibebantur observat: *Duos, aut adsummum tres esse notatos, qui iidem, & viri, & pueri vicerint.* Veluti in annis climatericis mutatur complexio corporis, ita inter occasiones, animæ indoles variantur. Tam diu talis, & talis manus non habuit piceas, quādiu in illo non fuit munere. Alter fuit castus, quousque illam familiaritatem contraheret, mansuetus, quousque in illâ lite non obstinaretur. Pacificus, quousque nulla ei irrogaretur iniuria. Deus ter optimus maximus optimam vestram indolem à pravis occasionibus præservet. Scietisne mihi diecere, quantum hæ nostram perseverantiam impediant?

Lib. 8. polit. c. 4.

VIII. Valens Cæsar privatam agens vitam Angelicis fuit moribus, ast mox ut ad solium ascendit, statim ostendit quam vera sit vulgaris paroemia: *Honores mutant mores*, quodque non omnes absque periculo incurrendæ vertiginis, in altum scandant. Idem evenit Hieraclio, qui pientissimus, ac probissimus erat, quousque Crucem sanctam à Persis recuperasset, victoriis autem tam gloriosis insolens factus, occasionibus nempe per illas sese insinvantibus, omni pietate abiectâ, hæresin Monotelitarum contraxit. Verum enimvero, an lachrymas cohibere poteritis, cum audieritis, etiam unum Originem, qui dum non minus Adamantis soliditatem, quam lucem haberet, Adamantius fuit dictus, ad unam tentationem allisum in frusta confractum esse? Dum ex sacris literis cognosco, quis fuerit iste vir algeo, ac tremo audiens eum lapsum, ac perditum. Dumque video ingenium subtilissimum, quo nullum par habuit Ecclesia, tentationi succubuisse, clarissime perspicio necessitatem, quâ viri etiam illustres à DEO quolibet momento à tentationibus præservari efflagitant.

Zonara.

Et oro vos, de quonam mihi sermonem esse putatis, dum loquor de Origine? Loquor de eo, qui ab ipsis incunabulis maximis donis à DEO præventus fuit, ita ut pater ejus Leonidas, qui postea pro Christo Martyr occubuit, dum in pectore illius, adhuc in Cunis dormientis, Mineram deprehenderet, oscula ei piæ reverentiâ infixerit, & adgeniculatus divinum ejus spiritum in vivo illo templo adorarit. Ex indole adeo felici, ac docili, quæantequā sciret definire quid esset virtus, jam exercuerat earum actus perfectiores, ac magis heroicos, quam posset ullus adultus, maxima sibi pollicebatur. Ago de viro ita in se crudeli, ut instar Eremicolæ per civitates incesserit nudipes, Lectum per plures annos non habuerit nisi humum, vel storiam, somnum ceperit parcissimum, adeo parcus, & abstinens ut nunquam biberit vinum, nec irritamenta gustaverit gulæ, sed quatuor obolos in cibum corporis diurnum expenderit, nisi doloribus stomachi, ac periculo vitæ agitatus cogeret illas regulas variare.

Ex Euseb. Lib. 6. C. 2. Ecclef. Histor.

Loquor

Loquor de viro adeo politi, limati, ac ſubtilis ingenii, ut prodigium in omni genere ſcientiarum tam ſacrarum, quam profanarum habitus fuerit, eodemque tempore ſeptem diverſas materias totidem ſcribis dictaverit. Nullus occurrebat nodus, quem non diſſoluerit, obſcuritas, quam non elucidarit. Talis, ac tantus erat, ut viva eſſet Bibliotheca; quique teſte, Epiphanio ſex mille volumina ſcripſit. Loquor de viro, adeo hæreticis infenſo, ut nunquam induci potuerit, quod quempiam hæreticorum alloqueretur, aut ſalutaret, & eorum quidem cum quibus ſub eodem tecto morabatur. Vir erat, qui nil amplius quærebat, quam quomodo magiſtros erroris veritate imbueret. Bis in Arabiam, ac alias in Achaiam, & Palæſtinam profectus, ut hæreticos eccleſiæ aggregaret. Adeo devotus fuit eccleſiæ Romanæ, duci fideli, eis qui errores metuunt, ut bis Romam adierit, ſemel Zephyrinum, alterâ vice Fabianum conſulturus.

Baron tom. 2.

IX. Loquor de homine adeo amore Chriſti præfervido, ut adhuc puerum Mater cohibere non poſſet, niſi vel veſtes occultando, vel nudum lecto alligando, quin non ſeſe ultro morti pro Chriſto oppetendæ ingereret. Decimum octavum, annum agens, cunctis elinguibus, & mutis, ipſe nec in minimo furiis perſecutorum conſternatus, ſcholam Chriſtianam, fidem Chriſti docturus aperuit, ex qua poſtea velut ex equo Trojano non minus tot profundiſſimi Theologi, quam invictiſſimi martyres prodierunt. Tantâ libertate oris in Theatrum adduxit cultum, ac fidem veri DEI, ſectasque falſas perſtrinxit, ut ſæpius Lapidibus impetitus à populo, Carceratus, vinctus, equuleo, diſtentus, igne aduſtus fuerit, nec tamen in minimo vacillarit, ac nutarit, adeo ut falſiſſimum ſit, quod quidam Blatero immiſcuit ſcriptis S. Epiphanii, Origenem fidem abnegaſſe, ut caſtitatem ſuam à fœdiſſimo Æthiope tueretur, prout ſcite notavit Baronius. Loquor de viro de eccleſiâ adeo bene merito, ut præter utiliſſimas lucubrationes, quas poſteris reliquit, ei debeat tot animas eccleſiæ aggregatas, & inter eas Mammeam Matrem Imperatoris Alexandri, Philippum Cæſarem, qui primus è Chriſtianis gubernavit imperium. Severam eius coniugem, ut nil dicam de Apologiis, quibus profligavit Celſum, & Porphyrium, qui per ſcripta maius damnum intulerunt eccleſiæ, quam per tormenta Nero, Domitianus, Trajanus, Severus, & Decius. *tom. 2.*

Aſt vero hic tantus, ac talis vir, adeo ſolers, caſtus, mortificatus, generoſus, benemeritus, quem finem habuit? Hierarchiæ Angelorum, epicedia, & leſſus novem choris cantarent, ſi lachrymari poſſent, flerent, dum lamentationes audivas, quas Origenes jam damnatus ingeminat. *Flebam aliquando ſuper Samſonem, & pejora perpeſſus ſum, flebam ſuper Salomonem, & deterius cecidi.* Tam indubitata habetur eius damnatio, ut Baronius ſuccenſeat nonnullis modernis, qui poſt definitiones Anaſtaſii Papæ, Sextæ Synodus, quæ non ſolum dogmata eius, ſed & ipſum authorem damnarunt, defendere eum præſumunt.

Origen. inſumm. lament.

O occa-

O occasionis, ô tentationis efficaciam! Et quis vos non paveat, videns à vobis gigantes proteri? Audiamus Lyrinensem. *Vere non solum tentatio, sed & magna tentatio deditam sibi, atque à se pendentem ecclesiam admiratione ingenii scientiæ, eloquentiæ, conversationis, & gratiæ à veteri religione in novam profanitatem sensim, paulatimque traduxere.* Oculi Origenis fumum evaporarunt, hic caput subiit, & illud obturavit. Oraculum ecclesiæ hac occasione animatus, fictiones suas dogmatibus ecclesiæ prætulit, unde & iuste hanc censuram Cassiodori promervit: *Origenes ubi bené nemo melius, ubi malé nemo pejus.* Nunc vestræ voluntati bonæ innitamini vos spiritus elati. Familiaritas illa contrahitur quidem sub specie pietatis, sed forsan per circumstantiam temporis, loci, Diabolus te illuc ducet, quo nunquam somniasti.

p. 23.

X. Vos, qui occasionis vim non vultis capere, discite ab Osio Cordubensi, an non post trophæa immensa de occasionibus, & tentatibus infinitis, & validissimis reportata, à minimâ occasione possitis prosterni. Talis, ac tantus fuit hic vir, ut à magno Athanasio vocatus fuerit: *Abrahamicus senex, vere Osius, id est sanctus.* Quamvis in aliis, non tamen in fide se naufragium pati posse credebat. Vir, cujus ævum nullum defensorem acriorem fidei habuit. Vir fidus monitor, & pædagogus Imperatoris Constantini adhuc in fide tyronis. Vir, qui totum orbem suo gyro instar solis fidem defensurus peragravit, à pluribus summis Pontificibus in conciliis Illibertino, Aurelianensi, Neo cæsariensi, Alexandrino adhibitus, in Concilio Nycæno, & Sardicensi, Legati apostolici munere perfunctus, ab Arianis *princeps Synodorum* vocatus, simboli Nycæni author, & dictator, est creditus, persecutionibus Diocletiani, Maximiani, Licinii, nec in minimo flexus, promissis amplissimis tentatus, hæc intrepide Constantio scribens. *Ego confessionis munus explevi primum, cum persecutio moveretur ab avo tuo Maximiano, ad quiduis potius sustinendum paratus sum, quam ut meam fidem prodam.* Exantlatis plurimis ærumnis in exilio, centenario maior ut faveret quibusdam Prælatis Arrianis in Conciliabulo Sirmiensi, condemnationi Athanasii, à cuius innocentiâ defendendâ nullâ vi tormentorum, nullis Imperatorum minis absterreri poterat, subscripsit, Christique divinitatem, quam imperterritus semper defenderat, abjuravit. Dum calamum prensaret, digiti illius famosi senis contremuerunt, & cor ecclesiæ, illâ subscriptione auditâ ferme concidit.

apud. Baron.

Eum luxit S. Hilarius, velut virum, *Qui nimis amans fuerit sepulchri sui.* Fideles tam funestum successum in dubium traxere, nec tamen illum adhuc credebant, sed virtuti propriæ diffidere ceperunt, qui probitatem tot annorum constantiâ probatam, profligatam viderunt. Ad sitis huc animæ præsumptuosæ, quæ ob pacem pauco tempore cum DEO excultam vos tutos creditis. Vobis id solum dico, quod nil iuvet per centum annos animo puritatem illibatam servasse, dum adhuc in enormissima, quis pro labi potest. Et quamvis iuxta Ambrosium senectus

Apud Baron.

Lib. de Iacob C. 10.

debeat esse portus, non vita Superioris naufragium; attamen senes desipere possumus.

XI O misellam nostram perserverantiam! Quam feros sustines hostes! Veruntamen tertius hostis potentior est. Superbia scilicet, inquit Bernardus. Hæc porro est vitium, quod sese virtutibus majoribus immiscet, & tam turpiter illas consumit, ut DEUS illas ferre non possit, sed eas à se repellat. *Superbia*, inquit Augustinus, *natione cœlestis appetit Sublimium mentes.* Debilitas naturæ, & tentationum vehementia Victorias reportant à peccatoribus, sed Superbia virtuosos depascendo profligat. Hæc primum est peccatum, in quod homines à DEO recedendo prolapsi sunt, & est ultimum, à quo ad DEUM revertuntur.

Aug. in epist

Videbis celsissimas cedros libani ad minimam concussionem everti. Quod si velis cognoscere erucam, quæ medullam adeo corrosit, ad sis. Est nonnemo, qui simulachrum videbatur modestiæ, verbis præ se ferebat summam honestatem, meritis erat opimis, ast nimium de se sentiens, reliquos sprevit, & forsan sæpe dixit in oratione. *Gragias ago, quod non sum sicut Cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri.* Bene, bene inquit Deus, tunè me abijcis, ut te adores, tuo tribuis merito, quod meo debetur beneficio? Ego te permittam tuæ fragili naturæ, ut videas quantum indigeas meâ gratiâ. Ita castigavit famosissimum Apollinarem, qui alias iuxta Lyrinensem: *Summis ædificatoribus ecclesiæ par esse potuisset.* Ita in poenam permisit tot religiosos Orientis involui hæresibus Eutichii. Arrii, Joviniani, Nestorii, Severi, Origenis, Severiani, & similium. Sic Anachoreta Nero castigatus fuit, cujus si legatur exitus, quisquis, propriam infirmitatem attenderit, lachrymas prohibere non poterit. Nullatenus dubitem vos miraturos, quod vir tot titulis Sanctitatis illustris, cujus lectus erat humus, vestis cilicium, fercula ieiunium, cogitationes divinæ, verba spiritualia, opera sancta, post quadraginta annos rigidissimè transactos, tam miserè labi potuerit.

Luc. 18.

Cap. 16.

Baron. An. 328. Cassi. coll. 2.

Ast ego magis demiror, quod Deus virum tam elati animi, qui se impeccabilem, & quasi prodigium existimabat, tot annis sustinuerit. *Sequitur superbos ultor à tergo Deus.* Et iuxta Senecam, nil aliud est mundo demandatum, quam ut eos deprimat, qui seipsos in despectum Dei extollunt. Quod si itaque nostra superbia trahat secum tot milliones periculorum, & febrem quartanam, è qua pauci convalescunt, quod si laquei tentationum in quo libet obiecto sint structi, quod si natura fragilis passionibus ferocibus succumbens tam lentè per viam salutis gradiatur, nonne Sumus stulti, qui inter tot pericula absque ullo metu vivimus? Audite Richardum à S. Victore. Quis nisi insanus in tanto mutibilitatis ancipiti sibi securitatem promittit? Ego cum Lucano ad DEUM exclamare nolo; *O faciles dare summa DEOS, eademque tueri difficiles.*

Seneca in Herc. furente.

Luc. in Phar.

Scimus

Scimus mi DEUS tuæ gratiæ non tribuendum, quod non perseveremus; nos etenim soli sumus causa. Interim cogitate quantus sit timor meus, quo metuo, *Ne forsan cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Quod si non sim securus cum meritis Tertulliani, Origenis, Osii, quomodo ego, qui sum adeo fragilis, tepidus, imperfectus extra omne periculum sim? In te tamen solo confido, in sinum tuæ infinitæ charitatis me abijcio.

Cor. 9.

PARS SECUNDA.

XII. *Nunc, quid restat charissimi, nisi ut admoneamini deperseverantiâ, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus*, monet Bernardus Genuenses. Hoc monitum nobis sæpe inculcare debemus. Omnes nostræ virtutes inquit Petrus Blesensis tendunt ad portum vitæ æternæ, sola interim perseverantia illum attingit. DEUS in suis victimis caput, & caudam requirit, vestemque sacerdotum talos non vult excedere. Hinc serio nos monet mellifluus; *Hostiæ caudam junge capiti, & vestem DEI gratiâ jam polymitam, cura facere talarem.* Prisci nullas arbores in victimas adhiberi permittebant, nisi, quæ perennem virorem conservarent. Ita perhibet Diodorus Arborem sacram Osiri fuisse hederam, Veneri Myrthum, Palladi olivam, Apollini laurum. Ergo etiam nos spiritum sumamus, ac veluti bellicosi milites. *Moriamur in virtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.*

...ist. ad ...nuens. ...ist. 22, 56. ...ist. 78. ...achab. 1. ...).

Porro meticulosi sunt, qui hac consideratione exanimati sic discurrunt. Non solum homines particulares, sed & nationes integræ, uti Anglia, Scotia, Africa, Asia á virtute, ac fide defecerunt; quinimo iis evenit id, quod contingit terræ fertili, & fæcundæ, de qua sic Aristoteles. *Quæ prius erant temperata loca, si deinde asiccentur, deteriora fiunt.* Religioni me consecrarem, sed vereor ne perseverem, ut plurimis evenit, qui religiosam vitam pertæsi pejores effecti sunt, frequentarem sacramenta, sed suspicor, si hoc non continuem, fiam fabula plebis, uti plures facti sunt hoc pietatis genere neglecto. Ita peccatores propriæ socordiæ palpum obducunt, teste Gregorio; *Incerta mala, dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur.* O axioma, & paroemiam hominum, qui nec cerebrum, nec cor habent! Persuade illis vuvis abstineant, ne earum esu cum Anacreonte suffocentur, ut non rideant, ne cum risu mortem sibi cum aliquibus asciscant, non negotientur, ne dicipiantur, ac defraudentur, non studeant, ne studio stultescant. Qui in humanis periculum sui non facit, nil digni aget. An forsan aulæ non frequentantur, eo quod Seiano Rufino, Ablavio, illæ adversæ fuerint? An mare vitamus, quod tantas Naves, ac homines hausit? Bellum quantumvis tot nobiles consumat, plures adhuc habet asseclas. *Qui observat ventum non seminat, & qui considerat nubes nunquam metet.*

Lib. m eter. C. 14. Greg. 30. mor. C. 12. Ecclef. 11.

XIII. Nobilis quidam Mari ſe commiſerat, tempeſtate exortâ Epibatam amoenioris ingenii hominem interrogat, ubinam locorum, eius pater, avus, proavus fatis conceſſiſſet, eoque reſpondente in mari, argute repoſuit, ergo tu ſis tam temerarius, ut mari te confidas? Verum patere, & tu Domine, ut tibi verbulum reponam, edic ſodes, ubinam locorum tuus pater mortem oppetiit, ubinam avus, proavus? Nobilique replicante in lecto, ſubintulit ergone & tu tam temerarius ſis, ut lecto te tradas, quid tuos genitores ſuſtulit? In omnibus fortunæ periculum eſt faciendum, ac multo magis in negotio acquirendæ ſalutis, & fugiendæ damnationis. Tot, ac tanti periere quia ſibi ipſis nimium fiderunt, nos ſoli DEO innixi non cademus; eos perdidit natura non mortificata, nos eam eò arctius ſubjugabimus. occaſiones eos peſſundederunt, nos contra eas fortius nos muniemus.

DEUS ruinâ tantorum non voluit exanimare fragilitatem, ſed diligentiam acuere, ac arrogantiam comprimere. Nimium ſocordes, & arrogantes foremus, ſi poſt paucos dies pie transactos de ſalute certi eſſemus, Cum nunc inter tot ſcopulos, ac brevia, in utramque aurem dormiamus, & efferamur, Quid non foret ſi hi ſtimuli cor non pungerent hocce onus humeros non gravaret? Animosè animosè cœlum noſtrum eſt, ſi animo obfirmato obſidionem continuemus. Adſis tu hic, qui ſtatione excedere vis; *Confide in Domino, & mane in loco tuo.* Nam Chriſtianis non minus, ac militibus fatale eſt, deſerere locum ſuum, ac ſtationem. Imitari oportet conjuratores Catilinæ, quorum quilibet juxta Saluſtium. *Quem vivus tenuerat locum, mortuus texit.* Inter ſpem, & metum ambulato. Hæc vera ſalutis via. Audite Chryſoſtomum. *Rogo, atque obſecro ne velitis cuncta ita* DEO *tribuere, ut oſcitandum, dormitandumque vobis putetis, nec rurſus ſi vigilatis, laboribus rem veſtris aliquam veſtram fieri arbitramini.* Vos veſtrum agite, ac certi eſtote, quod niſi DEUM prius deſeratis, ipſe vos non deſeret. *Te nemo amittit, niſi qui demittit*, inquit Auguſtinus. Dum jubet, in eum ſperetis, ne animum deſpondeatis. Væ nobis ſi ſalus noſtra in mann hominum foret, & non DEI. Ergo mittamus verba, & aggrediamur opera.

Eccli. 11. *Ex Polytio.* *Saluſt. in con.* *Hom. 83 in Matt.* *Lib. 4. con. c. 9.*

XIV. Chariſſimi Auditores, *Apprehendite diſciplinam, ne pereatis de via juſta.* Si perſeverare velitis, ars vobis addiſcenda, quâ hoc conſequi poſſitis. Hanc porro ad pauciſſima reduco principia. Inimicos adeo perſeverantiæ infenſos ſubjugate, paſſiones domate, occaſiones & pericula vitate. Nemo facilius vincitur, quam qui ſibi non cavet, dum hoſtem ſpernit. Niſi fatigari, & obrui velitis, non colligatis in unum faſciculum negotium veſtræ ſalutis. Hodie bene operemur, nam de craſtino

Pſal. 2.

ſtino diſponet DEUS. Subinde cum uno die, tranſit annus; Hinc S. Fauſtus; *Gratia de gratia naſcitur, & profectus profectibus ſerviunt, lucra lucris, & merita meritis ſecum faciunt.*


om. 2. ibli: Patr:

Quod ſi impingatis in quoddam offendiculum, ſtatim pedem revocate. Sic agite, ut de peccatis veſtris dici poſſit id, quod Valerius Maximus de Polemone; *Peregrinatus eſt huius animus, in nequitia non habitavit.* Vires reſumite & reſtaurate, appoſitiſſimis exercitiis ſpiritualibus, purgationibus utiliſſimis confeſſionem ritè inſtitutarum animum evacuate, ita pergite inquit Chryſoſtomus, nam & in ludis equeſtribus Equus magnum præfert vigorem, & in fine, equi etiam generoſiores majori vigore indigent. Bonum habeatis tutorem, nempe confeſſarium, qui vos non deſtituat, qui deficientes ſtimulet, recreet, animet. Amorem proprium, quantum eſt poſſibile eradicate, & bene inquit Bernardus attendatis; *Ne plus vobis, aut pro vobis veſtra diligatis, & ſic vos, & veſtra perdatis.*

ib. 6. c. 11. Tom. 3. de verb. Iſa. Epiſt: 64.

In mundo dignitates, & honores non ſectemini. Scaphæ tempeſtate exortâ duobus remis ad littus retrahuntur, ubi naves actuariæ in alto decumanis fluctibus exponuntur. Ante omnia deſideretis cum Chriſto mori in Cruce, nec vllus tranſeat dies, quin perſeverantiam efflictim rogetis. *Revela Domino viam tuam & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Quod ſi timeas cum Auguſtino neophyto te à DEO deſerendum, aperi aures cordis, & eum audi dicentem; *Proiice te in eum, & noli metuere; non ſe ſubtrahet, ut cadas, proiice te ſecurus, excipiet te.* Quod ſi tu DEUM non deſeras, non eſt periculum, quod ab eo ſis deſerendus, ſiquidem nullum dereliquit in ſe ſperantem.

Pſal. 36. Conf. l. 8. c. 11.



PRO DIE IOVIS
DOMINICÆ SECUNDÆ

Elevans autem oculos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe & Lazarum in sinu eius. Lucæ cap. 16.

De pœnis inferni

Primus intuitus miseri damnati terminatur ad præteritum, præsens, & futurum.

1. O Vos horæ, dies, anni, quorum esse est totum successivum, quam pernices volatis, non obstante; quod remoræ, & onera vobis iniiciantur; per ipsa offendicula vobis objecta præcipites ruitis. Quæso vos, vel semel mihi edicitote (dum adeo nobis desideratis vos exonorare, ad quem mundum, regnum, diversorium tantâ celeritate contenditis? Ex nihilo quidem soluistis, sed non navigabitis ad nihil. DEUS animas nostras non creavit, ut illas dein annihilaret, inclusit eas quidem corporibus, non tamen iis abstulit omne esse spirituale, voluit quidem eas habere initium, sed non finem, sique eas subjecit dominio temporis, id solum ideo factum, ne sine novitiatu æternitatem ingrederentur.

O peccatores vestram compello fidem, ac jurarem vos id quoque credere. Vita in morte mutatur, sed non annihilatur. Sepulti non comparebitis, non tamen esse disinetis. In cineres quidem re soluemini, non tamen extinguetur ille ignis, qui vos animavit, ac vitam dedit, nec in supremâ respiratione flatus ille consumetur, quem Deus cum Adamo vobis infudit. Verum enimvero, esto ita sit, vos tamen, ac si sors, quæ in altero mundo vobis manet ab operibus, ac professione huius vitæ non dependeret, neglectâ conquisitione æternæ gloriæ, summo pretio æternas coemitis pœnas. Paradisus tot thesauris abundans, tot splendoribus illustris, tot jubilis dotatus vobis frustra est factus. Aspiravit ad eum unus Lazarus mendicus, unus Religiosus feruidus, infirmus patiens, liberalis eleemosynarius: vestræ aulæ aliæ inferuntur delitiæ, vestri oculi alias venantur pulchritudines, aures alios sonos.

Remoras vobis cient Melancholiæ, morbi, infortunia, inspirationes vobis immissæ ab Angelo custode, paternæ admonitiones prudentis confessarii, minæ graves prædicatorum Zelosorum, vos tamen equis citis ad infernum volatis. Et quasi ad eum vehere non posset effroenis Lascivia, iram præcipitem, invidiam furiosam, avaritiam cœcam adhibetis pro equis, Epulonisque vivi, & mortui societati vos jungere vultis. Flammas solus non intrat Epulo, quia; *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino; & descendunt fortes eius, & sublimes, gloriosique eius ad eum.* Isa. 5. Ergone ignavi, ac delusi misellis vestris

ſtris animabus tã parum compatimini, ut cognoſcentes eam immortalem, per totam tamen æternitatem, eam vitæ infeliciſſimæ conſignare velitis?

Ego hodie advocatum agam tam nobilium, à vobis tamen adeo nauci habitarum creaturarum, juſſuque illius Dei, cui rationem ſtrictiſſimam ſumus reddituri, de hac concione, argumentum tractabo, quod maxime vos premere deberet. Vos adoleſcentes, vel per mediam horam inſanas illas phantaſias, amores phreneticos, odia ſuperba, mittite. Domicellæ, ſeponite mundũ muliebrem, ſpecula, inaures, armillas, ceruſſatos, & comptos illos vultus. Vos milites pauculas inducias bello ſeditioſorum veſtrorum affectuum concedite, vos mercatores, pauliſper curã librorũm lucri, negotiationis abiicite. Mihi omnia conſignate.

Aug. in ſerm. *Pœnæ vos terreant, ſi præmia non invitant.*

Vos infernum non timetis quia neſcitis, quid ſit, ego id vobis aperiam. Porro vobis ſub oculos non ponam ideam vivam illarum nativarum tenebrarum, uti eam clare perſpexerunt quidam Petrus apud Gregorium magnum, Drithelmus apud Venerabilem Bedam, quidam Curatus apud Petrum Cluniacenſem. Solum ad fores illius ærumnoſi carceris vos ducam. Hic ſiſtite & manete curioſi, ſed curioſitate diversã, ab eâ, quam habuit Menippus, ac Diogenes apud Lucianum, vobis manifeſtabo effectus cujuſcunque ingredientis. Videtis interim, quomodo ad unicum intuitum miſeri damnati, terminatum ad præteritum, præſens, & futurum, imo extremas eius miſerias demonſtrandum me accingo, & aſtringo.

PARS PRIMA.

II. Quantumvis ritus antiquiſſim' ſit, quo defunctis oculi clauduntur, nos tamẽ credere non debemus, quod nil videant; Nam dum ſol corporibus occidit, animabus oritur. Ita Daniel. *Qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, ut videant ſemper.* Dan. 12. Nam veluti Beatitudo Cœlicolarum conſiſtit in viſione, ita & miſeria damnatorũ in aſpectu. Eſto enim in orco ſint tenebræ craſſiſſimæ, habent tamen quid lucis malignæ admixtum, virtute cuius, diſtinctiſſimé feruntur in objectum diſconveniens, eſto in nullum conveniens, Hoc unum eſt ex portentis illius abyſſi inquit Iſidorus; *Ignis lucebit miſeris ad tormentum, ut videant, unde doleant, & non ad conſolationem, ne videant, unde gaudeant.* Hac doctrinâ ſuppoſitâ, in quonã tu ſedes ſcamno, qui primus omnium, qui hic ſumus, illud conſpectur' es, quod modo deſcribo? Videbis diem hujus, vel alterius menſis, in qua miſera tua anima, corpus diutius incolere nõ potens, ob ardores nimios, quibus illud aduſſit febris maligna, ob aperturã, quam illi influxit pugio, gladius, vel ſclopetum, illo ſoluta inſtar fulminis ad Deũ centrum ſuũ feretur, ut hoſpitio, ac domui cuidã æternæ deſignetur, & vice quietis ſperatæ, poſt vincula tot annorum, tot ærumnas exantlatas, tot pugnas cũ hoſtibus toleratas, ſub oculos poſitam videbit infelicem ſuam ſortem, inter illas flammas, quæ nunquam extinguentur, inter illos Dœmones, qui ſęviores quotidie evadũt, in illa mundi cloaca, inter antipodes paradyſi. Hic video omnia deliquia & defectiones animi, quas ſubiit Licinius Magnus, in te irruere.

Plut. in Cice. Hic dum litem ſibi addicendam ſperaret, quâ de omnibus bonis ſuis agebatur, quadamque die, veſtibus albis amictus, amicum, quem ſibi fidentiorem exiſtimabat, domo egreſſus acceſſiſſet, & ab eodem omnes Judices, in ejus ruinam coniuraſſe reſciſſet, dolore nimio exanimatus, uſu linguæ, ac paulo poſt vitâ deſtitutus eſt.

Tu etiam, quia Sacrâ undâ tinctus, toties cibo divino refectus, fuiſti tuam ſalutem ſperaſti, ſed quia unam confeſſionem ſacrilegam inſtituiſti, quia ſæpius eccleſias frequentaſti, ut domicellis baſiateris, mox ut anima tua corpus egredietur, ſubito ejus oculis objicietur Deus, qui nil quæſivit niſi tuam Salutem, tuus Creator, conſervator, & Redemptor, & loco amoroſæ invitationis, quam de eo expectaſti, audies acerbâ te proſcriptione ab eo arceri. *In ignem æternum, in ignem æternum* Iſte tuus eſt locus. Illas exiguas eleemoſynas, illam actionem virtuoſam, tuam fidem conſtantem iam remuneravi opibus tam largis, vitâ adeo annosâ, valetudine tam proſperâ, muliere tam ſenſatâ, linguâ tam gratiosâ, *Recepiſti bona in vita tua.* Parte, quæ te contingit, iam fruitus es.

Nunc ergo id reſtat, ut iniurias bonitati meæ irrogatas ſolvas. Tu nunquam curaſti me, nec ego deinceps curabo te. Nil aliud, quam lacum illum ſubterraneum à me expectes. Adſis huc deſperate, præ inſaniâ te lacera, præ fame te devora, præ ardore liqueſias. Mea clementia nullas habet aures, quæ te audiant, potentia nullas manus, quæ tibi ſubveniant, vultus oculos, qui videant tuas miſerias. Ignorans eſſe volo, ut te neſciâ, inſenſibilis, ne tibi compatiar. Mi frater, credo ad minus tunc te evigilandum illo lethargo, quo modo miſere ſopitus mea verba non audis. Ut oculos aperveris, quid dices? An forſan elinguis hærebis, cum juxta ſapientem reprobi; *Non habebunt in die agnitionis allocutionem?* Ego pro te loquar, cordisque tui perturbatiſſimi interpretem agam. *Sap. 13.* Dumque explicabo deſperationes, in quas te aget primus intuitus, quem nimis tarde in præteritum, præſens, & futurum coniicies, tentabo, an cum adhuc poſſis effugere illas miſerias, te liberare poſſim, ne eas incurras. Ruditer ergo illos delineare conabor.

III. Orator Demoſthenes in exilium relegatus, dum Athenis urbe magnificentiſſimâ abiret, ad quemlibet greſſum, oculos reflectebat, deplorans patriæ deſertionem, in quâ inimicis melius erat, quam amicis, quos ulIibi poſſet reperire. En primum motum animæ infelicis. Ut miſeriis præſentibus, quantum poteſt ſe eximat, ad anteriores proſperitates oculos reflectit, Ne tamen credatis ab hoc eam aliquod ſolatium haurire, *Anguſtiæ vallabunt impium.* Iam miſerum cor undique afflictiones coarctant, nullis delectationibus patet aditus, ſe rodat, conſumat, dilaniet, nil magis ſtupebit, quam ſtultitiam ſuam. *Mirabitur*, inquit, Emiſſenus, *quomodo flagitiis acquieſcere potuerit; & contra ſe concitatum clamare poterit.* *Plutarch. in Demo[st.]* *Sap. 16* *Hom. [...] mona.*

Eſt ne poſſibile, quod ego tam ſolers ad propulſandas moleſtias, tam ſagax in oculis meis, tam intentus commodo meo, paradiſum, meipſum, & Deum

Deum amiserim, non restituendo paucos daleros, momentaneâ voluptate me non privando, inimicum urbanè non salutando? Ergone ego, qui tot horas transmisi murmurando, ludendo, epulando, non tantum temporis confessioni rite instituendæ impendere volui, per quam hos horrores Vermes flammas evadere potui? O Lysimache oro te, commoda mihi tua lamenta, quibus prosecutus es venditionem regni pro duabus aquæ guttulis, dum ego pro minori re, jacturam maioris regni feci. Infelix Esau, qui ut minimo gratificareris appetitui, hæreditate, ac patrimonio te orbasti. Ob paucos obtutus Lascivos, quibus in ecclesia veneratus sum meum Idolum, visione DEI sum privatus. Proditrices voluptates! Siccine mihi ablatæ estis? Invidia, quæ me incantasti, avaritia quæ me excœcasti, Lascivia, quæ me fascinasti, ira, quæ me præcipitasti, ergone, ut huc me duceretis, vos mihi vos associastis? *Vbi estis concupiscentiæ? Vbi illecebræ? Itane mihi ad hoc momentaneas, & fugitivas congeßistis delectationes; ut æternas postmodum inferretis angustias?*

[...]niss. hom.

IV. O me miserum! Ex omnibus, quæ in mundo possedi, sola peccata mecum porto. Amoenæ villæ, quondam mearum delitiarum spectatrices, ergone omnibus aliis, præter me servitis? Cubicula clara illius domus, non possum amplius dicere, quod sitis mea. Aulæis illis vos vestivi, illis scriniolis decoravi, illis tabulis illustribus ornavi, nec tamen me patronum agnoscere vestrum vultis. Charissimi consanguinei, sinceri amici, fideles servi, quam longe à me abestis! Ego hic ululo, nec vos me auditis, hic plango, & vos ridetis, hic strideo, & vos cantatis, hic despero, dum vos recreamini, ego hic præ calore morior, dum vos aerem hauritis refrigerantem; vos epulamini, ego fame pereo, vos in hortis delitiarum, ego in hac abysso me rodo, & non consumo, accuso, & non iustifico, occido, nec me anni hilo. Quod si tu hæc ediceres Augustine, non tibi crederent; *Ecce omnia transierunt quasi somnia, quasi fumus, & umbra, quasi non fuerint, & nos Cruciatibus deputati sumus æternis.* *Ad frat. in erem.*

Porro nunc aliquatenus capio dolores, quibus maximè in vinculis Babyloniæ Rex Sedechias tormentatus fuit. Dum propriis conspexisset oculis thesauros diripi, palatia everti, uxores prostitui, proles occidi, plus quam cœcus fuit. Verum oculos retroflectens levi negotio vidit, quod monitioni Jeremiæ parendo tot miserias evadere potuisset. Ego etiam, qui video exarsisse meam Jerusalem habui prophetas. Quoties conscientia rodens me non monuit, ac Confessarii pro tribunali sedentes in aurem mihi loquendo, id confirmarunt, Prædicatores ex pulpitis tonando stabilierunt, me male vivendo non posse bene mori? *4. Regum. 25.*

Quibus non obstantibus, illi qui ad frugem reducere potuerunt usurarios publicos, meretrices effrontes, grassatores viarum, me nec in minimo, quasi fuissem marmoreus, movere potuerunt. Dum eorum Conciones frequentarem, voci ferationes, & clamores eorum nil aliud censui, quam versus, seu cantiones ad terreudos

ſimplices, quaſi non habuiſſem cerebrum, quo me reflecterem, dari Deum præmiatorem bonorum, ac vindicem malorum, quod dum in hac vita non fieret, evidenter Deus demonſtravit reſeruari futuræ. Pró dolor, quomodo non in momento illæ bellæ occaſiones ad ſalutem evanuerunt? Tot libri ſpirituales, ac proficui, mihi in vanum ſunt editi, mihi fruſtra inſtitutæ ſunt tam inſignes devotiones, mihi fruſtra fuit interceſſio ſanctorum, efficacia Sacramentorum.

Ex theat. Vit. hum. Prodigus ille Apicius, poſtquam in tribunal animi vocaſſet prodigalitatem, quâ tam enormiter bona ſua conſumſerat quantumvis adhuc ducenta millia ſcutorum ſupereſſent, fame ſeſe moriendum putavit. Quomodo ergo, non ego extremo me conficiam dolore, bona ſi recenſuero infinita, quæ exiguo annorum ſpatio diſſipavi, ac luſi? Ex ſpiritualibus nec unum mihi manſit, temporalia omnia mihi ſublata ſunt, pecuniam tot ſudoribus conquiſitam, videte, quam prodigé heredes mei in ludos, epulas, meretrices, & luxus impendant. Ego, qui mei oblitus, aliis vero per quam maxime intentus fui, ut filios ditarem eleemoſynis erogandis abſtinui, obligationibus iuſtitiæ non ſatisfeci. Illi autem jam in canes, motiones, proſtibula corrogata profundunt, dum mihi interim, nec gutta aquæ ardores reſtinguat.

Id dudum dixit Petrus Chryſologus, & ego hoc ipſum calculo meo corroborare poſſum: *Non habuiſſe, doloris non eſt tanti, quanti mœroris eſt habita perdidiſſe.* Ser. 123. Quid ad hæc dicitis Auditores mei? Primus intuitus præterita Serm. 24. contuens, afflictiones ſuas ſecum tra- de ver. do: hit; verum enimvero, cum Auguſtino miſerum illum admonete, ne malis præſentibus contentus, oculos in bona habita coniiciat; Amice mi; *Recepiſti bona, ſed tranſierunt dies, & totum perdidiſti, & torquendus in inferis remanſiſti,*

V. Præterita non amplius tibi ſunt, nil ergo reſtat, quam ut ex præſentibus aliquid refocillationis haurias. Optimum revera deſperatis conſilium. Quid quæſo aliud cauſſat, ut in præterita obtutus defigant, quam horror tormentorum, quæ iis continuo ob oculos verſantur? *Expectat*, inquit S. Valerius, *reum ſuum gehenna debitis armata ſuppliciis.* Hom. 7. Miſeri illi ſperabant ſeſe eximendos turbinibus, qui totam involuerunt Europam, verum in altera vita graviores coguntur ſubire. Poſt ultimam medicinam in infirmitate hauſtam, credebant ſe nullum amarorem deinceps guſtaturos, ſed modo calicem ori admotum guſtant, cuius fæces nunquam evomendas, omnes coguntur bibere. Omnino putabant, quod nobis relicturi eſſent omnes ſuos timores, dolores, inſomnia, ſed abſque ullâ refocillatione reſpiratione, remedio, vident illa in immenſum aucta. Deus æterne! Quod ſi ſolâ imaginatione inferni nobis adhuc per tria millia milliaria ab illo diſtantibus, tantus horror, & triſtitia incutiatur, quantam non ingeretur, iis, qui ad eum condemnati, continuo coguntur eum intueri, eiusque poenas

continuo obtutu mensurare? Tu mellifluæ Bernarde aliquantulum certus eras te ad illum non perventurum, & tamen dicebas; *Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem, horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis, quæ nunquam occidit, sed semper occidit.* Tu quoque Petre Damiane, te inferno eximendũ sciebas, & tamen scripsisti; *Totus tremo, atque horreo ad memoriam regionis illius.*

Lib. 5. de Consid.

Serm. 59.

VI. Quod si à DEO introduceremini in illum locum, non quidem in poenam vestrarum culparum, sed in remedium, quantum colligere possum ex historiis Ecclesiasticis, non rideretis, sed incanescereretis, cum iis, qui semel intrarunt antrum Trophonii, & virtiginem pateremini, imo quatuor vos muris includeretis, ac in eremo abditi, severissimâ vos pœnitentiâ castigaretis. Quibus ergo non ululationibus, tremoribus, desperationibus torquebuntur ii, qui illum intrando, nunquam exituri, primo intuitu eum conspiciunt? Audite quid dicant. Quod si in mundo adeo vasto, pulchro, delitioso, tam angustum, horridum, miserum nobis assignaretur habitaculum quod non caperet talpas, vermes, serpentes, profectò id non pateremur, & tamen hoc antro infernali arctissimo cogimur esse contenti: Ergo ne ego cunctis assuetus delitiis, enutritus in omni commoditate, ad nutum omnia habens, redactus sim ad eas miserias, ut aliud non habeam refrigerium, quam ignem, non alium cibum, quam absinthium, non alium potum, quam venenum, non alium lectum, quam dracones non aliam societatem, quam serpentes, non aliam consolationem, quam desperationem?

O vos stultos Poetas, qui infernum vestris versibus decantastis; persuasum vobis est, quod nostras depinxeritis miserias per vulturem Titii, sitim Tantali, rotam Jxionis, & S. Syphi, Charontem, Cerberum, Lethum, Cocijtum, Phlegetontem Tenarum, Erebum, Orcum, Æacos, Rhadamantos, Minos, Eumenides, Parcas, Hydras, Chymæras, Attamen hi sunt; *Rumores vacui, verbaque inania, & par sollicito fabula somnio.* Omnia tormenta à vobis conficta, quantumvis essent vera, in comparatione nostrorum, solum essent picta. *Pejus aliquid inventum est siti ardente in undis; aliquid, & pejus fame hiante semper.*

Sene. in Troiade.

VII. Dicet aliquis damnatorum, DEUS me remittat in mundum, omnibus patientiam persuadebo, ut etiam suas ament miserias, cũ meas inspexerint. Vos omnes, qui vestram deploratis, sortem. *Credite experto mihi amare poenas.* Vos cœci, vestras amate tenebras, leprosi vestra ulcera, epileptici vestros lapsus, paralitici vestros tremores, podagrici vestros dolores, febricitantes vestras inquietudines, vos incarcerati in pretio habeatis illos compedes, quibus reddimini immobiles, ad triremes damnati illas manicas, quæ vos mancipes efficiunt, condemnati ad furcam laqueos, vos suffocantes, rotas vos conquassantes, cultros vos transfigentes.

Idem. ibi.

Vobis Religiosi chara sit subjectio erga superiores, ieiunia, cilicia, flagra. Vos sæculares ambabus manibus amplectamini calamitates, quas vobis afferunt tempora, dies infelices, quos socii, ingratitudines, quas filii, proditiones, quas servi, omnis afflictio voluptuosa fit, si inferno comparetur. Ne quæso alios miseros, quam nos proclametis; nos soli miseri meremur, compellari, qui omnibus tormentis expositi, nec ullius refrigerationis capaces sumus. *Vltra nesciemur à DEO, qui DEVM scire noluimus, morituri vitæ, morti sine fine victuri.*

Emiss. ho. 3. de Epipha.

Utinam, utinam vel semel fenestræ obfirmarentur, per quas cœlum inter has tenebras transparet. Hoc tamen impossibile est. Deus quippe hostes suos, teste Emisseno felicitate contrariâ sub oculos positâ acrius vult torquere; *Vt videant, quæ perdiderunt; reportaturi secum primam poenam alienæ beatitudinis conscientiam.* Quod si filiis Adæ eadem esset sors, sicut eadem est propago, profectò, quantumvis foret misera, non esset tormentum illi, qui alterius melioris nullam haberet notitiam, cum verissime cecinerit poeta; *Est miser nemo nisi comparatus.* Damnatorum miseria aliis miseriis comparata est maxima, & si damnati possent mori, omnis intuitus gloriæ amissæ, eos suffocaret.

Hom. 2. de Symb.

VIII. Nec vos difficilem huic dicto adhibebitis fidem, qui legistis Franciscum Focarum Venetorum ducem contabuisse, dum senectute premente, post triginta quatuor annos, summâ cum laude in regimine transactos, insignia, & claves successori tradere cogeretur, regimini amplius inhabilis. Præterea Lucius Sillanus gener Claudii principis, ut vidit dilectam suam Octaviam Neroni connubio iungi. *Ira dolore gladio suo incubuit, idque die nuptiarum ad augendam invidiam.* Quamvis non cruciarer flammis, fame, siti, fœtore, angustiâ, obscuritate, an non satis tormentor, dum recordor mihi omnia bona adempta, parentes, amicos?

Sab. L. 8. Decad. dis. 3.

Tacit. L.

Gregorius Lib. 5.

Memorandum est, quod memini me legisse. Dum clade turpissimâ profligato Michaele imperatore Palæologo, Turcæ prædam dividerent, contigit aleâ jactâ duas sorores, duobus dominis addici, quâ separatione adeo consternatæ sunt, ut ultimatis amplexibus sibi invicem valedicentes, occubuerint ambæ. Quod si ita sit, quomodo ego non iure sentiam, tot è meis esse in domo DEI principes, me autem miserabilem; *Inferni vernulam, poenarum sobolem, extremum mancipium iam gehennæ?*

Chrysost. serm. 123.

Mea soror est, quæ ibi inter virgines relucet, meus frater est, qui inter confessores exultat, Illa mea mater est, quæ adeo honoratur, filius meus est, quem tanto applausu excipiunt Angeli. Sed cavete, ne me in auxilium vocetis, ne revelationem Mariæ Oegniacensis in medium adducere cogar. Hæc virgo ut vidit Matrem inferno addictam, statim accinxit se ad justitiam divinam deprædicandam, ita ut nec induci potuerit, misericordiæ divinæ per unicam salutationem Angelicam supplex fieret.

O Hime! quid video? Complices illos mei peccati, qui sæpius viam

viam inferni mecum triverunt supra me video; Et quia aures præbuerunt inspirationibus divinis, quia illos morbos à DEO sibi immissos crediderunt, quia illas indulgentias, illas conciones sibi proficuas fecerunt, quia exomologesi rectâ conscientias suas exonerarunt, cœlo intromissi sunt; ego vero infelix, qui toties claves cœli in manu habui, dum nullam violentiam iis aperiendis adhibui, exclusus maneo.

O voluntatem cæcam! O voluntatem stultam, imo maledictam, quæ tam prave gubernasti potentias tibi subditas! fuisti proprii cerebri, sed nunc eo fruere, quod lucrata es, ego nec in minimo intendo tuam accusare sortem, quia tu eam cudisti. *Tu terram tuam disperdidisti.* Et quam terram? Terram promissionis, terram benedictionis, terram pacis. *Tu populum tuum occidisti.* Et quem populum? Intellectum, qui ob tuam culpam, nullum potest conceptum parare qui ipsum quietet. Memoriam, quæ nullius potest recordari; quod ipsam consoletur, Imaginationem, quæ nullum potest fingere phantasma, quod ipsam delectet. Gustum damnatum ad extremas amaritudines, tactum ad æternas flammas, odorem ad fœtores putridos, Auditum ad horrendos sonos, visum ad intolerabiles tenebras, Irascibilem, & concupiscibilem ad pœnosissimam confusionem affectuum inter se contrariorum. O infelices, qui juxta Gregorium magnum; *Et quod timent tolerant, & quod tolerant pertimescunt!*

[margin: ...a.14.v.20; ...b.9. mor ...8.]

IX. Utinam, utinam porro in memoria præteritorum, & præsentium mea infelicitas consisteret. Intuitus quo video hæc tormenta nunquam desitura, me torquet, & valde cruciat. In hac vita est verissimum illud Pelusiotæ; *Fieri non potest, ut concurrant utraque violentia suppliciorum, & duratio.* Lib.4. epist. 199. Verum in altera vita dolores ob nimiū excessum necem inferre possunt, sed non inferunt, quia sunt sempiterni. Ipsiæmet, cœnæ, venationes, Musicæ in tædio sunt, si nimium producantur. Quid ergo non efficiant onera pungentia, tristitiæ mordaces, flammæ ardentes, quæ nunquam alleviantur, placantur, desinunt? In hac vita verificantur ille versus; *Omnia cum quodam veniunt incommoda fructu.* Tolerantia unius a pluribus aliis eximit, cuilibet dolori est suum pharmacum, multi sufferuntur ex generositate, multi dum contemnuntur, non sentiuntur.

Solis damnatis juravit DEUS. *Immittam serpentes Regulos, quibus non est incantatio.* Hierem. 8. v. 17. Tormenta eorum sunt atrocissima, nec possunt leniri ne sentiantur, nulla sufficit patientia, ut solentur, nullà pœna redditur iis levis, quinimo graviores fiunt ob pessimam dispositionem damnatorum. Hinc Gregorius; *Quid tam pœnale, quam semper velle, quod nunquam erit; & semper nolle quod nunquam non erit?* Greg. in Moral. Felix fores, cum Portio Latrone; si febrem quartanam posses tollere te occidendo. Felix fores cum Cornelio Gallo, qui dum se æternaliter proscriptum è domo Augusti audiret, pugione portam doloris, quo necabatur aperire potuit:

Felix fores cum illo Patre, qui Româ obſeſsâ à Gothis, ne quinque filios fame emori coram videret, faciem pallio involuens è ponte in Tyberim ſe præcipitavit; ſic enim jugo fortunæ adverſæ te ſubduceres. Nos ſoli ſumus infelices, qui vitam in odio habentes, nullum reperimus inimicum qui eam tollat, vel amicum qui eam leniat. Merito illud continuo canere poſſumus, quod morti proximus deſperatus protulit Nero. *Veh mihi, qui nec amicum habeo, nec inimicum.*

Ex Tranquill.

Ex procop. Hiſt.

X. Et quia nulla in mundo eſt miſericordia, quæ mihi compatiatur, utinam ad minus daretur potentia, quæ me annihilaret. At quia mea habitatio non poteſt eſſe deterior, anguſtior, olentior, nulla ſocietas odioſior, contemptibilior, perverſior; nulla menſa parcior, amarior, turpior, nullus lectus durior, ignis acrior, decrevi maximæ id gratiæ loco reponere, ſi Dominus Deus me liberare promitteret, cum meis Lacrymis repleverò totum ſpatium firmamenti, vel meâ induſtriâ numeravero omnes arenas littoris, guttas maris, atomos ſolis, grana terræ. O æternitas, utinam lateret tuus finis ut eum non intuerer? Fides infallibilis illud Euſebii Gallicani me docet; *Occidente pœnâ, & vivificante ſententiâ ſtabit ſæculis materia reparabilis, & nunquam ad metam malorum, termino fugiente perveniet;* Et ſic in bona conſequentia. *Etiam in præſenti ſentientur conſequentium tormenta ſæculorum, & ſic dolorem mortis conſcientiæ impoſita immortalitas augebit.* O me miſerum! Ergone continuo hac morte ego moriar? Semper repetit idem: *Quia finem in ipſo interitus confinio non inveniet.* Ergone ſemper me rodent, & nunquam conſument hi vermes, ardores, remorſus? Semper inquit Caſſiodorus; *Quia pœna hæc abſumet, ut ſervet; Servabit ut cruciet; dabitur miſeris vita immortalis, & pœna ſervatrix.* Ergone ſemper à latere habeam tot deſperatos, ſub oculos tot Dœmones, juxta aures tot ululatus, in ore tot venena, in animo tot rancores? ſemper dicit Cyprianus; *Nullum ibi refrigerium nullum remedium, atque ita omni tormento atrocius deſperatio damnatos affliget.*

Euſeb. Galli. hom. 1. ad Mo:

In pſal.

ſerm. de a cenſ.

O Sol, Luna, Stellæ, & vos præluſtres viciſſitudines diei, & noctis, pluviarum, ventorum, æſtatis, autumni, veris, ſerenitatis, nebularum, ergo vos nunquam deinceps viſurus ſum? Nunquam. Ergone nullum ſim habiturus cogitatum amoenum, nullam percepturus voluptatem, nullo fruiturus voto, nullum felix auditurus nuntium, nullâ me oblectaturus gratioſâ converſatione, minimam non accepturus gratiam? Nullam. Ergone, tot amici, conſanguinei, ſancti, Angelus meus cuſtos, Virgo mea advocata, ipſemet Chriſtus pro me natus, mortuus, meus redemptor, creator, pater, nunquam ſeſe mihi impertient, nullo aſpectu me ſolabuntur, nullo verbulo recreabunt? Non. Quinimo, quamvis Deus cum Epulone me filium compellet, id tamen me magis torquet; *Cui pro magnitudine criminis, non miſereri genitor, non pater ignoſcere, non affectio potuit ſubvenire.*

Chryſ. ſer 12.

O præ-

O præteritum, quod non redis, præsens quod adeo me crucias, futurum quod nunquam deficis! O quam inconsideratus est, qui te non cogitat, quam stultus, qui te spernit, quantum aberrat, qui a te deviat! Primus ergo intuitus, Auditores mei, in Averno, quamvis tot excitet tormenta; attamen maior pars hominum, non obstante, quod illæ pœnæ sint tam horribiles, intolerabiles, irremediabiles, cantando eò currunt; *Veh, veh, veh quibus hæc prius experienda sunt quam credenda.* nisſ. hom.

PARS SECUNDA.

XI. O quam dolorosus fuit aspectus Epuloni, quo non solum in beatitudine conspexit Lazarum mendicum, sed & divitem Abrahamum. Hinc Chrysologus; *Vidit Abraham divitiarum consortem, sed in humanitatis exortem.* O stultos divitis, qui cum Lazaro per diutinam patientiam, cum Abrahamo per eleemosynæ elargitionem paradisum conquirere non studetis. Minabatur supplicia multo minora iis, quæ jam Descripsi Elias impio Regi Achab, & quamvis esset perversus, tamen audite, quid fecerit? *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.* Nos autem, qui in periculo incurrendi maiora mala versamur, an nil agimus, ut ea evadamus? O Domine nos non gentiles, sed Christiani teste Tertulliano, *Si gehennam comminemur, decachinnamur.* Quot sunt, qui rident meos planctus? Quot non sunt, qui inferno ferme admoti nugas adhuc scandalosas exercent? Quot non sunt, qui velut stulti papiliones iocantur cum igne? Dum non putamus, in eum cademus.

(Margin notes, left: ...m. 66. — ...Reg. c. 22. ...27. — ...r apolo. 47.)

Quæ maior stultitia, inquit Chrysologus; *Quis nos eludit somnus, quæ est ista, quæ nos tenet oblivio lethalis; quare omnibus contemptis evadendi à malis talibus, non sola nobis sit cura?* An forsan agitur de miseriâ diurnâ, menstruâ, annua, centenaria? Non sanè. Agitur de summâ, & æternâ miseriâ. An ergo nos, qui tanta agimus, & patimur, ut febriculam curemus brevem, ne hilum nos impendamus, ut illas effugiamus? Sed Deus æterne! Quod si non ex fide, sed opinione aliqua probabili tantum haberemus dari infernum, an non ipsa ratio dictaret, certissimam viam eligendam, nec ullum se posse discrimini illarum miseriarum obiicere, casu quod darentur? Verum cum doceat veritas adeo irrefragabilis, admittantq; non solum Catholici, sed sapientiores Hebræi, Turcæ, Schismatici, Hæretici, Gentiles dari aliam vitam, in qua justissimus Deus bona muneret, mala castiger, quæ in hac vita impunita reliquit; Cum inquam Christus veritas æterna ab inferis resurgens, ac tot alii, qui pœnas inferni viderunt, nos certos reddant dari infernum, cum ut eum effugerent sancti Confessores, tot pœnitentiis in seipsos sævierunt, Martyres tot tormenta perpessi sunt, an non est maxima stultitia eas inambulare vias, quæ ad illas conducunt pœnas? *Nullam, nullam maiorem concipere possum animo fatuitatem,* dice-

(Margin notes, right: serm. 124. — Lib. 4. de æternit. c. 24.)

dicebat noster doctissimus Lessius, nec Angelicus Aquinas unquam capere potuit, quomodo hoc à viro sensato fieri posset.

XII. Credere, & quidam fide divinâ, quod si devivam in peccato mortali, rectà curram ad infernum, hoc est ad locum in quo, sive respiciam præteritum, sive præsens, sive futurum, quam diu erit DEUS, qui deficere nequit, ac anima, quæ mori non potest, nullam cogitationem sim habiturus, quæ me soletur, adhuc in peccato mortali degens, & sententiam æternæ damnationis in manu gestans, possim ridere, dormire, jocari, quis concipiat? Carceres inquisitionis hisce falsis Christianis replete, hisce furiosis Phreneticis hospitalia stultorum opplete.

Quod si non credant fundamentũ principale nostræ fidei, quomodo sunt fideles? Quod si credunt, quomodo vivunt tam insane, ac si cerebro vacui essent? Audite Chrysologum: *Scimus, scimus, & vitam bonis, & malis tormenta præparari sed vitiis capti fingimus nescire, quod scimus.* Ita, ita est, tristitias animo pellitis, voluptates in præsenti sectamini, futura nil curatis. Adeo estis stulti, ut male viventes, benè tamen mori speretis. Stultus mihi est ille, qui petens Parisios, tendit Constantino polim, sperans nihilominus se Parisios perventurum. O chari peccatores, ego vos prodere nolo. Veritatem hanc rarò auditis, & pauci eam vobis proponere audent. Ego vero vobiscum damnabor si tacuero. *serm. 60.*

Alté animo insidet meo historia, quam Vincentius recenset; Clericus quidam non multo post mortem, alteri clerico suo quondam amico damnatus apparuit, ei porrigens literas, quibus Dæmones Ecclesiasticis immensas referebant gratias; *Quod cum ipsi in nullo suis voluptatibus deessent, tantum numerum animarum subditarum paterentur ad inferna descendere prædicationis incuriâ.* *Lib. 23. c. 3*

XI. Ubi præcipites ruimini ad perditionem, nos qui missi sumus ut remoram vobis iniiciamus, id omittimus, metuentes ne vos lædamus. Vivat interim DEUS, ego hodie clare loquar. Vos compello, qui rei æternæ damnationis integros annos teritis. Ni me fallo, video cogitationibus, verbis, operibus, vestris non alio, quam ad infernum vos portari. Quæso dicite mihi. *Quis ex vobis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis?* Si ieiunium quatuor dierum hac quadragesimâ vobis commendem, impotentiam allegatis, si suadeam, ut quadrante horæ genuflexi reverenter missæ assistatis, dicitis vos non posse, si orem, ut pravum illud consortium vitetis, idem replicatis. Quomodo ergo poteritis sustinere æternos dolores, miserias, flammas? Dicitis, quod vos terream, utinam, utinam; Si vos consterno omnia sunt salva, nam in manus iustitiæ non incidet, qui iustitiam timet. Ita Chrysostomus; *Nullus ex iis, qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam.* *Isa. 10.* *Hom. 6. Philipp.*

Alter

Alter instat, ut taceam ne potius in desperationem, quam in emendationem ducatur. In desperationem? Et cur? Anne ego etiam sim in eodem periculo? An necessario damnamur? Non. Potes si velis Infernum effugere. Tu Domine, qui moriendo tot tormenta sustinuisti, ut æternis nos eriperes; *Salva nos, perimus* Nos rapimur nisi tu adiuves, quo nos ducunt pravæ nostræ inclinationes, conversationes, habitus, ut enim optime dixit servus tuus S. Valerianus: *Cui enim unquam difficilis fuit ad inferiora descensus, ubi homo onere suo trahitur, & male fasciis suis victus portatur.* Revera fasciculus peccatorum meorum levis non est. Quod si ex modo meo vivendi secuturam vitam velim augurari, dico. *Vadam ad portas inferi, & non videbo Dominum Deum meum in terra viventium.*

tatt. 8.


Tom. 2. de uro vita.

n Cant. Ezech. Isaia. 38.

Magna pars ex nobis ita luto viæ infernalis immersa hæsit, ut non nisi miraculo eam extrahere possis. Porro omnipotentem tuam pietatem rogamus, ut hoc præstes. *Mirifca misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te Domine.* Dæmon omnes vires exerit, ut nos damnet, & cur tu idem non facies, ut nos salves? Eripe nos è manibus ejus. *Exurge Domine præveni eum, eripe animam meam ab impio; frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Verum quidem est nos hoc non mereri, attamen tuæ gratiæ, & auxilii capaces sumus. Oportet, ut poenas non adeo horreamus, quin magis culparum causas detestemur. Illa puella tot sacrilegiorum rea, vult hodie confiteri peccatum, quod semper reticuit, ille vindicativus, vult hodie ignoscere, ille lascivus pravâ occasione se eximenere, ille discolus adolescens religioni se devovere. Peccavimus, sed tu peccata puni, *Veruntamen, In virga virorum, temporaliter, & non æternaliter. Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Non mereor exaudiri, sanguis tamen tuus hanc promeruit gratiam. *Preces meæ non sunt dignæ, sed tu bonus fac benigne, ne perenni cremer igne.* Alias proh dolor dixero; *Infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum.*

Psal. 16.

Ex August.



CONCIO XV.

PRO DIE VENERIS DOMINICÆ SECUNDÆ.

Agricolæ apprehensis servis ejus, alium cæciderunt, alium lapidaverunt in S. Matthæo. Cap. 21.

Plurimum intereſt in via iniquitatis non incepiſſe.

1. CErto certius peribitis vos vinitores inurbani, qui bidentes, ligones, ridicas, pedamenta, quibus vineas paſtinatis, & ſtatuminatis vertitis in inſtrumenta crudelitatis, qui à propagatione, & plantatione vitum, tranſitis ad demetendas vitas, à ſtatuminatione pedamentorum pergitis ad alios baculis excipiendos, Coacervatis petras, ut iis impetatis exactores, aggeres, & grumos facitis, ut arceatis dominos. Et quia ſanguine terram rigatis, quem aliis elicuiſtis, ſepes ſervient vobis conſtringendis, hæc torcularia, ut viſcera vobis exprimantur, fundus illius turris erit veſter carcer, ſummitas præcipitium, ex illa arbore ſuſpendemini, in illis foveis ſepeliemini. Et revera, Auditores mei, valde à propoſito huc conveniſtis, quia Judicibus non vulgaris prudentiæ meos iuſtos dolores exponere decrevi. Quandoquidem ſæpius in ſacris literis tantis encomiis efferri vineam Domini Sabaoth audiviſſem, ut in ea memet oblectarem, ad eam me contuli, eiusq; pretioſitatem, velut argumentum appoſitiſſimum vobis hodie proponere decreveram. Verum cum in ſancto Matthæo incidiſſem in enormiſſimos illos exceſſus à vinitoribus beſtialibus commiſſos, cum animo greſſus mutavi, ac pedes retuli, conferensq; me ad patres, ut eos interrogarem, quid de facto tam inſolito ſentirent, reperi eos omnes examini hujus cauſæ impenſos.

Sanctus Athanaſius per hanc vineam intelligit mundum, Sanctus Irenæus genus humanum, ſanctus Auguſtinus cum pluribus aliis Eccleſiam. Non dubitant, quin paterfamilias ſit Deus, Heres Chriſtus, ſervi prophetæ. Per vinitores ſanctus Ambroſius donotari vult Hebræos, Origenes, Euthimius, Theophilactus ſacerdotes, ſcribas, phariſæos. Per ſepem accipiunt Ambroſius, Hieronymus, Auctor imperfecti tutelam Dei, & cuſtodiam Angelicam. Torcular juxta Bedam, Theophilactum, & Euthymium eſt altare ſacrificiorum, iuxta Jrenæum, & Hilarium ſpiritus Prophetarum. Turris nonnullis eſt Hieroſolyma, aliis templum, pluribus ſummitas, & perfectio legis.

Apud Ma donat. in c 21. Matt.

Verum ego, qui corpus delicti examinare nolebã, niſi prius informatus fuiſſem de facto ipſo, ejus ſeriem fuſe deſcriptam apud Matthæum legere cœpi, nihilq; magis mirari potui, quam gradationem ſcandaloſam illorum nebulonum, quâ ab iniuriis ad verbera,

à verberibus ad necem, à nece ad sepulturam lapidum processerunt. ***Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidaverunt.*** Et postquam hæc in paucis exercuissent, ad plures perrexerunt. ***Misit servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.*** Nec hic quieverunt, occiso domino per famulos, filium quoq; ejus interfecturi cucurrerunt, utq; ordinatim, & gradatim procederent, peccatum prius conceperunt, & postea illud executioni mandarunt. ***Dixerunt, venite occidamus, & apprehensum occiderunt.***

Ut insolentissimi fuerant eum capiendo, virgis eum cæciderunt, spinis coronarunt, per plateas traxerunt, clavis affixerunt, extra villam eiecerunt, & occiderunt. Porro quod olim evenit in illa parabola, hoc quotidie hodie in Mundo cernimus, cumque tales gradationes, ac progressiones à malo ad peius esse figuras ordinarias perversorum adverti, suspirium altum trahens sic tacitus mecum discurri. Ah, quantū refert in via peccatorū non incepisse, & ideo de nullo alio hodie discurrere possum. Porro vobis flores carpendos in hortis linquo, ex vinea nolo abire sine fructu, quē omnes colligent, si abeatis persuasum vobis habentes, totum in hoc consistere, ne progrediamur ad scelera enormia, non ordiri à patratione primorum & minorum.

PARS PRIMA.

II. Enimvero hac vice à quodam polito ingenio mihi explicari vellem axioma adeo vulgatum *principium est dimidium totius.* Et quid amabò actionibus primis, cum subsecuturis. Species semper eadem est, nec per intensionem mutatur, ex qua videtur, solum per coordinationem exteriorem eas distingui. Verum hoc non obstante, cum omnes causæ, nescio, quam difficultatem experiantur, dum à quiete, & cessatione ad opus trans irunt, quâ post actionē. Liberantur, cum semel eam expertæ sunt, consequitur esse verissimum, primum effectū ob difficultates oppositas superatas, si non in malos saltem in valore pluribus subsequentibus æquivalere. Hinc optimè Aristoteles. ***Principium magis est virtute, quam magnitudine***

Profecto interim crassè erramus, si nobis persuasum sit, quod sicut in via virtutis progredi, est multo difficilius, quam incipere, nec in ea mediū secundum magnum Antonium attingi; Nisi post plures progressus denuo incipiamus, ita etiam in via peccati gradus, ac progressus à nostra voluntate pendere. O nos stultos, qui tam stolidâ crudelitate perdimur, dicendo, huic, vel illi occasioni nos semel tantū committemus, non erit tam grave hoc periculū, si alterâ vice illud comittere nolimus. Perbellè: sed unde hoc scimus? An ex vigore nostrarum viriū, aut qualitate viæ? Hodie tentabo num eum errorē à vobis pellere possim. Dum superius scando, certus sum, quod omnes gressus numerare valeā, nam quantumvis animus vires addat ascendendi, pondus nihilo secius corporis me retrahit. Verum in descensu, si currere incepi, non possum cursum cohibere quando volo, sed eū continuare cogor, nisi vel impingam in lapidem, vel in planitiem aliquam deveniam. Vos bene me capitis, esto clarius me explicem. Vita proba, & virtuosa nobis est quidam ascensus; nullum est enim obstaculum, quod in illâ viâ nobis non obiiciat remoram; sed

Ex Aristes. & aliis.
Aristot. 1. de cœlo sext. 33.

via vitiosa est descensus, mille modis nos deturbans, ipsamet via, esto eam non in ambulemus, nos vehit, impetus passionum propellit, pondus membrorum continuis nos stimulis excitat.

III. Quis è vobis unquam in urbibus montanis, & frigidis conspexit ludum puerorum etiam illo tempore, quo hyems sæva omnes alios lusus interdicit? Eligunt viam maximé declivem, ac minus distortam, in eaq; complanando nivem, aquam affundunt, ut congeletur, ac pavimentum quasi vitreum evadat. Deinde trahâ absque rotis, & equis instar fulminis in imum feruntur, ita ut traham portantes, si eandem viam repetere, & ascendere debeant, tardissime debeant incedere, solliciti continuo, ne centum gressibus retrogrediantur, ubi in descensu absque stimulatione sistere non potentes, pedibus, vel corpore totum cursum finiunt.

Omnes nos sumus viatores, per vitium nostræ instabilitatis rotæ factæ. *Præcordia fatui* decebat optime sapiens *quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius.* Adeo sumus sphærici, ut ferme in ipsis curribus ruamus. Quid itaque non fieret, si sese nobis, qui per pessimam qualitatem sumus lubrici in via iungeret nostrum vitium? Lubricum supra lubricum positum si semel currere incipiat, cursum sistere non potest. Quales sunt vestræ viæ ò peccabores? Tales, quales vobis optavit David: *Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum*, qualesque descripsit Poeta discurrens de viâ inferni. *Vt sæpe puppes æstus invidas rapit, sic pronus ager urget, usque avidum chaos, gradumque retró flectere, haud unquam sinunt umbræ tenaces.*

Eccles. 33. v. 5.

Psal. 34. v. 6.

Sen. in Herc. furent.

Illæ tenebræ nescio quid habeant illicii, & attractivi, verissimum siquidem illud est Gregorii: *Nunquam illic anima, quo ceciderit jacet, quia voluntarie semel lapsa, ad peiora pondere suæ iniquitatis impellitur.* Nunc ergo o Adolescens animo propone, quod semel tantum velis insanire. Ego tibi dico, quod semel pro semper insanies. Ultra terminum præfixum centum mille milliaribus curres, scies quid sit currere in Lubrico, & non in plano.

Revera idem Pontifex non frustra clamat, *Isti sunt casus culpæ crescentis, ut nequaquam ubi ceciderit jaceat sed semper ad deteriora descendat.*

Verum quis sit ille, qui me accusat, quod adducam comparationem nimum concludentem? Hic necdum meam mentem percepit, pro ut deberet, nec dum ad metam discursus pervenimus, velit, nolit, omnibus quantumvis illi paradoxa videantur, suum calculum adjunget, cum illa perceperit. Veluti enim, ut scite observavit philosophus in motibus naturalibus: *Post primum instans motus non potest immediaté sequi quies*; Ita in motibus moralibus, & peccaminosis nemo est, qui punctum possit formare firmum, nisi post aliquot periodus pravas. Nec solum innitor Auctoritati Senecæ dicentis: *Nunquam perniciosa servant modum; quamvis Levia initia morborum serpunt, & ægra corpora minima interdum mergit accessio.* Nam si Auctoritatibus niterer, plures forte adducerem Patres. Et sane imprudenter facerem, si omissis argumentis intrinsecis, quæ ad manum sunt, solum extrinseca in medium proferrem.

IV. Quid fecisti o Deus? *Veruntamen*

L. 31. mo[r.]

Idem L. [...] mor. C. [...]

Sen. Ep. 85.

David. [...] 12. v. 1[...]

tamen propter dolos posuisti eos; vel ut legit Hebræus; *In lubricitatibus constituisti eos?* En nos miseri semper in declivium ruimus, & præter exempla antecessorum, ipsa vita nos propellit. *Fugienda Patrum vestigia ducunt, & monstrata diu veteris trahit orbita culpa.* Plangite vos inquit DEUS, qui glaciè vestras vias sternitis. Ego ne in lubrico cadas, duobus te funibus ligavi, verum si in primo impetu eos diffringis, quid ego faciam? Primo impetu Domine? Sed, qui sint isti funes? Timor, & pudor inquit Tertullianus. *Omne malum, aut timore, aut pudore natura perfudit.* Fortiores remoras in hoc declivio non habemus. Quod si ergo primo ictu, quo per peccata eos impetimus, discindere illos conamur, quid miri, si unâ vice itineri cursus infernum dati, putantes ultra passum nos non processuros, nos millia leucarum conficiamus?

Juven. sat. [illegible]. — Apo. Log. 1.

DEUS bone! Pudor, quam non est ingens testis coercendi hominem, ne in vitia præceps ruat? hoc fracto actum est de eo. Hinc Comicus; *Ego illum periisse duco, cui quidem periit pudor.* Et melius Nazianzenus *Extincto subeunt mala cuncta pudore.* Sola memoria pudoris est optimus pædagogus, quem DEUS animæ dare possit, sic Nissenus. *Memoriam pudoris habet pro pædagogo ad vitam deinceps agendam.* Insuper Nazianzenus vocavit pudorem Liberorum, *auxilium patribus, quo firmius nusquam est*, & alibi, *pharmacum persuasionis.* Et rursum, *pudore nullum maius adiumentum ad virtutem excogitari potest.* Hinc in Apocalypsi perhibet Joannes Antichristum non futurum contentum, quod asseclæ eius facinora patrando, characteres in manibus sint habituri, sed sciens, *sedem pudoris frontem esse*, eos in fronte cudi curabit. Et quid quæso causæ est, quod ille adolescens totus licentiosus, ac dissolutus factus, velut equus indomitus per plateas currat iniquitatis? An quia peccare incepit? Non. Quid tu decis O Chrysostome? *Habet insitum quendam anima pudorem, quem subito calcare, atque proiicere non potest, sed sensim ac paulatim ex negligentia perit.* Ita succedebat tuo tempore, pluribus quippe actibus verecundia prostituebatur, hodie autem non sic, quin imo unico actu perditur.

Plaut. in Bacchid. — Carm. ad Olymp. — Diff. 3. in Eccl. Apol. 1. — Versib. ad Vitalianum. — Apoc c. 13. — Hom. 87. in Matt.

V. Possem tibi plures ostendere Adolescentum nostratium, qui Agnelli candidissimi, potius sanguinem profudissent, quam innocentiam contaminassent, sæpiusque cum Josepho suggestiones abigebant dicendo; *Quomodo possum hoc malum facere?* posteaquam vero illas solum mente admiserunt, nolentes ulterius procedere, tam subitó amiserunt pudorem, ut confitendo, eos oporteat particulas plus, vel minus adhibere, idemque iis sit semel, bis, sexies, decies, centies, vel millies peccasse, nec jam tentationes Dœmonis præstolantur, sed eas ultero acersunt. Gen. 39. v. 9.

Et nonne hæc dicta verissima esse in pluribus conscientiis, reperiuntur? Quilibet eam ingrediatur, ac ex processu peccatorum videat, an non sit verissimum, quod non inceperit, nisi erubescentiâ prius positâ, ac incipiendo illam amiserit, paucisque horis malum iter confecerit. Via, quippe, cum via sit lubrica, ac funis, quo ligabatur, non sit talis, qui semel fractus,

rurſus connecti poſſit. Hinc Tragicus,& poſt eum Apuleius. *Redire cum perit, neſcit pudor.* *Qui malo ingenio eſt, quo ſæpius, eo apertius delinquit . pudor enim veluti veſtis obſoletior eſt.* Pudor eſt veluti *veſtimentum*, quod teſte Chryſoſtomo *ab initio ruptum, & neglectum per totum producit ſciſſuram.*

Sen. in Agamen.
Apul. Apo. 1.
Ho. 8. in 1. ad Cor.

VI. Sed utinam dum malam ordiendo vitam erubeſcientiâ privamur, ſimul non amitteremus timorem. Hic ſiquidem teſte chryſoſtomo eſt Naucleruis noſtræ navis fluctibus ſe opponens. *DEI timor tanquam Nauclerus gubernaculis aſsidens.* Quod ſi hunc amittamus, non eſt, qui ad pietatem nos reducat: hinc Baſilius: *Introductorius ad pietatem timor.* Timore præditi nunquam operibus piis inſteriles ſumus inquit Bernardus. *A timore tuo concepimus, & parturivimus ſpiritum ſalutis.* Hic nos vegetos ſervat, Eſt enim ut ait Eloquentiſſimus Seleucia, *Temperantiæ neruus prævaricationis metus.* Sit quantumvis lubrica via; *Si mens ad eam inclinet, terrore obiecto firmatur.* Econtra, ſi hic etiam evaneſcat, nemo dubitet, quin de nobis etiam id poſſit ſcribi, quod quondam de Tiberio ſcribebatur. *In ſcelera ſimul, & dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore, & metu, ſuo tantum ingenio utebatur.* Enim vero, an multum exigitur, ut tale inſtrumentum ad ſalutem aptum non perdatur? Non. Sufficit, quod Semel impune peccaverimus, nec cælum fulmine nos percuſſerit, aut terra vivos nos abſorpſerit; Si ſemel peccatum nobis ſuccedat, credimus DEUM nobis ſemper clementiam oſtenſurum, judicamus minas, quæ eius vice in Sacris Litteris, vel pulpitis intimantur, ſolum concutere quoſdam improvidos, ac graves peccatores. Evenit iis id quod ſimiæ eveniſſe narranti Fabuliſtæ. Huic tanto in terrore fuit leo, ut ad eius rugitum longe adhuc diſtantis ferme exanimaretur; verum ut unâ vice ſpiritus ſumpſit eius capiti inſiliendi, eique adulandi, ac baſiandi, non magis, ac cuniculum eum timuit. Sit DEUS quantumvis formidandus, unum tamen peccatum impune commiſſum in centum alia trahit. Unum periculum feliciter effugatum, animos addit, plura graviora æque faciliter poſſe evadi. Miles, qui velut alter Piſander propriam metuebat umbram, pedibuſque, quam manibus velocior, continuo rimam, per quam evadere poſſet anxie obſervabat, ubi ſemel cruento interfuit prælio, non amplius gladium velut fulmen, tympana velut tonitru pertimeſcit, ſed dum claſſicum canitur properat, ac ſi ad opimum convivium invitaretur. Qui ſemel maris ſævientis fluctus, & turbines guſtavit, non ſicut ante reputat quodlibet promontorium fatale peloræ, & Maleæ, nec quemlibet gurgitem ſcyllam, & charybdem, nec quoſlibet ſcopulos velut Orcades, ac Simplegades, imo quantumvis cœlum fiat nubilum, venti ſæviant, undæ, & fluctus tumeant, vela lacerentur, an-

Ho. 1. de Anna.
Ho. 8. in pſ. 32.
ſer. 2. in nupt. can.
Iſa. 26. v. 18
Orat. 3.
Tacit. Lib. 6. Anna.

anchoræ iaciantur non turbatur, nec naufragium metuit. Viden, quam verum sit, quod malum quod semel evasimus, illud crebrius à nobis posse vitari iudicemus, & censeamus.

VII. Quam non fuit stultus appetitus, qui in cessit Mitridatem, quo veneno se infarcire cupiebat? Quis illam appetentiam acuit? Nil aliud, nisi quod semel innoxie comestum, ad sui appetentiam ulteriorem eum pellexerit, primo Scypho absque noxâ hausto, nil ambigebat de scuundo. Peccatores, qui ab uberibus Diaboli abstrahi non potestis; Eccur tam noxiis cibis vos distenditis, iisque vos, infarciri pergitis? Quia incepistis. Est Adolescens, qui pluribus annis Angelum humanum exhibebat, nec verbum minus honestum eius ore excidisset, sed unicâ vice impegit, ulterius progradi nolens. Sed videte, quousque processerit. Quid dicitis de cogitationibus, quas animo voluit? Quid de impuritate, quæ in oculis scintillat? Quid de libris, quos manu versat? Quid de discursibus lascivis, quos in medium trahit? Vos ipsi id dicite. Ad primum peccatum, fractus est funis verecundiæ, & timoris, quo DEO obligabatur erupto vacillando in vitiis, Ocissimè præcipitatus est illuc, ubi eum modo videtis.

Attendamus, paulisper ad verba, quæ sancti proferunt. Ego credebam sanctum Joannem Chrysostomum hyperbolicè fuisse locutum, dum dixit, Diabolum ut nos perdat *nostris tantum initiis opus habere.* Sed reperio, quod verissimè loquatur. Ut incipiamus, adversoriis nostris quidem aliqualiter ad laborandum est, sed ut incepimus, manibus dimissis feriari possunt, siquidem à nobis ipsis iam propellimur, & stimulamur. Hinc Gregorius, *Usu omnia levigante nequaquam post committere, etiam graviora timemus* Unde si DEUS cunctipotenti suâ manu nos non coerceat, nullum est periculum, cui non nos demus: Nunc capio quid tam seria prætenderit suasio sancti Francisci, quâ suos monebat, ante omnia caverent, ne Dœmoni non habenti funes, quibus eos ligaret, unicum capillum præberent, cum unico, dato tantum de suo addere posset, ut restis fieret. Nescio charissime an tibi in comperto sit, quod donec hoc, vel illud malum cognoscas totis viribus connitatur adversarius, uta ex hac parte securus sis. Veruntamen, mox ut in tecum primo peccato exorta fuerit quædam species experimentalis, ei consignastit, ac præbuisti arma, quibus te oppugnet, toties quoties vult. Ipse siquidem voluptatem, ac delectationem in illo loco habitam tibi reponet, ac quidem tempore tali, ut illi resistere non possis. Necessario affirmandum nostrum primum peccatum quadam vi non vulgatâ pollere, cum verissime de eo canat Juvenalis. *Quis nam hominum est, quemtu contentum videris uno flagitio?*

Hom. 4. in Epis. ad Eph.

L. 10. mor. C. 9.

Chron Min.

Iuven. Satyr. 13.

VIII. Ego

VIII. Ego experientiâ exiguâ sapui, id unicum verissimum existimo, quod paucissimi, imo vix ullus sit, qui à DEO per culpam mortalem se elongans, in illâ solâ quiescat; ut enim optimè dixit ille magnus Archimandrita Venetorum: *In unam malignitatis catenam confœderata sunt vitia*; Peccata opificio inferni instar catenæ sibi invicem illigata sunt, dum nos inconsiderate interim putamus committere unum, mille post nos trahimus.

Laur. Iust. de vi. sol. c. 4.

O nos felices, ac beatos, si id in bello spirituali ageremus, ad quod in corporali tantum allaboratur; Quæso vos parumper ad prælia Martis vos conferte, & videbitis, quid non connitatur acies peditatus, ut equitatum hostilem abigat, ne perrumpant, machinæ æneæ illam quantumvis disturbent, si actutum readunetur, & contishastis, gladiis muniatur, omnia sunt salva, donec unum equitem admittat. Porro unico per rimam ingresso, per eandem succedunt plures, ac ex prælio, & pugnâ faciunt macellum, facies proscindunt, brachia amputant, capita minuunt, exanimant, viscera eliquant, conculcant, pessundant, & hæc omnia proficiscuntur ab eo, quod uni solum locus datus sit.

Dic sodes, cur in arcibus tot aggeres, valla, pontes sublicitii, munimenta, propugnacula, fossæ circa portas? Non alium ob causam, nisi, quod primus hostium, qui eam intrat, in despectum fossarum, ac munitionum, totum exercitum introducat. Et in hac solum adnititur præsidiarius ne ullus obsidentium stationem occupet. Quid unus possit contra urbem totam? Audi. Dum plures agmine denso, ac gregatim urbem invadunt, nisi primus repellatur sed potius illi suppetias ferat secundus, ac huic tertius, ac ita alii omnes, is vires sumit, ac arcem occupat. Non absimiliter cum peccato agi me monet Nazianzenus dicens; *Nam malo semper aliud crescit in pugnam comes.*

In traged. Christi pa.

Hinc vociferor, me torqueo, ut vobis demonstrem, quanti sit momenti in via peccati non incipere. Vobis, vobis, qui me non capitis clamabat Vates dicens. *Veh, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.*

Isa. 5. v. 1[illegible]

Chaldæus vertit *veh vobis miseris*, qui funibus debilissimis statim grossissimos, qui in curribus adhiberi solent, substituitis. Verum enim vero, sit benedicta providentia Divina, quæ ansam mihi præbet nodum tangendi, qui in hoc discursu magis premit. Nempe, quod esto dum ordimur malam vitam, non tollerentur offendicula, quibus sublatis nos fragiles in via adeo lubricâ sine dubio in præcipitium rueremus. Nihilosecius, hoc nos supra modum terre facere debeat, quod sancti, ac experientia docet, nimrum exiguum malum in principio, decursu suo facere progressum magnum.

IX. Tu quæso id edicas, an peccatum in initio leve, eousque possit procedere. Ego ut dicam, quod res est, assero veniale, ad decem millia mortalia disponere. *Quid est hoc, & quid est illud?* Veniale inquit sanctus Dorotheus nihil est. Væ interim tibi, si ab illo incipias, quia *Datur initium, ut magna,*

S. Dor. [illegible]

magna, & graviora contemnamus. Quid refert num fax, vel scintilla ædes tuas in cineres redigat? Sufficit incendio ædes haustas. Padus, qui tot locos affluit in principio est quidam rivulus, *Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo.* Talis est cursus iniquitatũ nostrarum, *Ex parvis maxima fiunt inquit* Chrysostomus, *Res nullius momenti magnorum malorum causa efficitur*, addit S. Ephrem. Concludit Pelusiota. Res est certa, *quod maxima peccata ex minoribus, & Levioribus ortum trahant.* An non videtis inquit Richardus, quomodo virtus nostra semper declinet in vitium? Eo ipso quo ordimur opera bona, jam propendemus in mala, quis ergo dubitet, quin faciendo mala in peius non eamus? Hinc idem loquens de statua Nabuchodonosor ait, *statua, quæ ex auro incipit. In testam desinit, qui opus suum inchoant ex auro tandem consummant in luto.* Plantet aliquis inquit Nazianzenus in suo solo *tenuem radicem criminis*, & videbit, quod statim ramos diffundet, *nam pravo tempore hinc, atque hinc ramos obscura solet diffundere radix.* Interroget non nemo ab illo iuvene, qui iactat se habere castum cor, cum interim intuitu illius, vel illius se oblectet, ego unicum punctum meditationis ex glossa illi præscribam. Sic illa inquit: *Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, consuetudo consuetudinem necessitas necessitatem desperatio, desperationem dmanatio.*

Hom. 81. in Matt. To. 2. in doctr. de perf.

l. 3. ep. 155.

l. 1 de orat. hominis.

Glossa in l. Iob.

X. An hanc veritatem Auditores mei capitis, vel vultis ut ostendam, quomodo experientia illi concinat? Nollem vobis adulari. Quid non mali in orbe causavit Lutherus? Prodromus Antichristi cum Arrio non fuit contentus, quod Christi dilaceraret vestem, sed & adnisus est, eum ex vere pelle, Auctoritatem demendo scripturis, Theologiæ scientiam, Germaniæ pacem, Consiliis potestatem, Pontificibus claves, sacerdotibus potestatem absolvendi, sacramentis efficaciam, sacrificiis hostiam, sanctis cultum. Pater infelix tot abortivorum monstrorum. Ubiquetariorum, Antimitariorum, Sacramentariorum, Infernalium, Sepulchralium, Invisibilium, Antinomorum, Energicorum, Vnctorum, Illyricorum, Hessusianorum, Richerianorum, Campanistarum, Biblistarum, Metamorphistarum, Antiosindrianorum, Semosiandrianorum, Boquinianorum, Melchioritarum, Laicocæpharorum, Iscariotitarum, Neutralium, Dæmoniacorum, Antidæmoniacorum, Sabbatariorum, Scripturialium, Ollariorum, Amstediorum, Nudipedum, Memmonitarum, Condormientium. Eiulantium, Justificatoriorum, Adiophoristarum, Interimistarum, Deistarum, Clanculariorum, Manifestariorum, Bacalariorum, ut alios centenos omittam. Ergone unicus homo tantam edidit stragem? Sed quomodo ad tantam malitiam pervenit?

Apud Iacob. Gualt.

Dicet forsan Gontinus, eum à proprio Horoscopo in ea scelera delatum. Qui quia *Martem admixtum habet, & caudam, soluitur in seipso, infinitaque reddit capita.* Alius hoc temporis fato attribuat, inquo ut observat. Iovius quasi per totum mundum religio mutationem subiit, In Africa, Asia,

America, Europa. Cochleus, cui forsan concinet Erasmus causam in Dæmonem derivabit, qui in ejus conceptu non parum concurrit. Verum his missis, ego veram causam adducam: In via iniquitatis non sibi cavit ab inceptione. Quid putatis? An non egregiis naturæ dotibus instructus fuit? Germaniæ, sibique non fuisse melius stetisset. Ingenio pollebat vivo, memoriâ fæcundâ, eloquentiâ melleâ, sacræ se Religioni devoverat, sed injuriam ulcisci cœpit ei nullatenus illatam. Scripto indulgentias in dubium trahebat, quas alii eo neglecto publicarant, facultatem eas elargiendi Pontifici negabat, & hic se constiturum credebat. Apostata stolide, utinam ego fuissem propheta, & potuissem ad latus tuum hærere, dū calamum arriperes, sane in mentē tibi revocassem illud Philosophi *Modica transgressio à veritate discedentibus fit longe decies millies maior.*

Tu dicis defensione istius hæresis, solum à te injurias tibi illatas vindicari, & ego replico. te nescire quid sit incipere. Post hanc Hæresin evomes alias septuaginta octo pejores, quam unquam infernus videt. Afferes cum Simone Mago in hominibus non dari liberum arbitrium, cum Donatistis, peccatores non esse membra Ecclesiæ, cum Gebusianis mulieres esse capaces ordinis, cum Arrianis solam fidem sine operibus valere ad salutem, cum Petro Abaillardo fato regi mundum, cum Ioviniano jejunium non esse meritorium, Religiosis, & Virginibus à DEO præferri coniugatas, cum Vigilantio, sanctos non invocandos, cum Manichæis undâ baptismali non ablui animas. Armenis, matrimonium non esse Sacramentum, ut alios errores sileam, quos à Judæis, Alcorano, & Moscheis Mahumetanis hausisti, veluti, quod omnia opera sint peccata, nullam esse obedientiam præstandam principibus, fratrem posse nubere, sorori, uxorem bene doratam posse repudiare maritum pauperem. *Ecce quantus ignis, quam magnam Sylvam incendit.*

Ex eodem. l. 1. c. 16.

Iac. C. 3. n.

XI. Incipite, incipite iam Auditores. Invenio quod sanctus Petrus *cœpit flere*, nec unquam finierit, quod Christus *cœpit pavere, tædere, & mæstus esse* quod & produxit usque ad mortem. Progessus, quos ego in Luthero recensui, an non diu ante in Caino, & Iudâ numeravit Chrysostomus? Sanctus Augustinus similiter narrat, quod Manichæus, qui molestatus à muscis, cœpit negare eas esse conditas à DEO, dein & idem extenderit ad Apes, Lacertas, Locustas, Serpentes, aves, & ipsum hominem. Addo eum, qui cum apud Dorotheum unicum Macharium, se perfectiorem iactabat, eo processit, ut diceret. *Quis Macharius? Nullus est præter Basilium, & Gregorium.* Nec hic stitit, sed addidit. *Nihil habendum in pretio præter Trinitatem*, imo ad culmen iniquitatis scandens. *Statim in DEVM quoque factus insolentior exarsit, intumuit.*

Matt. 26. v. 35. Marci 14. v. 33. Hom. 81. in Matt. Aug. tr. 1 in Ion. S. Dor. doct. 2.

Vos mihi dicetis hunc fuisse stultum, nec ego id nego, sed his stultis plenus est mundus. Pandamus vela prope syrtes, & scopulos, tamque stulti simus, ut eos effugere nos credamus,

consi-

quando volumus, vel quod furiis consignati ventorum duobus remis celocem ad littus propellendam putemus. Quot sunt, qui non inciperent offendere Deum, si scirent, quousque processuri essent? Scio hunc, vel illum viarum grassatorem nunquam talem vitam animo concepisse. Aliud non intendit, quam rivalem illum e medio tollore, ac dein quiescere, incepit, sed non aliter, nisi ut finiret in furca, à justitia proscriptus vitam rapinis sustentare coactus est, & ne proderetur, ad homicidia transivit, & hisce actibus progreditur. Ego id expertus sum, ac dixit Seneca, & ita hoc est verum, ac si Evangelium foret. *Vna salus rebus est occurrere ad primos rerum impetus.* Quod si aliter sentimus, erramus. Hactenus de inceptione, nunc de progressione.

[l]ib. 6. de [ir]. C. 31.

PARS SECUNDA.

XII. Utinam, utinam omnes Adolescentes Christianos, hic præsentes haberem! Nec enim credo argumentum iis utilius posse tractari. Quamdiu non incipiunt, quam sunt boni morigeri, dociles, ac verecundi. Sed si semel habenas laxent, quis est, qui eos coerceat. Vt emittatur professio in Religione peccati, nullus exigitur novitiatus. In primo ingressu omnes pravas qualitates attrahimus. Filioli cavete vobis, ac videte cui viæ vos committatis. Habetis regulam in grammattica, quæ sic incipit. *Cœpi soleo.* Circa hanc vobis salutare monitum instillare volo. Sciatis post verbum *Cœpi*, sequi *soleo*, quodque fragilitas declinet in usum. Id circo Macharius: *Vnum quodque eorum, quæ fiunt à parvis incipitur initiis, atque ita dum particulatim nutritur, lentis incrementis augmentum consequitur.* Verum ad nos ipsos redeamus Auditores. Vos dicetis me operam, ac oleum lusisse, quodq; si aliquem fructum capere voluissem cum in via iniquitatis proficientes sint infiniti, & incipientes paucissimi, me potius eos deterrere, ne proficerent, quam hos ne inciperent debuisse. Hoc a vobis mihi replicandum sperabam, ac nunc explico. Sicut nos Christiani sæpius per confessionem peccatis valedicimus, ita non raró ad vomitum redeundo incipimus & hoc est, quod dixi non parvi esse momenti. Porro, cum simus homines, dato, quod incepimus, quid remedii? Nullum aliud, quam illud, quod dedit Deus fratricidæ Caino *peccasti, quiesce.* Sic enim habet aliqua versio. Hoc peccatum quod est primum sit ultimum. Sufficit, desiste a peccato. Sed quomodo hoc queat fieri, si via sit tam lubrica, uti descripsi? Audite. Viatores, qui brumosâ hieme Alpibus descendunt, quosdam baculos ferratos glaciei infigunt, iisque in quolibet declivio sistere se possunt. Ita & nos, ut cursum cœptum sistere, & coercere possimus, certos baculos, id est præcipuas nostræ fidei doctrinas habere debemus, nempe supra nos esse DEUM nostrum iudicem, infra nos infernum, mortem certam, salutem incertissimam, & similia.

Cap. de lege spiritum.

Gen. 4.

Alligare nos debemus pedibus crucifixi, & dicere. Esne tu ille Domine, *Qui positus est tanquam paxillus in loco fideli?* (*Isaia 22. v. 23.*) Huic Scipioni deinceps semper innitar. Iisdem obstaculis uti debemus, ut cursum cohibeamus, illo morbo, inimicitiâ, infortunio, ac instituendo confessionem novam dicere (*Ps 76. v. 26.*) cum David: *Ego dixi, nunc cœpi.*

XIII. Verum enim vero in hoc nodus consistit, ne de novo incipiam⁹, & hoc impensé curandum. Dœmon iuxta sanctum Hieronymum nihil aliud (*Hier. in Ps. 140.*) quærit quam *ut possit quomodocunque intrare.* An autem per postam, vel per fenestram ipsi perinde est, dummodo intret. Tu itaque rimas etiam minimas obfirmare debes. Quod si parva peccata non cures, aut æstimes actum est de te. *Hoc* inquit Chrysostomus: (*In explan. epist. ad Rom.*) *januas reseravit prædoni.* Ex hoc exiguo ad aliud maius transire possum, quod sufficit, esto illud non facias. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* (*Psal. 136. v. 9.*) Beatus, qui illi tentationi (*Ep 22 ad Eustoch.*) perfrictâ fronte resistit. *Zizania* inquit Hieronymus *ne crescant elidantur in semine.* Pygmæi infestati à gruibus, ut sese molestiis earum expedirent, nullum melius repererunt remedium, quam si in vere eorum nidos destruerent. Si boni manere velimus, Augustino pareamus: *Ne qua permittamus in* (*1. de salut. docum. c. 34.*) *nobis cogitationes pravas, quia qui minima spernit, paulatim defluit.* Non ne dicitis vos per clavum perdi soleam, per soleam equum, per equum ducem, per ducem exercitum, per exercitum regnum? Quæ nam est optima politia militis? Hostem quantum fieri potest, procul arcere; quantumvis enim statio illa exterior vallis, & aggeribus munitissima occupetur, arx tamen necdum expugnata est. Sunt tamen multi, qui iuxta Chrysostomum se exponunt rupibus præcipitiorum, adeoque esto non titubent, tamen perditi sunt. Dicite, an hic gestus, hi nutus, accepitatio hujus invitationis, non sit peccatum mortale? Ille, de quo paulo post, id vobis dicit. Nec hæc sunt scrupuli mei, sed verba Chrysostomi. *Orta ex immoderato risu paulisper scurrilias, à scurrilitate turpiloquium a turpiloquio operatio torpis profecta est; ita a minimis ad maxima gradatim diabolus ducit.* (*Chris. homil. 81. in Matt.*) Sanctus Augustinus hoc matri suæ (*L. confess. c. 8.*) summum tribuit encomuium, quod ancillis nimium potum aquæ dissuaderet ne, maritatæ postea in vino excederent. Qui non vult facere opera, caveat cogitationes, quæ sunt eorum semen; nam, qui eas in suo solo serit, videbit illicò eas germinare. Sit quantumvis quis sanctus, cum homo sit, ita cautus esse debet. Turris quantumvis sit munita, si pulvis nitricus ignem concipiat, non minus quam casa exigua in aera evolabit, nisi quod maiorem excitet strepitum. Audite an mentiar,

XIV. Sub annum nonum Imperatoris Iustiniani, degebat in Cilicia (*Ex vin in spec. l. c. 69.*) Theophilus quidem sacerdos, non minus doctrina, quam vitæ sanctimoniâ conspicuus, adeo ut mortuo Episcopo, ei deferrent infulam, quam cum animo obstinato detrectaret,


efflictim

efflictim eum rogarunt, saltem vicarii Generalis munus non abdicaret. Verum, ut virtuti comes est invidia, non nulli apud novum tam fædè eum depinxerunt Episcopum, ut munere illo Theophilum exuerit. Primo quidem hanc injuriam æquo animo sustulit, sed sensim animo voluit ejus atrocitatem. Cave miser, ac vide, quid agas. Ne timeas, nec in minimo ulciscentiam molior. DEUS me saluet. Verũ scias à capite ad manus non nisi tres palmos dari. Tuo damno scies, quid sit incipere. Permitte sanguinem accendi, & videbis, quænam aqua eum restinguere possit. Affectus in illa apprehensione excanduit, appetitusque vindictæ eum ad limen portavit, sed ad quod?

Attendite, nec tantum ei compatimini, quantum sciatis esse verum, quod qui in via inferni unicum solum voluit conficere passum, plures conficiat diætas. Hic sacerdos adiit quendam veneficum Hebræum, eique adgeniculatus dolorem suum aperuit, rogavitque diabolum compellaret, qui aliquod medium suggereret; Episcopum illum perdendi. Miser voti fit compos, diabolus se sistit, pro illa gratia homagium sibi præstari postulans. Jussus renuntiare JESU, & Mariæ, non solum lubens parvit, sed & abiurationem illam proprio cruore firmavit, ac sigillo communivit. Hanc subscriptionem diabolo tradidit, nec unquam recuperasset, nisi omnipotens intercessio Mariæ, ac austera pœnitentia alicuius sancti, sese inter posuisset. Qui non vult pergere ne incipiat, & qui incepit sistat. Hi qui hanc doctrinum contemnunt. *Non illi quidem*, sunt verba Augustini, *paulatim iam decidunt, sed magno lapsa præcipites eunt*.

L. 1. *de mor. Eccl. c.* 24.

DEUS vos melius hæc doceat, quam ego explicare potuerim. AMEN.



CONCIO XVI.

PRO DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ

De Sacramentali Confeſsione.

Erat IESVS eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11.

Incantatio, quâ incantantur humanæ miſeriæ, diabolicæ furiæ, Divinæ vindictæ.

Delr. l. 1. diſp. c. 3. & 4. 1. DIgnæ ſunt, quæ riſu excipiantur ſtoliditates Pythagoricorum, & Platonicorum qui propter energiam, quam finxerunt in numeris Arithmeticæ, & notis muſicæ, eo uſque proceſſerunt, ut fabulas Amphionis, & Orphei pro veritate ſuſceperint. Nec minus tolerari poſſunt errores Origenis, Agrippæ, Paracelſi, Plinii, Cabaliſtarum, qui in verbis veluti radiis, rerum quandam vitam ſtatuentes, à naturâ illa crediderunt diſpoſita, ac formata, ad quodlibet grande prodigium patrandum ita ut unicâ voce putarint cœlum poſſe ſiſti, elementa confundi, vivis animam tolli, mortuis vitam reſtitui. Idem l. 2. c. 9 Hi legerant Zoroaſtrem cantilenis ſuis velut ſcorpionibus uſum, ut ignem acciperet. Pythagoram ita cicuraſſe Aquilam, ut cum illa quotidie prolixos traxerit diſcurſus, Numam inter Romanos lautam ſtatim intuliſſe cenam, quam non paraverat. Raianum Bulgarum nunc formam cervi nunc lupi, aut alterius cujuſque animantis induiſſe. Erricum inter Gothos capillorum motu ventos commoviſſe. In Philoſtrato viderunt tot incantationes Thianei Appollonii apud Suidam tot faſcina Juliani Chaldæi, apud Olaum, Danorum, Finorum, apud Apuleium Reginæ Sagarum. *Quæ unico verbo amatorem mutavit in feram, cauponem deformavit in ranam, cauſidicum in arietem*; & apud Glicum Simonis magi, qui ſtatuas fecit ambulare, flammas ardere, nec conſumi, januas aperiebat, facies replicabat, per aërem volabat, exercitum repræſentabat. Nil hic dico de Circe, de qua Homerus, Eriſieto, de quo Lucanus, Carmeata, de qua Ovidius, de Canidia, de qua Horatius; cum enim hæc fiant virtute Dæmonis, attribuunt id efficaciæ quorundam malè articulatorum verborum. Nam volatus per aerem ſunt meræ præſtigiæ, per quas ex pacto tacito, vel expreſſo faber omnis mali, ſervitutem, quâ ipſi in execrandis delictis ſerviunt per prodigioſos effectus munerat. l. 1. de Aſi.

Enim vero, ſi hodie mihi (NN) aures præbeatis, vobis oſtendo verba in Labiis peccatoris contriti, ſacerdoti ad

adgeniculati, ac peccata confitentis, quæ veram virtutem incantandi habent. Et sane nunquam audistis præstigias efficaciores, nam hisce potestis placare omnes vestros hostes, conscientiam in suis remorsibus adeo sævam, diabolum in suis insultibus adeo obstinatum, DEUM in suis suppliciis adeo horrendum. Dum vobis proposuero cunctipotentiam verborum, quibus peccator sua peccata confitetur; scietis causam, cur Dæmon ita adlaboret, ut vos reddat elingues.

PARS PRIMA.

II. Nec ego sum primus, qui veram confessionem vocem incantationem; nam ita dudum ante me eam baptizavit Basilius, qui assignans causam, cur David psalmo trigesimo septimo præfixerit titulum hunc. *Doctrina confessionis in recordationem*, *dicit* eum illâ confessione usum, *pro quodam veluti incantamento ad animi sui medicinam.* Utinam, utinam, febri, vel alio morbo correpti ante omnia hanc incantationem adhiberetis, nec hoc potentius negligendo pharmacum, ad alia tanto conatu recurreretis. Hodie adhuc verũ est illud Chrysostomi. *Multâ arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi ipsi persuadeant sacerdotum curationibus se submittere oportere.* Gens, quæ optimè scit morbos, non raro à DEO ob graves culpas immitti, ægritudinesque à DEO adhiberi velut calcaria, ac stimulos ad confessionem exitantes, si infirmitate corripiatur, eique confessio suadeatur, jam de se actum conclamat. Hoc ita commune malum est, ut plures medici cum suo, ac aliorum gravissimo damno non insistant regulæ præscriptæ à Pio quinto, quâ vetantur non nisi certis vicibus visitare infirmum, si non prius confessionem instituerit, ita, ut hoc remedium, quod ante omnia deberet adhiberi, prius adhiberi curent, dum jam de infirmo conclamarunt, dum propinquorum gemitus, dilectæ conjugis vociferatio, liberorum clamor personat, ita ut accito confessario æger jam sæpe linguæ usu destitutus sit, ac defectione animi prostratus sine sensu, sine voce iaceat, ac ita non absolutus æternaliter damnetur.

in ps. 31. (margin, beside "timo præfixerit")

de sac. (margin, beside "stiani")

Verissimum est quippe illud Augustini: *Ista res est, quæ multos occidit; cum dicunt cras, cras, & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina qui non habuit gemitum columbinum* Animam resume Ambrosi ac virgâ armatus pulpitum ascende, Hodie Christiani non credunt, quod olim tam asseveranter scripsisti. *Confessio est pœnarum compendium.* Plures sunt, qui dũ eam peius, quam poenas formidanr, illam mediũ esse, quô pœnas evadant, ac mereantur, credunt. Multi tam firmiter à diabolo sibi persuasũ habent, quod bene confessi debeant mori, ut difficillime ad confessionẽ adigantur.

serm. 16. de verb. Dom. (margin)

III. Verum o rudes erratis, & male informati estis; si enim ita foret cur Christus toties infirmos curaturus cõfessione fuisset usus, *Remittuntur tibi peccata tua*, nisi quod sublatâ ægritudine animæ, quoque tollantur dolores corporis, qui ab illâ proficiscuntur? An potius aniculam quandam advocabitis, quæ quatuor superstitiosis signis malum incantet, quam confessionem,

Luc. 7. (margin)

quam,

quam, quia est vera incantatio malorum, ut Hesperum mortis formidatis? An nunquam legistis apud Thomam
L. 2. c. 10. p. 2.
Cantapratensem, quomodo ille nobilis Burgundus invaletudine fatali confectus, post pharmaca varia frustra adhibita, dum sacerdotis auribus peccata sua committeret, subito sanitati restitutus fuerit, virtute absolutionis septem Bufonibus deformibus in genis comparentibus, in putorem mox
L. 21. c. 109.
resolutis? Nunquam ne apud Belluacensem legistis, qualiter Ammon pater Eremitæ Samsonis è lecto se sanior quam unquam ante proripuerit, cum moribundus unum peccatum mortale confiteretur? An non Legistis a-
L. 3. mir. c. 13.
pud Cæsarium illi hæretico, cui jam ob pertinaciam brachium adustum erat, mox ut contritus confiteri incepit, restitutum fuerit? An non in moder-
Ex Ann. 1554.
nis historicis legistis, quomodo ille sceleratissimus Lusitanus ulceribus plenior, quã Iob, & Lararus in confessione optimum pharmacum reperivert?

Porro tibi, qui id non credis, dico cum Hildeberto. *Miserias hominis*
Hild. ep. 56.
intuere, peccati vectigalia sunt. Morbi, quibus conficeris nil aliud sunt, quam stipendia tuorum peccatorum. Quod si ergo malà confitendo, capitale tuum super peccatum fundatum perdas, certum est quod non poteris exspectare pensiones, quæ in pœnas reducuntur. Causa efficiens non quiescit nisi fine suo ottento.

DEUS, te tenebras conscientiæ examinare vult, & virus peccati per os in aurem sacerdotis evomi: Hunc in finem febri te lacessit, illa subito cessaret, si id exequereris, quod DEUS prætendit, cum illud Philosophi verissimum sit, quod *Acquisito fine cessat actio.* Cum ergo usque ad agoniam confessio differatur, parocismi, ac dolores continuantur usque ad extremam unctionem. O cara, & rara incantatio! Profecto ab iis, quibus summè necessaria es, rarò agnosceris. Plures sua insumunt in Syrupos, potiones, & pillulas, qui unico *Peccavi* possent sanari. Multi manent miseri, ideo solum, quod non obediant Christo clamanti. *Vade, & ostende te sacerdoti.* Ast ve- Matt. 8. v. 4.
ro pharmacum verborum, morbos, quæ membra affligunt curare non valet, confessio interioribus malis potissimum medetur, quippe pessimæ passiones confessione domantur. Id experientiâ probavit S. Malachias, qui referente sancto Bernardo quandam fæminam adeo bile accensam, ut nec Bern. in vita Malac.
proies eam possent suffetre, adeo per confessionem compescuit, ut irascibilis in illa anima non videretur restincta, sed mortua.

Scitisne, quam sit acer vermis conscientiæ in suis remorsibus? Id dicam. Non adeo exagitat rota Ixionis, Saxum Sisiphi non tantum defatigat, supplicium Belidis, non adeo cruciat. Iuxta Isidorum. *Nulla poena gravior est* L. 2. solil.
poenâ conscientiur. Hæc si credatis Tullio, nullam concedit quietem Oresti. Hæc referente Macrobio. Nunquam Satiat vulturem rodentem cor Titii. Tulli in
Hæc e sensu Stratii est excitator, nullum son. Lib
peccatoribus indulgens somnum Hæc in som. c
Luciano est carnifex continuo equu- Apud co
leo distendens. Secundũ Plutarchũ est in pent.
Teredo omne solatium corrodens. Pythagoræ est fomentum omnis timoris, Me-

ris, Menandro cornucopia omnis miſeriæ. Sufficit dicere, quod poſtquam hæc ſanguiſuga alligatur cordi alicuius, ita illud exſugat, ut vitam ipſam pænoſiorem morte reddat.

IV. De quodam milite memini me legiſſe, quod infancuto quodam obtruncato, ita à ſæva conſcientia carnifice tormentatus fuerit, ut quetem nullam capere valens, judicibus ſeſe ultro ſtiterit, facinuſque expoſuerit, rogando morte, ſe à tam crudeli carnifice liberarent. Porro hunc vermem, qui juxta Iſaiam nunquam moritur, quo poterimus nomine, vel verbo incantare? Confeſſione ſolâ.

Exeat nunc perfidus Calvinus, *dicatque confeſſionem eſſe crudelem Conſcientiarum carnificinam*; eum mendacii craſſi Arguit Beatus Laurentius Justinianus, à quo ſic vocatur. *Sinus pacatiſsimus, in quo hominum conſcientiæ religuntur.* [margin: disciplin. ... r.c.19.]

Nec credo ullum ex nobis eſſe, qui hoc non probaverit. Eſt non nemo, qui ſe ſcrupulis, ac dubiis magis involutum videt, quam Dædalus intricatus fuerit ſuo Labyrintho, hic timor inferni eum congelat, ibi DEUS eum flagellat, hic pudor eum exanimat, ibi confuſio tormentat. Aſſeres illud miſerum cor ſævâ tempeſtate exagitari, ventis variorum affectuum concuti, fluctibus variarum turbatarum cogitationum pulſari, ſed mox, ut confeſſionem abſoluit, omnia quieſcunt, nullum eſt amplius nubilum, quod inumbret, nullus ſcrupulus, qui terreat. Veriſſimum ſiquidem eſt illud Maximi. *Pœnitentiæ fructus eſt impaſsibilitas animæ.* Mox, ut quis abſolutus eſt, nulli ſe putat obnoxium damno, imo quolibet periculo ſe cenſet exemptum; tanta quippe Lætitiâ, ac ſolatio perfunditur.

Quod ſi non nemo ſit, qui illud arcanum incantandi ſua mala, neſciat, id rogo ex parte meâ ei dicatis, nempe obediat Senecæ. *Projice, quæcunque cor tuum laniant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis avellendum erat*; Ut anima rite componatur nil eſt melius confeſſione bonâ. Sed amabo ſiſtite, ſiquidem non eſt ſolus vermis conſcientiæ, quem ego vellem ſupprimi. Aſpides ſurdæ in inferno nidificantes, acrius nos infeſtant. Bona interim nova, ſi hæ aſpides ſint dæmones, nam in comperto eſt, in mundo non eſſe incantationem efficaciorem confeſſione, quâ ligentur. Prædicator quidam Cruciatæ celeberrimus, cum morte confligtans, dum Dæmonem, quem cominus aſtantem cernebat ſalutaſſet cum ſancto Martino: *Quid hic aſtas cruenta beſtia?* eumque adjuraſſet, ediceret quid Dæmones in mundo peſſime haberet, à DEO coactus Dæmon hic repoſuit. *Nihil eſt in Eccleſia, quod tantum nobis noceat, quod ſic virtutes eneruet, quam frequens confeſsio.* Idem Aſtioni monacho confitenti Cerberi princeps teſtatus hiſce eſt. *Confeſsio tua Aſtion magnas meas hodie contrivit vires.* [margins: Senec. ep. 5. — cæs. l. 11. c. 38 — Ex eius actis Daur.]

V. Auditores mei, an unquam experti eſtis, quomodo Dæmon à nullo nos magis opere retrahere ſtudeat, quam à confeſſione? Nobili illi per-

 mit-

mittit, ut Eleemosynas eroget, Ecclesias frequentet, tot opera pia exerceat, ast si in sequenti die confiteri proponat, è vestigio vesperi cuncta sese negotia obiiciant, omnes confusiones domesticæ prodeant, omnia obstacula sese ingerant, ut eum impediant. Talis experitur, Dæmonem nil peius, quam confessionem odisse.

Hanc rem probat exemplo Cæsarius; Dum siquidem pænitens Adelheidis interrogata fuisset à Dæmone, quo iret, respondit; *Vado confundere & te & me.* Ibat siquidem ad confessionem. Et quamvis post absolutionem Sacramentalem non semper videamus malignum spiritum visibiliter ex pænitente discedentem, aut in formâ lampadis fœtentis, ut prodivit ex ore monachi illius gulosi, aut in formâ ganeonis, & momi, uti exivit ex latere illius libidinosi, dico tamen in qualibet confessione integrâ, Dæmonem magno rubore, ac confusione suffundi. Quamdiu peccatis ligati sumus, possumus trahi velut jumenta, sed mox ut ligationibus soluti sumus, Dæmones ligati sunt, imo tristes fiunt, & annihilantur. Quantumvis oculos habeant lynceos, attamen si hoc sacrum fascinum iis inducatur, non possunt videre sicut ante, causa est, quod novæ creaturæ efficiamur. Sedquid dico? Nonne mendacii convincor? Minime, nam sacerdos ille impurus, ac adolescens ille in vascivus, ut tales à Diabolo agniti sunt post confessionem. Non absimiliter ille Hybernus, qui triginta annis manibus

Cæs.l.3.c.13

in speculo verbi.conf.

inustum gestavit signum, quo Diaboli servus declarabatur, per absolutionem deletis characteribus, à Diabolo non amplius agnitus fuit. Quod si sit aliquis inquit Chrysostomus, qui illos truculentos hostes metuat, ego validius, quam Achilles armatus fuerit, eos munire volo. Solum confiteatur, quia *pænitentia est adversus Diabolum armatura*, Imo *est loquendi libertas in conspectu DEI.* Ut enim edicam quod res est, non est solum incantatio Dæmonis insanissimi, sed & DEI justissime irati.

præf. in c. in Isai:

VI. Et ubi quæso Domine nostras scribis culpas? *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in ungue Adamantino.* Et ne hæc scriptura amittatur, *Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Quod si homo esses, scirem medium te placandi, ast cum totus sis Argus, si ego unum occludam oculum, tu aperis centum. Ne tamen animo cadam, tuus Cyrillus mihi dicit; *Confessionem inducere quandem amnestiam DEO*, hoc est oblivionem omnium præteritorum. Felix nuntium O peccatores, mox ut peccata vestra labris imponitis confitenda, in mente DEI illa obliteratis *Præcinite Domino in confessione.* Septuaginta Legunt; *Excantate Dominum in confessione.* Et hæc est incantatio *judicem flectens*, *& furorem eius sedans.* Bonus latro confitetur dicens, *nos quidem digna factis recipimus*, ac vice pœnæ accipit præmium. *Hodie mecum eris in Paradiso.* David confitetur dicens; *peccavi*, & tribus syllabis à se longissime vindictam DEI depulit, ita

Hier. c. 1 v. 1.
Iob. c. 14 v. 13.
Ca. in ... ulti. ... n. 33.
psal. 145 ...
Luca. ... 41. v. 4...

.Regum. 2.v.13. ita ut audiret Nathan; *Dominus transtulit peccatum tuum.* Quin imo Nissenus de filio prodigo sic testatur: .ib. de orat. Dom. *Etiam confessionis meditatio aditu facilem ei Patrem effecit; adeo ut etiam accurreret ad eum.*

Ita quidam alius Toleti anno 1504. videns gladium ferreum ori admotum, clamando volo confiteri, eum abegit.

Isor. conc. de conf. Et profecto valde obligamur DEO, quod nobis medium tam facile præbuerit, quo eum nobis conciliare possumus infensum, nobis inimicum exarmare, imo sano sensu ad pænitentiam reducere, cum nos percusserit. Magnum mehercule quid est, quod DEUS adeo suæ libertatis zelosus, impiissimo, pessimo, insolentissimo filiorum Adæ condonare cogatur rapinas, furta, mendacia, periuria, simonias, sacrilegia, neces, parricidia, falsa testimonia, fornicationes, stupra, adulteria, incestus, blasphemias, hæreses, Apostasias, ac quodcunque scelus dummodo id auri sacerdotis committat; & hoc non solum semel, *sed septuagesies septies.* Jam viden, quomodo se incantari sinat à confessione bonâ, ut subito placetur, ac festum diem agat etiam illâ horâ, quâ filium eius occidisti. Ho. 33. in Nu. Ita Origines: *Habet dies festos suos, per singulos qui convertuntur ad DEUM, festivitas oritur Domini*; quin imo confessio ipsi vestis festiva est. psal. 103. v. 1 *Confessionem, & decorem induisti.*

Videte num quisquam hic sit, qui libidine exhaustus, usuris dives, mille iniustitiis gravatus, omnibusque sceleribus coinquinatus, se à DEO totaliter derelictum conqueritur. Si quis sit, ego eum compello. O te miserum, O te infirmum, qui nullo modo agnoscis tuam medicinam! An non ergo scis, quod integrâ confessione possis sanari? Audi. Tuamet verba, te peccatis expedient, DEO brachia ligabunt, ita ut quantumvis centenis vicibus te abiecisset, jam te amplexaturus sit, teque basiaturus. Est severus, id non diffiteor, sed erga eum, qui nescit uti hac incantatione. Quamobrem putas eum è nuptiis ad tenebras relegatum, qui caruit veste nuptiali? Ob nihil aliud, nisi quod audiens scelus sibi obiici, illud non fuerit confessus. *Obmutuit.* Quod Matth. 22. v. 12. si confessus reatum agnovisset, ac veniam poposcisset, minæ in clementiam transyssent, ac DEUS propria veste detracta illum miserum vestiisset. Hic ego centenos non velim recensere, nec catalogum eorum texere, qui confitendo peccata, viderunt ea è libro DEI obliterata, ita ut evidens esset ipsis veritas, quam post Philonem adnotavit Tertullianus: *Non dantur characteres malitiæ, nec stigma delictorum.* De sanit. Abel. l. 4. contra mor. Nonnulla sunt Sacramenta, quæ imprimunt characterem indelibilem, non autem sic peccata, quæ tam perfecte delentur, ac si nunquam fuissent commissa. Audi, an non sit omnipotens incantatio confessionis, dum ipsi omni potenti dominatur.

Ex specul. Exempl.

Vade ad Bibliothecam, Speculumque exemplorum aperi, legeque, quod de quodam Adolescente ibidem non sine fundamento refertur. A parentibus hic missus erat Parisios, ut artibus liberalibus vacaret, sed magister pessimorum ibi effectus, nullus in verbis eo erat lascivior, conversatione effroenior, nugis, ac petulantiis addictior, in scholis nemini condiscipulorum non exosus, opificibus in officinis molestus, in Ecclesiis sacerdotibus invisus, verbo, omnis in solentiæ faber, & magister erat. Sæpius ejus germanus frater eum hortabatur, vitæ illi licentiosæ nuntium mitteret, sed semper surdo canebat. DEUS tandem loco fratris sese substituit, febrique malignâ lecto affixit, sub oculosque ejus positis tot facinoribus enormibus, quadam nocte sese ei in formâ patris æterni spectandum præbuit, sententiamque fatalem velut in eum, qui creaturis abusus fuerat fulminavit. In sequenti nocte sese illi obiecit velut filium sentibus redimitum, ac gravi trabeo-nustum, & postea quam eum rursus condemnasset; è latere sanguine sumpto eum respersit dicens: *Sume in confusionem pretiosum sanguinem, qui cæteris in redemptionem effusus est.*

Quid censetis Auditores de anima ejus factum? Nemo non eam damnatam asseret. Verum hic mea incantatio, tuam cunctipotentiam prode. Miser Adolescens, qui jam fermè desperabundus exspiraverat, monitis fratris stimulatus, sacerdotem accersiri rogavit, Lacrymisque copiosis peccata confitendo, dum attentii animo volueret, quis ipsum vitâ exturbaret, è vestigiò DEUS se tertio sub ejus conspectum dedit candidis amictum, sicuti Romani in victoriis vestiri solebant, columbam manu, oreque ramum gestans, & comiter, ac amice eum ad gloriam invitavit.

Demiratus fuit hanc subitaneam metamorphosin infirmus, ac pœnitentiâ tam brevi, poenas tam graves ut obliteratas, ac deletas dubitavit, consolator afflictorum sese rursus ei videndum præbuit, hæcque verba, quæ cordibus omnium pusillanimium hodie incisa vellem, ad eum dixit. *Forti animo esto, nec de salute vacilla.* Sed cur? *Validos habet pœnitentia vera lacertos; ipsa terri fica majestati violentiam infert, vincit invincibilem, mutat incommutabilem, placat irascentem.*

Ubi estis vos, qui adeo exhorrescitis confessionem, ut semel in anno ac quidem adacti, animum per eam expietis? Audite, quid spiritus veritatis dicat? Quem magis extimescatis, quam DEUM? Et en confessio: *Vincit invicibilem, mutat incommutabilem.* Et dum tam fortiter per eam humanas reparemus miserias, diabolicas elidamus insidias, diurnas propulsemus vindictas, an non meritó commendem illam velut omnipotentem incantationem? Proh ergo socordiã nostram haud ferendam.

IX. Poetæ fingunt Jasonem annosum fuisse à Medeâ iuventuti restitutum. Plures insuper commemorant historici, nonnullis post centesimum vitæ annum, renatos dentes, sanguinẽ revixisse, genas refloruisse, oculos restauratos. Quod si ego hoc mane ta è me habere antitodum dicerem, quam

quam efflictim, & instanter vos annosi hoc à me non efflagitaretis? Verum potentius vobis assignavi, quod animas vestras vigori iuvenili reddere potest; Quod magis æstimandum, quam renovatio corporis nemo negabit. Hoc non obstante nescio, an aliquis confessionem instituere decreverit. An non ergo non exiguo rubore suffundamini, dum vultis perire cum iis qui verba adnumero Tertulliani: *In partibus verecundioribus corporis contractâ vexatione pudoris magis memores, quam salutis conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt?* *de poen*

An ergo compello te cum Augustino, qui sub omnium oculos peccasti, peccatum uni committere verearis, qui forsan nequior te est, & sub pœnâ ignis illud tibi in os obiicere non audet? Clama, clama Bernarde: *O verecundia expers rationis, totius ignara honoris, & honestatis.* An ergo tam parum scimus illud Ambrosii: *Post mortem quoque resurgere munus beatorum est*, ac illud Augustini: *Melior est modica amaritudo in faucibus, quam æternus cruciatus in visceribus.* Aut illud Ephrem, & Basilii confessionem esse usuram, quæ dum culpas numerat, recuperat gratiam. O peccatores, qui tam procul à paradiso abitis, agedum, vel semel. *Introite portas ejus in confessione.* Bona confessio ianua cœli est. Oseæ Consilio insistite *Tollite vobiscum verba, & convertimini.* Confessio renovabit vos, incantabit Dæmonem, & quod præcipuum est, reducet vobis DEUM.

rn ep. 185. *ol. Dav.* *.. de 10.* *rd.* *99. v. 4.* *ra nesi..* *it. Baf.* *.. Osee* *v. 3.*

Pars secunda.

X. Quod si tanta sit virtus confessionis, non est multum satagendum, ut eam verbis suadeamus. Incantatio non fit quibus vis verbis, sed aliquibus certis, nec sufficit in confessione proferre simpliciter peccata, sed debent dici eo modo, quo præscripsit DEUS. Meo sensu plures Catholici damnantur, non tam, quia malè vivunt, sed quia non ritè confitentur. Ut ergo ad praxin veniamus, quomodo nobis instituenda confessio? Tempore necessitatis cuicunque confessario fieri potest, alias deligendus est talis, cui velut spirituali medico status animæ tuæ perspectus sit, nam si omnes probes, nullum invenies, qui te curabit. Quod si semel tua tantum peccata mihi committas. Quomodo sciam, an sis in peccatis inveteratus, an sæpius passus recidivam, an meam ad monitionem sis æquo animo admissurus. Circum foranei, & scrutarii equis insidentes curant, cum tamen juxta Senecam, *Bonus medicus, nunquam ægrotos in transitu curat.* Nam ante omnia debet scire morbos præteritos, humores prædominantes, morbi successus. *Epist. 50.*

Verum id paucis persuaderi potest, ut enim inquiebat Tertullianus, *Plerosque hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre.* Volumus à confessariis audiri, sed non cognosci, erubescimus cum iisdem peccatis ad eundem redire, quibus tamen Deum non veremur offendere. *Peccare* inquit Chrysostomus, *nos cogit fragilitas innata, & confiteri prohibet confusio cognata peccati.* Scitote hunc ruborem esse filium peccati, imo forsan matrem. Quid putas? An forsan, apud confessarium iacturam famæ patieris? *L. de pœnit.* *Ser. 34.*

patieris? Videat, quod nunquam bene sis confessus, quid inde? Te cætero certus sis, quod quo maiora ei commissurus sis, eo magis eum tibi devinciendum. Ut enim inquit Aristoteles secreti alicuius commissio maiorem benevolentiam conciliat. Et an miser sacerdos, qui toto mane aures peccatis præbet, nil aliud agat, quam ut tua solum mente revoluat? Ita ille sceleratus, qui enormissima sua facinora in tempestate quadam publicâ confessus fuerat, omnium digitis se notandum persuadebat, attamen cum ad portum appulisset, ex quingentis, qui ejus confessionem audierant, nec unus fuit, qui ullum peccatum veniale illius recitare potuisset. DEus quippe singulari gratiâ peccata confessa obliterat in mente sacerdotum.

2. Rhet. Cap. de Amore.

Eia ergo o peccator, veluti tuum vulnus non monstras cuivis chirurgo inquit Basilius, sed delectum melioris instituis, ita & faciendum in confessione sacramentali. Quod si sis potens, ne eligas eum, qui te timeat, aut aliquid à te prætendat. Ad face prælucendum principi ineptus est, cui manus præ reverentiâ imprudenti tremunt. Ludovicus XI. Galliarum Rex summi iudicii princeps, nil in aulâ magis necessarium censebat veritate, quam tamen sibi deesse conquerebatur. Sunt paucissimi Baptistæ, qui uni Herodi audeant dicere, *Non licet tibi.*

in Reg. br. int. 229.

Marci. 6. v. 18.

XI. Tria Aristoteles in bono consiliario exigit, *Vt sit prudens, probus, & benevolus.* Hæc ego similiter in bono confessario desidero, nam prudens non errabit, probus non decipiet, benevolus, ut tibi prosit, se incommodabit. Sed quando instituenda confessio? Cum eâ indigebimus. Hinc rideas eos, qui prætexentes nō esse obligationem nisi annuè confitendi, semel in anno confitentur. Id non nego. Verum an res æqua tibi videtur, ut toto anno vivas in statu disgratiæ, si ipso festo paschæ recidivam passus fueris? Legi parentem quendam post mortem filio sese spectandum præbuisse, ac dixisse, confessiones suas, spatio triginta duorum annorum factas fuisse nullas: *Quia non ex charitate, sed ex consuetudine quadam processit, in signum cujus confessionem tuam distulisti usque ad ultimam septimanam quadragesimæ, quando illam præ confusione differre ultra timuisti.* Vtinam, utinam potior pars harum victimarum paschalium ex amore DEI, & non respectu humano confiterentur. Nec dicas in fine vitæ à te confessionem exactam instituendam. Audi charissime consilium Sapientis. *Vivus & sanus confiteberis.* Et cur? Quia ut inquit Emissenus *Stultissimum est, ut causa, quâ de necessitatibus agitur æternis mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis.*

L. 2. Rhet. co. 1.

Ex speculo verbo conf.

Eccles. 1[7] v. 27.

Ho. de b[eato] Latr.

Sed de his alias, nunc solum dico: Dinumerari non posse, quantos hæc inanis spei umbra deceperit. Verum quidam est, quod Christus dicat. *Ecce ego hodie, & cras Dæmonia eiicio, & sanitates perficio.* Sed ne decipiaris, lege quod subnectit. *Et tertiâ die consumor.* Incantatio est omnipotens, sed debet fieri in tempore, quia iuxta Ecclesiasticum: *A mortuo quasi nihil perit confessio.* Sed quomodo debet fieri confessio? Tribus verbis id te docet Bernardus. *Confessio debet procedere à corde humili, simplici, & fideli;*

Idem 16

Luc. 13. v. 32.

Eccles. 1[7] v. 26.

Sed

Sed ego unico tibi id dicam. Habeas verum dolorem, nec est quod diu te torqueas varios libellos percurrendo, ut omnia dicas, verus dolor faciet, ut rite conscientiam examines, aptis verbis peccata narres, ac pænitentiam quamcunque acceptes. Dolor quod si defuerit, confessio esse bona nequit; nam Aristoteles dudū jam dixit, *Quem factorum suorum non pœnitet, is nunquam ad sanitatem revertitur.* En in hoc stat totū arcarum meæ incantationis, nam si non adsit verus dolor, ac propositū emendationis, confessio frustranea est.

Ethic. L. 1. C. 8.

XII. Dæmon quodam tempore, dum in hebdomadâ sacrâ peccatores maximos ex tribunali Sacramentali totos candidos redire vidisset, etiam peccata sua apud confessarium deposuit, sed quia verum non potuit concipere dolorem, mansit is, qui erat. Deus cæremonias non curat, sed exigit verum, & realem dolorem, Iuxta Nazianzenum: *Non facienda est purgatio, sed imprimenda.* Alias non pellet peccata, sed tantum teget.


Naz. orat. 10.

Nunc capio dictum Tertulliani: *Vbi emendatio nulla, ibi poenitentia vana.* Qui vere se dolet peccasse, is ea de futuro cavet, quia bona poenitentia, *Est disciplina conversationes iniungens misericordia illius.* Avertat Deus, ne illam imitemini fœminam, de qua Cæsarius recenset, quod vice peccatorum virtutes animi deposuerit, quia optarem, ut in similem confessarium incideretis. Monuit sacerdos, ut virtutibus omissis peccata ediceret, illâ vero replicante, quod nullum sibi peccatum occurreret, sic eam adorsus est. Quod nam agis vitæ genus? Ago institricem Ergone neminem defraudasti? Quoties cunque sese occasio præbet, furor quod possum. Sed quid hoc est? An cum marito convenis? Minimè, nec semel ei obedio. An cum vicinis nunquam es rixata? Ita ob capillitium fulmina miscemus. An non alicui detraxisti? Imo, eam dixi duos habere maritos, illum septem uxores. Audiamus Petrum Blesiensem. *Quod non punit homo punit DEVS.* Quia in confessionibus nos palpamus, DEUM vindicem magis provocabimus. Libenter ergo pœnitentias acceptate, & ut Deus vos doceat, quæ sit vera confessio mutans Leonem Iuda in Agnum, orate sæpe cum Esther, *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu Leonis, & transfer cor illius.* Nam tunc dicere poteritis, quod bene vivatis, quando sciveritis benè confiteri.

L. de pœnit. C. 9.

L. 3. C. 44.

Esther 40. v. 13.



CON-

CONCIO XVII.

PRO DIE LVNÆ DOMINICÆ TERTIÆ

Duxerunt ut præcipitarent eum; ipse autem transiens per medium illorum ibat. Lucæ cap. 4.

Privilegia bonæ Conscientiæ.

I. AN non ergo Altissimus sufficienter se depresserit, ut vos agatis de eo præcipitando? Itane Agnellus DEI lupis cinctus sit, ut non nisi saltu fatali fugere possit? Itane autori pacis illi bellum moveant, qui vel maximè eum debebant defendere. Tuo periculo commotus mi dulcissime Nazarene fermè me in lacrymas resolverem, nisi tremere præ timore mei deberem. Video me millenis præcipitiis expositum, ipsique hostes, qui mecum nati sunt, me dirius infestant. Tu quando dimicas non potes devinci, & ego dum vinco, periculis non subducor. Benedicta sit tua veritas, quæ tam insigniter nos docuit. De cætero quippè, quis credidisset, quod *inimici hominis domestici eius*? Quis crederet, quod affectus, qui in homine nidificarunt, sint, qui illum magis præcipitent, quod stulta illa ambitio, quæ eum vento replet, quod illud votum phroeneticum, eum rancore respergens, pruritus ille invidiæ eum lividum faciens, illa gula nunquam eum satians, illa curiositas superfluis speculationibus eum fatigans, illa perplexitas irresolutis eum resolutionibus molestans, illa avaritia millinas sordes ei dictans, illa luxuria eum in mille libidines pellens, eum perdant?

Michææ 3. v. 7.

Hi sunt inimici, qui cor oppugnant, ac militibus cingunt. Verum à quot aliis Creaturis in millena præcipitia non adducitur? In cœlo ei minitantur maligni aspectus Taurorum lacessentium, Leonum discerpentium, Scorpionum inficientium, Centaurorum jaculantium. In aëre perdimus serenitatem inter nubes, inter turbines quietem, inter fulmina securitatem, in mari fluctus molestant, tempestates consternant. In terrâ seminamus triticum, ac metimus urticas; colimus vites, ac vindemiamus fel. Inter Angelos timemus Dæmones, inter homines mille falsos amicos, calumniatores, fures. Sed quid? Ergone inter hæc arma animo non deficiam? Non certo. Omnes Sancti hodiè in auxilium meum veniunt, mihique præbent quoddam reliquiarium, quod si cordi appendero, non in fictum, sed verum Achillem mutatus, hostiles copias irridebo.

Chorrò

Porrò, hoc arcanum in bona conscientia consistit; nam hoc, secundum Chrysostomum, *adamante solidiores nos efficit, & omnino invictos.* Hæc sola est, quæ inter tot adversa, nos lætos efficere potest, inter insidias tutos, inter tot arma inexpugnabiles. Privilegium ejus hodie singularissimum videmus esse illud, quod cum animo intrepido cum Redemptore omnino illæsi possimus perrumpere cuneos hostiles, qui eum & nos præcipitare possunt.

Hom. 4. in Gen.

PARS PRIMA.

II. Non velim amplius consolationes stillatim bibere, verum in corde volo laticem vivum, è quo scaturiant non torrentes, sed flumina, non cisternæ, sed putei. Desidero insuper lætitias, quarum radicem in me habeam, ita, ut ad quemlibet ventum auræ contrariæ non possint evelli, siquidem scio cum illo Sapiente, summum bonum in securitate pacis internæ consistere: *Inæstimabile bonum, quies mentis in tuto collocata.* Habeas bonam conscientiam, inquit Chrysostomus, ac totum habebis, quod quæsivisti. *Deum timens voluptatis radicem lucratus es, & omnem habes lætitiæ fontem. Timor Domini,* inquit Ecclesiasticus, *corona exultationis.* Semper in gyrum volvitur, & nunquam desinit, sed ex uno ad aliud gaudium pergit. *Erit neomenia ex neomenia, Sabbathum ex Sabbatho.* Tu, qui semper habes aculeos in corde, cujusque mare continuis turbinibus agitatur, quid mihi dabis, si te doceam arcanum, quo Seneca in suo Lucilio serenitatem animi perennare volebat: *Nolo unquam tibi deesse lætitiam, & ideò volo illam tibi domi nasci.*

Seneca in vita beata.

Hom. 18 ad populum.

Eccl. 1. v. 11.

Isaia 66. v. 23.

Epist. 14.

Lætitia, quæ aliunde obvenit, semper tibi alienigena erit, & vix in te venit, quin abeat. Tu inquietem tuam adscribis sinistro successui illius negotii, morti illius amici, quia illam dignitatem non es adeptus, verùm falleris, Conscientia est unicus lectus, in quo quietè dormire potes. Hinc Bernardus: *Lectulus respersus floribus bona conscientia est.* Reliqua gaudia superficialia sunt, nec cutem penetrant. Id tibi probat is, qui hoc est expertus. *Cateræ hilaritates non implent pectus, & leves sunt, ideoque quolibet vento evanescunt.*

Serm. 47. in Cant.

Seneca ubi supra.

Quantumvis velis, fingas tibi fortunam arridentem, sis dives æquè, ac crassus, amatus instar Pompeji, authoritate verba tua polleant Ciceroniana, tot habeas amicos, quot Metellus, potentia tua æquet Xerxem, sanitas Herculem, si bonâ careas conscientiâ, reliqua nihil sunt. An forsan aliquid defuit Neroni, Caligulæ, Caracallæ ex iis, quæ cor humanum recreare possunt? Romæ toti orbi imperabant, palatia incolebant, quæ æmulabantur paradysos. In soliis velut Dii in altari adorabantur, quodlibet elementum eorum gulæ tributarium erat, non prodibant, quin populi acclamationes, eos ad stellas usque sublimarent, & tamen, quia bono Conscientiæ caruerunt, ex Historicis, quo mortis genere occubuerint, videbitis.

Omnes angores eorum corda depascebant, ac quantumvis vigiles, & excubitores ad januas augerent, non tamen angores abigere potuerunt. De Caracalla refert Xiphilinus, quod ejus

Xiphil. in Carac.

 frater

frater ab ipso occisus semper à latere hærens animo ejus obversatus fuerit. Neronem refert Tacitus, matre occisa nusquam quietem invenisse, unde nocte *sæpius pavore exurgens, & mentis inops lucem operiebatur, tanquam exitum allaturam.* De Caligula scribit Svetonius, quod nunquam somnum imperturbatum habuerit, ita, ut nec tribus horis continuis somno indulgere potuerit. Non credebat, quod mare mugitibus suis alteri, quam sibi loqueretur. Hinc nunquam diu in loco aliquo immotus hæsit, sed continuò per porticus sui palatii circumcursitabat, ac carnificem, quem animo gerebat, fugiebat. *Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

Lib. 14. Annal.

Iuven. sat. 13.

III. E contrario, si velis videre, quomodo bona conscientia hos hostes ignoret, oculos, inquit Gregorius, in paralyticum servulum subtus porticum sancti Clementis jacentem, conspice. An huic mundus, & fortuna infensior esse potuit? Mendicus nullas habebat opes, membris omnibus captus nesciebat, quid esset sanitas, in quadam traha cubabat in palvis, nunquam sedere, stare, in latus se vertere, manibus prehensare cibum potuit, & tamen bona conscientia, quæ omnia bona in se continet, nulli minimæ molestiæ aditum in ejus cor permisit. Primò eum reddidit luscinam, dein cygnum Paradysi, ita, ut tota Roma stupente, cantando vixerit, & mortuus sit, in confusionem eorum, qui intelligere nolunt, quod, sicut sola conscientia mala sufficiat ad felicissimos miseros reddendos, ita & bona quemcunque miserrimum felicem reddere queat. Audite miseri, & vecordes mortales; Sanctus Chrysostomus veritatem hujus propositionis juramento confirmat. *Si Dei timorem habemus, nihil opus est, si verò hunc non habemus, sumus omnium pauperrimi, etiamsi Reges.*

Hom. 69 ad pop.

IV. Econtra vos asseritis felicitatem, ac lætitiam veram in hoc consistere, quod condescendatis vestris pravis affectibus. Attamen, qui vos novit, scit, quod mentiamini; jubilos quippe nullos habetis, vester risus est fictus, & non verus, cantatis, saltatis, jocamini, sed hæc sunt larvæ externæ internæ synderesis. Hæc angores quidem tegunt, sed non curant; nam si vos ipsos intretis, reperietis, quod infernum vobiscum circumferatis. Audite Bernardum: *Infernus quidam, & carcer animæ, rea conscientia.* Primò vos accusat, dein condemnat, ac demum torquet, quippe juxta Augustinum, *hunc intrinsecus habentes, ubicunque fuis circumfertis; ista vos circuit, obturbat, laniat, flagellat.* Misera vestra corda, quæ his fluxibus, & refluxibus sunt subjecta! *Perturbantur magis, quam ullum pelagus.* Erubescentiæ, zelotipiæ, invidiæ, choleræ, suspiciones, despectus, malignitates, prætensiones ea exagitant, infestant, molestant, cruciant, præcipitant, incendunt, comburunt. Conscientia accusans est talentum plumbeum, ne in cogitationes excellentiores ascendamus, impediens. En Ambrosium Conscientiæ commissum tanquam plumbum inclinat, & premit. An unquam dixi, quæ non probavi? Videte, an non prava conscientia generosissimos animos dejiciat. Achab capite diadema, & manu sceptrum gestans præsente Elia nec oculos attol-

Serm. de Assumpt.

Ad Virg. Lapsam. cap. 3.

attollere præsumpsit. Nabuchodonosor consternatus, pedibus Danielis, cum adoraturus, adsternitur. Theodosium magnum totum perterrefactum Ambrosio adgeniculatum video. Coram Bernardo Gvilielmus Dux formidabilis, ac coram Gregorio VII. Henricus Imperator IV. nudi, ac saccis amicti submississimè veniam efflagitant. Et nunc capio illud dictum Menandri: *Etiamsi quis fuerit audacissimus, Conscientia facit timidissimum.*

Ex Anton. & aliis.

Ipsemet David antequam peccasset, leones, & ursos irrisit, verum conscientiâ cauteriatâ in timidum leporem migravit. Ille, qui paucis sibi adhærentibus gregarium agens militem, elidebat hostem sibi infensissimum Saul, ad solium, & regnum vastissimum evectus, legionibus tot veteranorum, & fidelium militum defensus, ad primam rebellionem Absolonis inconsiderati, prospiciens in terram, caputque operiens ambulabat.

Theodoret. in Ps. 118.

V. Profectò in ruborem concedo, si timores pravæ conscientiæ recensuero; nam vilior ipso infami Pesandro, in propriam umbram metuit impingere. Prandente Theodorico Italiæ Rege, mensæ inferebatur caput piscis, & illicò, dum Symmachus injustè ab eo capite minutus, animo obversaretur, ac si conspexisset Medusam obriguit, congelatoque sangvine ex timore occubuit. Constantius Græcorum Imperator, in somnio conspexerat germanum suum fratrem Theodosium, veste diaconali amictum, calicem sibi propinantem, his verbis: *Bibe frater*; ac ita consternatus fuit, Conscientia ei nimirum dictante, ad Diaconatum ab eo Theodosium coactum, & dein occisum, ut desperans se animo posse pellere imaginationes illas, absque mutatione loci, in Siciliam confugerit, ubi remorsibus Conscientiæ consumptus miserè vitam finivit.

Baron. ex variis.

Dudum dixit Sapiens, & nos quotidie id experimur: *Fugit impius nemine persequente, justus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Porro, ne nimis anxiè hujus interni cruciatus causam inquiratis, eam dicet Chrysostomus: *Mater formidinis est peccati Conscientia.* Hæc proprios oculos metuit, nemo loquitur, quin eum secretorum, & arcanorum conscium suspicetur. Econtra, ubi nullius mali est conscia, non curat, quis, an ab omnibus observetur, veluti ille, qui est eiusdem genii cum Julio Drusone Tribuno plebis. Huic dum sese Architectus offerret, qui incommoditatem palatii volebat tollere, cui subiacebat ob collocationem fenestrarum à domibus vicinis, exigeretque quinque talenta, Julius decem obtulit, si domum ita transparentem facere posset, ut nil in ea latere quiret.

Prov. 28. v. 1.

Chrys. in Ps.

Verum, utinam me intelligerent hodie illi, qui, dum tranquillitate non gaudent interna, eam operosè extra quærunt. Dixit Democritus, & post eum Tullius: *Summum bonum esse animum terrore liberum.* Qui nil habet in se, quod timeat, multum habet, de quo gaudeat. Hoc est privilegium bonæ conscientiæ, nec aliud reperietis, quod hominem reddat beatum. Hinc Ambrosius: *Vitam beatam efficiunt tranquillitas Conscientiæ, & securitas Innocentiæ.*

Ex Plutarcho Tullius lib 3 de fini.

Lib. 1. de offic. cap. 1.

VI. Inter omnes strepitus Micro-

crocosmi, in quo exilissima alteratio suas nubes condensat, turbines concitat, fulmina accendit, terræ motus excitat, sola bona conscientia supra nubes instar aquilæ summa pace gaudet. *Talis est*, inquit Seneca, *sapientis animus qualis mundi status super Lunam; semper illic serenum est.* Spes dimicat cum timore, amor cum odio, compassio cum crudelitate, Conscientia omnium arcus, & sagittas elidit. *Factus est in pace locus ejus, ibi confregit potentias arcuum.* Oppleant ergo os illi, qui dicunt vitâ sanctâ libertatem hominis minui. Periander gentilis id optimè intellexit, interrogatus quippe, *quid esset libertas?* subitò respondit: *Bona conscientia.* Nullus in mundo liberior est, quam is, qui nullo vitio est ligatus. Hic sui ipsius dominus tantum dici potest, qui nec dæmoni, nec sensibus servierit. Perversi malè informati dicant, Innocentiæ suos manere tantum fructus in altera vita; id enim falsum est; nam in hoc sæculo anticipato Paradyso gaudet. Disertè id affirmat Chrysostomus: *Qui Deum timet, beatum dices, non solum propter futura, sed etiam propter præsentia.*

Epist. 59.

Ps. 75. v 2.

Stobius serm. 24.

In psalm. 62.

Et revera lascivi, ex suis libidinibus, gulosi cibis, avari nummis, vindicativi ulciscentiis, ambitiosi dignitatibus non tantam oblectationem capiunt, quam bona conscientia ex vigiliis, jejuniis, ciliciis, quibus se dat. Vita longæva hoc dilucidè probare potest. Adsis, qui timore abbreviandi vitam non jejunas, te non mortificas, castè non vivis. Viden, ex omnibus, qui voluptatibus habenas, ac fræna laxarunt, vix quatuor vitam longam produxerunt, ubi in religionibus arctioribus tibi mille ostendere possum, qui sani, & robusti sexcentos annos transigerunt. Lego Paulum Eremitarum ducem, annos numerasse centum, & tredecim, Anthonium centum, & quinque, Pachomium centum, & octodecim, Arsenium, & Romualdum centum, & viginti, ut alios omittam, quos laudat Cassianus.

Collat. 11. cap. 4.

VII. Quando non patimur singultus illos cordis, quos ne David pateretur, Abigail illi suasit, marito suo inurbano parceret, Nestoreos possumus annos attingere: *Non erit hoc in singultum cordis domino meo.* Sanitas corporis infensiores non habet hostes, quam cruciatus animi. Veræ Parcæ, quæ nostra fila abrumpunt, non sunt Clotus, Lachesis, Atropos, sed luxuria, ambitio, ira, quæ millenas alterationes causant, quas dum unica sanat Conscientia, nos reddit incorruptibiles, & immortales.

Lib. 1. Reg. cap. 25. v.

Vos peccatores præ invidia insaniatis, Deus nil promisit justo, quod non servet. Loco seditionum, ob quas respublica vestrorum affectuum nullam patitur quietem, timor Dei, *delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.* Bona mens habet privilegia Ulyssis, ita ut conclusos habeat ventos, qui turbines possunt excitare. *Cumque*, inquit Mellifluus, *mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pareat, transeat, nunquam marcessit bona conscientia.* Hæc est herba Polegium, quam adeò prædicavit Homerus, omnes molestias animi pellens. *Hæc*, inquit Petrus Cellensis, *est scyphus Ioseph, in quo augurari, & inebriari solet animus.* *Hæc*, inquit Clemens Alexandrinus,

Eccl. 1. v.

Lib. de Conscient.

Plutarch. moral.

Lib. 7. stro.

drinus, *est Pascha continuum. Universa vita justi est quædam celebritas. Hanc habens*, inquit Hugo, *& sibi, & omnibus aliis est mitissimus, omnibus dulcis, & nulli gravis, utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam.* Nunc videtis, an non bona conscientia inter ferocissimas passiones, quæ animum perturbant, intrepida, & constans perseveret? Credite id dicenti, qui hoc probavit. *Hoc est gaudium continua sibi jucunditate, firmissimum gaudium, quod cum possederis nemo tollet à te, cui comparata omnis aliena jucunditas mœror est.* Qui vult in arce muniri contra omnia bella, tam interna, quam externa, credat Horatio gentili: *Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.* Et quidem certum est, quod conscientia bona hostes internos non metuat, si eâdem constantiâ possit ridere externos; Vellem videre, quis sit tam stupidus, ut totus ei non afficiatur. O nos miseros! Nonne est certissimum in mundo contraria dari? Attamen ipsa Elementa, quantumvis inter se discordia, in hoc solum concordantur, quod nobis, & nostris perenne bellum moveant. Ignis pingvis nostris damnis quotidiè se injurgitat, aer inconstans mille venena nostris respirationibus inspirat, aqua infidelis inundatione fluminum, & marium nos persequitur, avara terra messis detensione, ac terræ motibus, nos exagitat. Verum furiant, ut velint, *non contristabit justum, quicquid ei acciderit.*

[Hugo Victor lib. 3. de anima.]

[Bernard. Epist. 118.]

[Horat. Epist. 1.]

[Prov. 12. v. 21.]

VIII. Propter bonam conscientiam ignis semper moderatus est, aer serenus, aqua pacata, terra bene disposita. Porrò, hæc verissima sunt; ut enim inquit Tullius: *Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum.* Qui eam habet, commodas semper habet ædes. Ita Bernardus: *Bona conscientia est templum Salomonis, & ager benedictionis.* Imò, ut inquit Augustinus, optimè est associata: *Ipsa enim est thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum Spiritus sancti.* Non timeat mori præ fame, quia, *secura mens, quasi juge convivium.* Nec enim Lucullus, aut Apicius cibos melius conditos gustarunt, quam eos, quos mens bene conscia manducat. *Quis enim*, inquit Ambrosius, *fructus dulcior, quis cibus svavior, quam is, quem animus bene sibi conscii, & mens innocentis epulatur?* Mundus furiat, insaniat, nos torqueat, cruciet, nunquam eum ad incitas rediget, qui in minera cordis suos habet thesauros, nec inquietum eum reddet, qui exterioribus non indiget solatiis.

[Epist. fam. lib. 6. ad Torquat.]

[De interiori domo, c. 22.]

[Serm. 10. ad fratres in Erem.]

[Prov. 15. v. 15.]

[In psalm. 45.]

Verumenimvero, sola humana malignitas non lacessat conscientiam bonam; nam ab hac dicetis, eam non esse securam. Dæmones illa potest ridere, quia non audent tangere animum bene præparatum, ex timore, ne repetitis insultibus merita augeantur. Sunt homines, qui non sufficiunt, ut bellum sustineant, tamen adeò sunt prompti, ut illud inferant, ita ut incipiant pugnare, nec unquam desistant: *Cœlestis ira, quos premit miseros facit, humana nullos.*

Quot non sparguntur commenta, ut infametur incorrupta innocentia? Quot non media adhibentur, ut expugnetur? Quæ non machinæ struuntur, ut conquatiatur? Vivat interim Deus, ejusque providentia, in cujus

cuius officina armatura est tam exactè adaptata, ut hostes formidandos elidere queat. Hæc porro innocentia in suo curru triumphali, hæc insculpere potest, quod impii quamvis totus mundus foret in pace, nunquam sine
In ps. 142. bello sint. Ita Augustinus: *Bellum intestinum, & quod secum cohabitat, habentes.* Ubi econtra iusti perstrepentibus undique bellis pace fruuntur. Humana malitia in rabiem agatur, quid poterunt nocere humanæ malitiæ?

IX. Falsis instar Susannæ testibus traducatur velut pessima, per omnium ora portetur. Illa ridebit:
Ovid 4. Fastorum. *Conscia mens recti Famæ mendacia ridet.* Canes, quamvis allatrent Lunam, illa tamen, *peragit cursum surda Diana suum.* Contra glandes æneas malæ lingvæ, nulla alia lorica exigitur, quam bona
Lib. de moribus. conscientia. Hinc Seneca: *Superat Conscientia, quicquid mali finxerit lingva.* Umbræ murum album inumbrant, nec tamen maculant. Coaxent quantumvis ranæ, nequeunt tamen impedire, quin in vicino prato dulce melos lusciniæ audiatur. De Nazianzeno Episcopatu Constantinopolitano abdicato, quæ non scommata effuderunt æmuli? At ille in suo prædio studio impensus illorum discursus velut figmenta irridebat. Manichæus Secundinus multa imposuit Augustino,
Lib. cont. Secundin. quæ hic nauci habens scripsit: *Senti de Augustino quodlibet, sola me Conscientia non accuset.* Testimonium solius Conscientiæ ruborem incutere potest. Verissi-
Seneca lib. de moribus. mum quippe est, quod *falli namque sæpe poterit Fama, Conscientia nunquam.*

Quod si malignitas à verbis ad facta transeat, Judicesque, & Principes calumniis nimis faciles præbeant aures, si eatur ad carceres, tormenta, equuleos, catastas, furcas, gaude cum vides, inquit Bernardus, quomodo mens Lib. de C[on]scient.
bona semper eadem sit. *Nec contumeliam verborum metuit, nec damna rerum.* Fratricidæ filii Jacob quidem palluerunt, ut saccos in aula lustrari viderunt, solus tamen innocens Beniamin oculum non mutavit, quantumvis scypho Gen. 44.
in eius sacco invento, tremere ante omnes meritò deberet. Audite Theodoretum: *Omnes turbati sunt, præter Benjamin, unde ostensa est testimonii Conscientiæ potestas.* Timens Deum non est, quod alios timeat. Disertè id testatur sanctus Hilarion, qui à latronibus captus, & rogatus, num timeret, intrepidè respondit: *Nudus latrones non timet.* Cumque illi subiungerent: *At occidi potes.* Re- Ex ejus vi[ta]
spondit: *Possum, sed ideò latrones non timeo, quia mori paratus sum.*

X. An non hoc est insigne privilegium? Conscientia bona mille mortibus obsessa, & cincta, æquè semper tuta, & secura est, ita ut ei applaudat Bernardus: *Quid in terra quietius, &* De consid. Eugen.
securius bona conscientia, quæ & ipsa morte magis erigitur, quam deprimitur? Visitate in illa turri Papiensi Boetium incarceratum, virum maiorem, quam unquam consulatibus suis honoravit Roma, nobilitate, eruditione, sanctimonia Ex Baron. & aliis.
maximè conspicuum, ac videbitis eum totum tranquillum, ita ut & alios soletur, consolationesque per quatuor libros distendat. Ubi alii plangerent, ille

ille cantat versus, qui omnem dolorem incantare possent.

Invisas in arce Londinensi incomparabilem Thomam Morum, qui officium Cancellarii per quadraginta annos tam probè, & gnaviter administravit, ut patrimonium suum censu centum aureorum non auxerit. Scopus fuit factus, in quem collimarunt odia eorum, qui Veritati tantum defensorem invidebant; in carcere porro tam parum fuit coangustatum cor illius ab arctitudine loci, ut riserit proprias lacrymas, & in platea per quam ducebatur ad mortem, sanctas facetias spargeret.

Visita in illo castello Angliæ generosam Mariam Stuartam, Scotiæ, ac Angliæ Reginam, quæ post ærumnosissimos viginti annorum carceres ab impia cognata Elisabetha contra legem, & rationes morti adiudicata, ut sententiam sibi prælegi audivit, à sua innocenti conscientia tantum vigorem accepit, ut nec in minimo turbata cœnam instrui mandarit, sanitatemque servorum magis fidelium, quam felicium biberit, testamentum reviserit, pauculumque, quod restabat, distribuerit, sanctissimas scripserit litteras, calentissimam fuderit orationem, & in ipso theatro eius neci destinato, vultu serenissimo solata fuerit eos, qui eam plangebant, confuderit eos, qui ei compatiebantur.

Sandero aliis.

Causino vita.

XI. Videte, quo non solatio perfundat sanctum senem Hieronymum illa Virago Vercellensis, quæ dum à proprio marito adulterii commissi cum quodam adolescente, qui vi tormentorum in propriam, & alienam perniciem fassus erat, quod non debuerat, accusata, in equuleo distenta, ac torturæ subiecta fuisset, ab innocente sua conscientia animata, tam constanter cuncta tormenta sustinuit, ut septies icta, nec semel trepidarit, imò dum fortius iceret eam carnifex, ut caput ei revelleret, eum monuit, illum nummum levaret, qui casu in terram exciderat. Tam generosè se bona conscientia gladio opponit, quia *à dolore corporis spiritu separato, dum Conscientia bono fruitur, vetuit circa se sævire tormenta.* Jam dicite, an bona conscientia non habeat privilegium, quo omnes hostes tam constanter irridet? Mihi in aurem ingerit Bernardus: *Multi quærunt Scientiam, pauci verò Conscientiam.* Ergone, soboles Adam, illud, quod inter tot bella solum nos potest defendere, inter tot adversa consolari, inter tot pericula protegere, tam parvi ducat? Sed permittite, ut respirem, quia talis stultitia lateribus lassis non expugnatur.

Ep. 43. ad Innocent.

Lib. de interiori dono, cap. 21.

PARS SECUNDA.

XII. Ergone sit possibile, quod *multi quærant Scientiam, pauci verò Conscientiam?* Utinam ita non foret! Ut exiguum Scientiæ cumulum coacervemus, à primis annis sub ferula Magistrorum rigidorum adolescimus, cum pro conscientia bona conquirenda nec minimum incommodum subeamus. Audite Bernardum: *Si tanto studio quæreretur Conscientia, quanto quæritur Scientia, & citius apprehenderetur, &*

Ibid.

utilius retineretur. Eſt, qui de connubio cogitat, & integris menſibus ſe vexat, cujus ſit humoris ſponſa, num nummoſa, gratioſa, modeſta, dives; & meritò; nam error in electione commiſſus totâ vitâ deploratur; interim Conſcientia, à qua nunquam ſejungi poſſumus, non curatur. Quænam hujus eſt cauſa? Rem edicam. Exigua cognitio, quâ cognoſcimus, quantum bonum ſit Conſcientia, id facit. Deus illam reſervavit, tanquam ferculum delicatum, iis, qui eum timent. *Magna multitudo dulcedinis, ſed hanc abscondiſti timentibus te.*

Peccatores, quia eam non cognoſcunt, eam negligunt, ac ita Conſcientia vix ab homine æſtimatur. Proponit nonnemo varia ſubiecta Principi, unum dicit eſſe magnum Doctorem, alterum ſubtilem Politicum, tertium expertum militem. Omnia bene, ſed qualem habent conſcientiam? Ah eſt ſcrupuloſus. Conſcientia eſt ornamentum Sacerdotum, & Religioſorum. Religioſorum & Eccleſiaſticorum? Bonâ carens conſcientiâ nunquam Deo, vel hominibus fidus fuit. Eſtne bonus miles? ſed ſi non habeat bonam conſcientiam, cavete, ne ei arcem fidatis. Subtractione ſtipendii milites deſerere ſtationem, ac effugere coget, patriam mille exactionibus exſuget, & quamvis ſi non ſit avarus, arcem non ſit proditurus, tamen, quia deperit illā domicellam, ac eſt luxurioſus, illam tradet. Eſtne bonus politicus? Ne tamen eius conſiliis inſiſtas, ſi non habeat bonam conſcientiam. Malitia voluntatis excœcabit intellectum, & ut paſſionibus condeſcendat, nec minimum faciet ſibi ſcrupulum, ſi tuo commodo non conſulat. Eſtne bonus Juriſta? Verum ne in Senatum eum adleges ſi non habeat bonam conſcientiam. Vendet Juſtitiam ei, qui melius inunget manus, ac ut ſervet nocentes, crebrò damnabit innocuos.

XIII. Deus magiſtratibus intellectum Regis Theodorici donet, qui iudicans hominem Deo infidelem, non poſſe ſervare fidem Principibus, capite quendam minuit, qui lucri gratiâ abiurata fide orthodoxa Arrianiſmum amplexus erat. Dicebat quippe ſe velle hanc dare lectionem mundo, utilitatem Conſcientiæ, non perdi per ſpem incertæ fortunæ. O quot in Italia ſine capite eſſent, ſi omnes tales capite minuerentur! Multis conſultum eſt, quod Conſcientia non ſit Dea, qualem plures gentiles, teſte Theophilo Alexandrino, finxerunt; nam è veſtigio fulmina ſpiraret, ſi ſui contemptores vellet vindicare. Et revera iuxta leges politicas, deberemus eam eligere, cum ſine illa ad omnia inutiles ſimus. Verum plures ſunt, qui hunc monitorem ad cor habere nolunt, ſed velut equi indomiti recalcitrant contra eum, qui eos ſtimulat. Non ſuſtinent *Pædagogum hunc animæ*, ſecundum Epictetum, nec *Spiritum Correctorem*, ſecundum Origenem, nec ſciunt de iis tam diu non eſſe actum, quam diu Conſcientia ſuum munus exercet. Adoleſcens, Adoleſcens, vix peccaſti, & vides, quod verum ſit illud Satyrici: *Prima eſt hæc ultio, quod ſe judice nemo nocens abſolvitur.* Cave, ne bolum des huic Molos-

Cauſinus vita Boet.

Ex Buſæi arca mea verbo Conſcient.

Verſ. 4.

Molosso. Nec unquam extinguatur ille remorsus, qui nunquam tibi quietem concedit, quousque sis confessus. Hic optimus est effectus pessimæ causæ, ac ut talem eum in suo sacellano muneravit Henricus tertius Imperator. Sciebat eum in quinatum peccato lethali, occasione tamen festi solemnis eum rogavit, caneret Evangelium utpote voce suavi præditum. Constanter tamen obstitit, ne conscientiam magis læderet. Cumque omnis ei ingressus in aulam interdiceretur, nisi pareret poenam potius hanc sustinuit, quam in peccatum consentiret. Quæ res adeò Imperatori placuit, ut ei ad se vocato, primum Episcopatum vacaturum contulerit.

Vincent. l. 25. c. 18.

XIV. Id vobis dictum, *qui cauteriatam habetis conscientiam*, quod idem est iuxtà Theodoretum, ac *extremum mentis stuporem* Nec vobis palpum obtrudatis in quit Hieronymus tranquillitate quâ putatis vos gaudere. *Tranquillitas ista tempestas est.* Quem iste pulsus animæ non pulsaverit, signum certissimũ est vos esse mortuos. Quod cum mortuis loquar non est è re meâ. Loquar tecum ò peccator. Tam diu vives, quamdiu diu continua improsentis, peria quæ tibi à te, tam malè habita Conscientia obijcit. Et credis, ego quod temperare possim lacrymas dum tuum infelicissimũ statum considero? Genius tuus semper appetit vitã hilarem, nullis turbatam adversis, nec tamen scio, quâ quiete, & tranquillitate fruaris. Tui in paucis tibi satis faciunt. Mulier est lunatica, filii capito-si te torquent, ac magis torquebunt, servi sunt fures, amici satis infideles, census annuus quotidiè decrescit, debitores verbis soluunt, creditoribus, interim effectus requirentibus, bella non componuntur, negotia malè succedunt, morbis configeris, adversis enecaris. Tu putas, quod evades per tuam sensualitatem, sed edic; DEus te saluet, annon voluptate illâ momentaneâ elapsâ magis contristeris, & affligaris? Si velis confiteri, pudor te tormentat, si velis peccatum reticere, conscientia extremum bellum intimat ac ita dũ nemo tibi satisfacit, inter mille internas, & externas angustias martyr vivis Diaboli. Intelligisnè quid dicam? Errorem pelle si aliter judices. Quamdiu non habes cùm DEO pacem, conscientia te oppugnat. Ne putes lumen illud à te extinguendum, quod illas tuas internas maculas detegit. Nam ut dicit Tertullianus. *Potest hoc lumen obcurari, quia DEVS non est, extingui non potest, quia à DEO est.* DEus ita decrevit, ac ita debet esse, quod conscientia sit *ante peccatum frænum, ac post peccatum flagellum.* Quid potes opponere ò miser huic iusto zelo? An non habeam ansam deplorandi tuam extremam miseriam? Nec est fatum, quod te ad tantam infelicitatem necessitet, sed tua propria voluntas. An ergo nunquam tuum errorem emendabis? Ex hoc inferno vis salire in pejorem, qui tamen ex nunc posses, frui bello Paradiso. Vtinam crederes, quod *non est oblectamentum super gaudium cordis*, hodie namque vitam emendares, ac ad minus per

Ad Tim. 4. Theodoret ibid.

Epist ad Heliodor.

Seneca epist. 97.

Eccles. 30. v. 16.

Aa mensem

menſem probares, an non conſolationes, quas tibi deſcripſi ſint veræ, & non fictæ?

Verum, qui tu poſſis cognoſcere quid ſit conſcientia, qui talem nunquam habuiſti? Vix uſum rationis habuiſti, & ſtatim tua mala fortuna ſe alligavit pravis illis ſocietatibus, ac ab illo tempore vix per duos dies fuiſti in gratiâ DEI. Quando autem cũ aliquo dolore eas es confeſſus, an non expertus es, montem plumbeum tuis humeris ſublatum? Cur ergò tam parum curas continuare illam quietem animæ, in quâ audiviſti plures Gentiles ſummum bonum collocaſſe? Eſto non eſſet infernus, quem timeres, Paradyſus, quem ſperares, an non vita bona ſe ipsâ eſt præmium, dum exemptus es continuâ interiori rixâ, nec accuſaris, & condemnaris ante hoc domeſticum, & verum Tribunal, ut inquit Nazianzenus? Ergone tot annis nullum potuiſti invenire diem, quo tuam cauteriatam Conſcientiam pacares? Et cur ſunt Sacramenta, ac Confeſſarii? Hodie unum quære, qui te ex hoc intricatiſſimo labyrintho educat, ut poſſis dicere cum Paulo. *In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad DEUM, & ad homines ſemper.* Act. c.

AMEN.



CON-

CONCIO XVIII.

PRO FERIA TERTIA DOMINICÆ TERTIÆ

Si peccaverit in te frater tuus, Vade, & corripe eum. *Matt. c. 18.*

Accusantur omissiones velut causæ communissimæ malorum universi.

I. MUndus physicus agonizat, & ut vos Auditores scitis, febris est tam maligna, ut omni horâ redeat. S. Joannes, qui pulsum prehendit dicit. *Totus mundus in maligno positus est.* Cum sit totus carneus, nil habet spiritus, tales in eius caput evaporarunt spiritus, ut totus phrœneticus factus omnibus, exceptâ solâ ratione reguletur. Plenus est pravis humoribus, fel eiicit tot odia cor furit præ tot commodis propriis, hydropicus est per tumores, paraliticus per inquietudines, per immunditias leprosus, stupidus non amplius discurrit, furiosus nõ se amplius iuvat, obstinatus non se corrigit, sine manibus, nisi ad opera mala, sine pedibus ad negotia non prava, sine calore ad coquenda sola non cruda, sine viribus ad obtinendam salutem. Huic infirmo porro gravissimi non desunt sui medici, qui per integros dies consultantes de remediis, originem tot malorum necdum penetrarunt.

Ioann. 18.

Potior pars malũ adscribit inordinato vivendi modo, quo totâ die vivit ad bilẽ, & choerlam pronissimus effusissimus ad crapulas, dissolutissimus in lasciviis. Ego vero, qui illubentissimè aliorum censuro opiniones, hodie proposui examini vestrorum limatissimorum ingeniorum meam subiicere, quæ nõ tam adscribit durationem tam periculosorum Symptomatum excessibus illius, qui nullam servat diætam, quam defectui infirmarii, qui justo tempore medicinam non Præbet. Hodie porro mittamus allegorias; discursus quippe plenissimus veritatibus gratis, tam clarus esse debet, ut ab omnibus possit intelligi.

Mundus ad pessimos reductus est terminos, & omnes querelis lacessunt lasciuum, à quo scandalizantur, Crudelem à quo vulnerantur, avarum à quo expilantur, latronem à quo occiduntur, gulosum à quo consumuntur, temerariũ à quo inquietantur, verbo, sola peccata commissionis in pulpitis perstringuntur, nec de omissionis peccatis, quasi nil sint, altum est silentium. Enimvero audite processum, quem contra has negativas malitias formavi, & certus sum, quod dum videritis graviora peccata positiva esse filias omissionum tam nauci habitarum, concludetis damna esse maxima, quæ ab omissione hujus præcepti tam seriò inculcati: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum,* inferuntur.

Absit tamen, ne mihi mandatum à Deo putetis in omissiones Prælatorum, & principum stomachari, quia; *Evangelizare pauperibus misit me Dominus.* Prædicare munus est Angeli, illuminare Archangeli; Primæ sedes à me non judicentur. Nam non est laudabile liberè perstringere, ubi omnia verba quandam reverentiam exposcunt.

Luca.4.v.18

PARS PRIMA.

II. O quod sunt res, quæ dum instar Dæmonis latent, quo minus propriam formam exhibendo videantur, eo magis aliis nocumenta inferre sentiantur. Nescitur quid sit exigua exhalatio, quæ in subterraneâ speluncâ includitur, si tamen accendatur, ut libertati restituatur, totæ terræ febrem ingerit, eam commovet, valles complet, montes evertit, lacus exsiccat, absorbet populos, voragines aperit, Cineres evomit. Quid est magis insensibile, quam exiguus vapor venenosus, qui cor penetrat? Non est laqueus & tamen suffocat. Non est Alembicus, & tamen distillat. Non est fascinum, & tamen incantat. Non est carnifex, & tormentat. Non est cultellus, & scindit. Non est flamma, & consumit. In toto cœlo non reperitur influxus magis pestilentialis per secretam malignitatem, quam Saturni, & Martis, qui nati videntur, ut mortalibus sint nocivi. Frustra eos retibus Astrolabii Astrologi pisceris, ac invanum omnibus indiciis, quos in sua medicina habet Galenus, eos quæris. Ventis ipsis respirationem præcludunt, nullus est amplius Zephyrus qui auram commoveat, stellam, quæ noctem illustret, aves deficiunt in volatu, equi in curribus, in stabulis armenta, & homines carbonibus ignis incogniti onusti, dum fiunt esca ignis in cineres rediguntur, nec cessant quousque odiosâ fertilitate civitatibus exhaustis in tritissimis compitis & plateis herba germinet, ac dum vivi non possunt sepelire mortuos, omnia loca convertuntur in Cæmiteria, cum cadavera in quolibet loco jaceant insepulta.

Verum sciatis, quod hanc occultissimam malignitatem in omissionibus nostris detegam. Macula, & malitia commissionum, utpote juxta plures Theologos in positivo consistens, ab iis qui propriis passionibus excæcati sunt, videri potest. Difformitas furti, homicidii, incestus, sacrilegii, nulli non est nota, Non vero ita malitia omissionis; cum enim hæc sit negatio actus præcepti positivi, & debiti, à paucis agnoscitur, à paucissimis vitatur, & gravia damna quæ in mundo producit, à nullo sufficienter intelliguntur. Omissio confessionis, & communionis in Paschate, omissio auditionis sacri diebus festivis, jejunii in quadragesima, non solutio decimarum sunt omissiones, quæ huic, vel illi individuo sunt nocivæ, porro illæ, quæ universalius nocent, non agnoscuntur ab iis qui conscientias magis quam cœlum dilatant, majoribus, ac minus agnitis obligationibus non satisfaciunt.

III. Quod

III. Quod si in hac urbe domus lustrare vellem, paucissimas invenirem in quibus non obvios haberem patrem, ac matrem à propriis prolibus tormentatos, quæ dum in pueritia magnam prætulerunt spem, tales evaserunt, quales evasuros nunquam sperabatur, dum auroram serenissimam turbidissimus dies, & fertilissimum ver, molestissimus excipit autumnus. Bonus ille senex conqueritur se quendam educasse, qui spretis sanis consiliis, præceps in præcipitia ruit. Dolet alter filium ludis deditum clave effictâ expilare scriniola. Nullibi desunt filii prodigi, miseræque viduæ[in comperto habent, quod iis non sit] maior crux, quam illa quam sibi ipsis fabricarunt, hinc una integris lamentatur diebus, spretis admonitionibus filium insalutato hospite abiisse. Altera suum amore insano fascinatum, connubium iniisse infelicissimum. Tertia suum ob pronitatem in rixas omnibus esse invisum & molestum. Alia luget filium in enormissima scelera lapsum, à lictoribus ac satellitibus anxiè quæri; eum esse falsarium, latronem, monetarum falsarum cusorem, & ob centum alia crimina ad triremes, furias, ignes, rotas damnatum.

Sed unde quæso miseris familiis tot damna, & molestiæ? Nullus requiritur Oedipus, qui id divinet, sat liquet omissiones, quæ in educatione contigerunt, familias privatas, ac respublicas eas adducere in mille ruinas. Nunc ite & primos aspectus vestrarum prolium, cum oculos aperire, & gressus facere incipiunt, non corrigatis. Non corrigatis eos, dum aliquod Verbum minus decens proferunt, quin imo vice baculi osculum iis offeratis. Dum primo subsannant matribus, calcibus trudunt sorores, ancillas unguibus lacerant, virgâ eos non castigetis, sed habenas ac frœna velut equis indomitis laxate, cum ablegaveritis eos ad scholas, ne subinde à Magistris indagetis, quomodo se habeant, quomodo proficiant, ad quæ vitia sint proni, quæ loca frequentent, quibuscum conversentur, denique non invigiletis quando vadant cubitum, ubi sint, quid agant, omittite hæc, & si postea vos affligant, sintque in senectute baculi quibus vos excipiant, & non ut vos sustentent & revereantur, solas vestras omissiones, ex quibus hæ promissiones oriæ sunt, incusetis; (Omnia enim inquit Origines quæ deliquerint filii, à parentibus exquiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint.) *Lib. 1. in Iob.*

IV. Ab agro quem non coluistis non nisi vrticas & spinas expectare potestis, nec nunc illum colere potestis, quin urticæ vos adurant, & spinæ pungant, quia dum essent tenellæ illas non eradicastis. Et quam non doleo, tam paucos esse, qui quanti momenti sit hoc punctum capiant. Pythagorici educationem juventutis basim totius felicitatis publicæ vocarunt. *Stob. ser. 41.* Quid ergo miri, quod errores ab Architectis in jaciendis fundamentis commissi toti ædificio damnosi sint? Vitia juxta Senecam, etiam sine magistro addiscuntur. Virtus econtra *Lib. 3. Nat. q. c. vet.* diffi-

difficillima repertu exigit ductorem fidelem. Quod si parentes ad virtutem non manuducant, multis succedit id quod amare in seipso deplorabat S. Augustinus (Relaxabantur mihi ad ludendum habenæ ultra temperamentum severitatis; inde prodiit quasi ex adipe iniquitas mea.) O parentes ignavissimi! Apud quos, dicebat ille Philosophus, satius sit Arietem nasci, quam filium.

Conf. l. 2. c. 10.

Estne possibile dicit Chrysostomus, quod opibus corrogandis ita insudetis, & ita neglignitis filios quibus illas accumulatis? Audite monitum S. Leonis. (Difficillimum esse, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.) Si novellas arbores non flectatis, postea illas quidem rumpetis, sed non emendabitis. Cum omnia prima nos magis delectent juxta Aristotelem; Si permiseritis vestrum Beniaminum malis assuescere moribus, frustra eum postea corrigetis, quod si autem suo tempore vestræ satisfeceritis obligationi, natutam quamlibet malam, rectâ institutione corrigetis. Nec mirum, nam primæ non forent vices, quibus pueri male inclinatissimi in generosissimos Hæroes transformarentur. Metamorphoses hæ visæ sunt in Marco Torquato, Quinto Catulo, Lucio Valerio Flacco, in Quinto Fabio Maximo, in Othone, in Vespasiano, in Themistocle. Anne ergo patiemini verificari vos esse Simias, quæ Simiolas nimium basiando occidunt? An vos non perterrefaciat supplicium Heli, cujus conniventia tanquam maximum crimen punita fuit? An non timetis tragicos illos successus, quos vidit domi suæ, referente Augustino, Cyrillus civis Hipponensis, dum eius filius nimiis blanditiis delinitus, in belluam transmigravit, ita ut matrem oppresserit; Sororem violare voluerit, patrem occiderit, & duas sorores alias ad mortem vulnerarit? Mente frequenter obversetur, quod filii per pravam educationem pessimi effecti, nulli alteri quam vobis sua mala sint imposituti. Hoc testatur, ille, qui scalas furcæ adscendens exclamavit. *Non judex me suspendit, sed mater.* Prout narrat Jansenius. Alius etiam, ut refert S. Bernardinus, jam jam laqueo induendus, patrem accersiit, quasi in aurem arcani quid dicturus, qui cum adveniret, aurem ei dentibus præcidit, incusans eum struthionem fuisse; *Qui duratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Neglexerat enim correctionem tempore suo.

Hom. 9. ad Timot. *S. Leo ex mente Aris. l. 4. polit.* *In fin. l. 7. polit.* *Carol scrib. to 73.* *serm. 39 fra. in ere* *In prove 23.* *serm. 17. de evang* *Iob. 39.*

V. Auditores mei, si vobis consulitis, quæso vos ne ad damna producta à socordiâ, & omissionibus in aulis principum & nobilium circa ministrorum regimen transeam, quia audiretis talia, quæ in similibus conventibus tacentur. Quod si vivant, sicut loquuntur nonnulli Ephebi, Atrienses, Celeres, Cubicularii, profecto digni sunt famâ, quæ de iis spargitur. Nullum effutiunt jocum, qui non sit peccatum, interjectiones eorum communiter sunt perjuria, DEI non recordantur, nisi dum eum blasphemiis impetunt, de proximo non loquuntur, nisi dum eum contemnunt,

ac

ac traducunt. Nec hæc ab alio fonte dimanant, nisi quia paucissimi Dominorum ad eorum mores attendunt.

Dumodo proles non habeant piceatas manus, multorum non interest, num sint leves, num prostibula adeant, ecclesias negligant, Cruce se non signent. Quam pauci Elzearii sunt inter nobiles, qui familiam adoptivos reputant, de qua tamen rationem strictissimam sunt reddituri. Parvi pendunt, num intersint concionibus, confessiones frequentent, verbis, & conversatione modesti sint. Non pauci sunt, qui emerent par Chyrothecarum, nisi minima consutura eos angeret, prius examinant qualitatem pellis, & quis eas confecerit. Servorum vero, quorum possunt esse totalis ruina, nullam curam gerunt; quia sciunt in quo loco sunt nati, non inquirunt qualiter huc usque vixerint, & quamvis in verbis turpissimi sint, tamen æquo animo tolerantur. *Pestifera plane patientia*, inquit. S. Leo, *quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit.* Nec aliquis mihi id in os regerat, quod olim objectum Chrysostomo, Domi meæ non Monachos, sed servos alere debeo. Quia occurro; *Non est necesse ut fiant Monachi, fac eos Christianos.* Quod si Christiani non fuerint, tu rationem dabis Christo tanquam reus, qui ultimo cognoscis crimina maiora, quæ domi tuæ fiunt. nec intelligis, quod Paterfamilias, qui à sapientibus fuit compellatus: *Lucerna domus*; Quia non solum velut sol illustrare debet superiora domus, loca publica, & obvia; sed etiam velut lucerna angulos, caveas, locaque subterranea penetrare. Ast etenim totus mundus, qui intellexit me hoc assumpsisse argumentum efflagitat, nonnihil quasdam omissiones indagem, quæ bono publico nociviores sunt. Quinimo, ut melius, & accuratius informer per veros tubos opticos, damna varia, quæ consequuntur mihi monstrat. Vide quæso inquit, quam parum tutæ sint viæ publicæ. In mari tibi insidiantur Pyratæ, in terrâ tibi latrones insultant.

[margin: ...ist. 16.] [margin: ...m. 21. ad ...hes.]

Bonus ille princeps suo in munere sedulus est, & quodvis damnum subdito illatum suum reputat, integrum mundum ministrorum suis alit stipendiis, ut malis, ac vitiis omnino invigilet; & tamen nimis verũ esse experitur id, quod ad Eugenium scripsit S. Bernardus; *Officia bonos facilius recipiunt, quam faciunt, quare ad ea viros probatos oportet deligi, non probandos.* Quando ille officium acceptavit, millia se præstiturum juravit, nunc autem nec unũ observat. Nam scit equidem ubi sit nidus bannittorum, sed nec ullum ablegavit, ut is destruatur. *Quod cunctus populus clamitat, nescire se simulat.* Nostri canes eum non allatrant, à quo bolum panis accipiunt. Apparitores illi in illo diversorio laute tractati, jura violarunt, & reum in hac domo quærunt, quem jam ad alterum velut asylum ablegarunt. Fiscales elingues sunt, quasi haberent aggeres Demosthenis, qui nociviores sunt unctione auri, & argenti, ita ut *Nesciam, quis lupus illos prius vidit.* Unus Nobilis, qui sub suo imperio numerat cohortem rixantium, iis significavit, vitam tali concedant, utpote qui eis fuit à servitio.

[margin: lib. 4. de consid.] [margin: Hieron. l. 1. cont. Pelag.]

Ex

Ex quibus liquet, quod per omissiones, quibus jussa superiorum, principum, & magistratuum non adimplentur, tot damna, & oppressiones innocentum sequantur. Ac ut advertit Bernardus, Rei, & Malefactores crebro gloriantur. *Eos se obtinere tutores, quos magis ultores sentire debuerant.* *Epist. ad Innocent.*

VI. Vide quæso, quot neces committantur in plateis, ac privatis ædibus? Princeps, qui id intelligit quod dicebat S. Augustinus; *Remotâ justitiâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia, quia & ipsa latrocinia, quid sunt nisi parva regna?* Adhibet omnem operam, ut necis autorem deprehendat, ac puniat, quamvis præcipuus aulæ foret minister, Non enim patitur aulæ suæ aspergi notam, quam Seneca inussit Romanis; *Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.* Sed quid efficiet, si omissio unius ministri, ejus voluntatem irritet, dum ex respectu aliquo sibi nota non defert, milleque technis tegit ea, quæ deposuit? Idcirco privati vindicant injurias, quia à Judicibus justitiam obtinere desperant, nec enim unquam magis lites subditorum exarmatæ, & inermes sunt, quam ubi magistratus gladium justitiæ administrat. Hoc forte sibi volunt illa verba scripturæ. *Non est inventus ensis, & lancea in manu totius populi, excepto Saul, & Ionatha filio ejus.* *L. 2. de civit. c. 4.* *Sen. ep. 87.* *1. Reg. 13. v. 22.*

Princeps idcirco gladium portat, ut subditi in tutò positi inermes sint. Vinden, quot in vinculis per integros menses, & annos jaceant, absque eo quod eorum causa examinetur. Veruntamen directissimè sunt hæc contra intentionem principis, qui pœnas reis mitigare, & non innocentibus augere optat. Nescio tamen, an per incuriam lustrantium, aut quia miser Cliens non satis inungit manus ducatis, extremam patiatur caritatem verborum. Senatus non est informatus, & ideo nihil decrevit, Interimque miser ille subsidiis innocentiæ suæ debitis privatus, ærumnis conficitur, Pro libus non nisi patrimonium extremæ miseriæ, desperatæque consorti dotem afflictissimam suæ calamitatis relinquens. Insuper conspicio, quomodo contra expressam intentionem principis, cura pupillorum, & viduarum negligatur, quos tamen Divina providentia ante omnia principibus commendavit. Et revera non deplorare non possum omissiones illas, quibus non denuntiant illi, qui tenentur, qui videntur iurasse se nil nisi gratum propositturos. Similes sunt nebulonibus illis, de quibus Gregorius: *Humanam amittere gratiam formidantes loqui liberè recta pertimescunt.* *Lib. 2. C. 4.*

VII. Nunc quid dicitis de his omissionibus? Non sunt tam parum nocivæ, uti in principio putastis, bonum perdunt, & malum saluant. Quid pejus ab iis possit expectari? Summè lætor, quod bona vestra fortuna, ea longè à suis proscripserit partibus. Cum Ecclesiaste tamen eas inveni in mundo, & obligatum me sensi declarare, quid de iis iudicem. Interim summè desiderans cum Chrysostomo, ne quid corrigendum occurrat in hoc

Tom 3. in ... ista. Auditorio, dico totus contentus: *Vtinam contingat, ut remedia frustra sint parata à nobis, & verba nostra prorsus, in aere dicantur, & verba tantum sint.* Attamen nemo nostrum poterit negare, quin omne malum, quod reperitur in mundo, ab aliqua omissione proveniat. Xerxes integrum virorum diluvium absque causâ perdidit. Seneca culpam impingit omissionibus eorum, *qui consulunt non quæ optima, sed quæ suavissima.* Consiliarii, qui cum Philone possunt dicere. *Emori præstat, quam loqui ad gratiam, dissimulatâ veritate, & utilitate neglectâ.* Corvis albis rariores sunt. Lib de Io...b.

Troia in unâ conflagravit nocte, nec culpa alteri, quam Priami omissionibus assignata, qui effroenes adolescentes non coercuit, munera à Græcis missa non examinavit, propugnacula non munivit, tempore tam periculoso Hippochoreas non prohibuit. Navis undis maris hauritur, omissionibus Naucleri id tribuatur, qui in illum, & illum portum eam non subduxit, Illi Epibatæ culpa detur, qui vela non contraxit ad antennas, Nautæ, qui anchoram non jecit, socio Navali qui eam nimium saburrâ oneravit. Exercitus profligatur, interim solum accusari possunt omissiones illius Decurionis, qui stationes non lustravit, illius Centurionis, qui illum transitum uti debuit non munivit, illius excubitoris, qui non satis tempestivè hostem prodidit, illius Belli ducis, qui copias auxiliares non sat cito adduxit. Et ita videmus omissiones non minus, quam commissiones capite plecti. Excubitor dormiens baculo in fossam præcipitatur, in furcam agitur, qui hostem non prodidit, capite minuitur, qui succurrere neglexit.

VIII. Verum enimvero res deploranda, quod commissiones nocivæ tanti fiant, omissiones vero, quæ animabus obsunt, tam nauci æstimentur! O nos miseros sacerdotes, quorum omissionibus tot abusus, qui in ecclesia videntur, nec emendãtur, sancti Patres attribuunt! *Nonne vides*, inquit quidam verbis Senecæ, *quomodo omnes in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententiâ suadet, dissuadetque, sed adulandi certamen est, & unum officium, una contentio quis blandissimè fallat?* Lib. 6. de benef. c. 30.

An vos iudicatis tot, ac tantos, pellicibus, odiis, usuris assuetos se non emendaturos, si confessarius de eorum statu informatus non conniveret, sed instar experti medici vulneri fistulam, ferrum, vel ignem adhiberet? *Propter quid irritavit impius DEUM? Dixit enim in corde suo non requiret.* Psal. 9. v. 13. Pater meus spiritualis dicit quidam, est bonus Heli, ulterius non indagat, cum duobus, vel tribus miserere me in pace dimittit, nec in minimo commotus, Væ, Ezech. 13 inquit Ezechiel, *Qui consuunt pulvillos* v. 18. *sub omni cubitu manus, & faciunt cervicalia ad capiendas animas.* Væ iis, qui peccatoribus fatali lethargo sopitis, cucurbitas non adhibent, imo ut profundius dormiant cervicalia illis supponunt. Iam scitis quam nociva sit vestra omissio, Credo in vobis esse sanctos, & perfectos, ideo hortor cum Salustio. *Ne ignoscendo malis, bonos perditos eamus.* Salust. in Iug. Nos mundo valediximus, & plurib[9] annis DEO in religione servivimus.

mus, non tamen credamus nos salvandos si nostrâ socordiâ fratres pereant. Audite Tragicum. *Qui non vetat peccare cum possit, jubet.* Sed magis me perterret Agapitus; *Peccare, & non cohibere peccantes, par in gradu ponitur.* Et Arnobius; *Quisquis patitur peccantem, is vires subministrat audaciæ.* Et Ennodius; *Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit.* Ah quam multis pro Christo in tribunali sedentibus posset objici, quod Petrus Blesensis cuidam sacerdoti in os dixit: *Vobis imputant vos gladium Petri rubigo consumat.* Et sane nimis multi sunt, qui juxta Leonem: *Multam nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.*

Agap. n. 28. Lib. 4. cont. Gentes In vita Epiph.

S. Leo epist. 8, 6.

IX. Sed dic sodes, an meritò nos prædicatores adeo perstringamus omissiones aliorum, cum nostræ Christianæ reipublicæ sint nociviores? Putasne nos esse lucem mundi sicut nos Christus descripsit? Non sanè, alias tot tenebras in mundo non videremus. An sumus sal terræ? Minimè, Nam juxta Chrysostomum. *Opus salis est laxa quæque urere & restringere.* Nos illud impingi nobis nolumus, quod tantum rodamus, consumamus, stringamus. Anne sumus *æternitatis satores?* Sic nos vocavit S. Hilarius? Minimè, nam nil de æternitate serendâ cogitamus.

Hom. 15. in Matt.

Et an forsan hoc est exiguum inferre damnum ecclesiæ? Jeremias id dicet; *Pavor & horrenda facta sunt super terram, Prophetæ prophetabant iniqua, & sacerdotes plausum dederunt manibus suis, & plebs mea dilexit sic.* Dum populus ad concionem confluit tanquam reus peccata sua merito auditurus, concionator Rhetorem, non judicem egit. Ita Nazianzenus; *Non iam sacerdotes, sed Rhetores quærunt, sic eos erudivimus qui omnibus omnia efficimur.* Mox ut urbem quandam intramus, nil minus animo voluimus, quam in vitia ora laxare, quin potius reprehensionibus omissis, in panigyricos effundimur. Væ nobis, quia cum Hilario *Memini ab Ezechiele dictum reos sanguinis futuros, quorum adulanti silentio plures in interitum incidissent.* Misera ecclesia, ubi nunc, inquit Bernardus: *Qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phineem Heliam Idololatris, Elisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiatoribus Christum?* Gregem tuum lupi discerpunt, dum tui ministri sunt canes non valentes latrare, aures mulcent, nec corda compungunt. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa*, Nam scripturas explicant in sensu, quem nunquam spiritus sanctus cogitavit; *Neque aperiebant iniquitates tuas, ut te ad poenitentiam provocarent.* Paucissimi sunt Chrysostomi Vincentii, Bernardini cordibus flectendis studentes, qui malo tuo extremo medeantur.

Iere 5. v. 31.

Orat. ad. 150. Episc.

In psal. 1

Lib. 4. de Consi.

Iere. in Threnis. 2. v. 14.

Verum DEUS æterne! Et quid peius possint causare omissiones, quam quod per parentes filii, per Dominos servi, per principes subditi, per confessarios poenitentes, per prædicatores auditores perdantur? Non frustra tam acriter nos DEUS punit. Et quem non terreat casus Heli inquit Basilius; *Etiamsi vita ejus, nullum in crimen esset unquam vocata,* quod

Hom. de peccato

quod filios suos non asperius obiurgasset, tantum stomachum movit patientiæ divinæ: Magis inquit Pelusiota, me angit Jonathas princeps, alias vitæ tam innocentis, tam miserè in prælio occumbens, vis caussam? *Quia patrem Pythonissam quærentem minimè prohibuerat.* Cum ergo sancti adeo timent, ne aliqui per eos pereant, quomodo nostro ævo sint plurimi, qui occasiones in iis perdendis quærunt? An forsan hoc non videtis? *Ars*, inquit Gregorius, *est artium regimen animarum & ab imperitis suscipitur.* Interim tam insignem veritatem propositam, bonâ eleemosynâ solvite, eâque me animetis, ut pro bono vestro alias utilissimas proferam.

[I]. ep. 170. [I]. Cir. Alex.

[Pa]sto. 2. [..] c. 1.

PARS SECUNDA.

X. Aqua, aqua, siquidem plures animas nimium zelantes ardere video. O me miserum! Quot sunt, qui non diris devovebunt meam concionem, cum parentes, Domini, confessarii, prædicatores, ut has omissiones emendent, in mille indiscretiones sese effusuri sint, ob rem vilissimam sæviendo, furendo, exhæreditando, proscribendo, carcerando, flagellando, torquendo miseros subditos? Bilis nimia vitiosa est, multo tamen pejor irrationabilis cholera. Error a bile commissus potest corrigi, non vero error patratus à cholera. Igitur ad regulas, quas dederunt Patres his omissionibus emendandis attendere oportet, ne in commissiones adeo exorbitantes incidamus. Extra dubium est, quod correctio debeat fieri ab eo, qui habet iurisdictionem, & auctoritatem. Sic Paulus vetuit Timotheo ne faciliter senes increparet. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra eum, ut patrem.* Contra hoc delinquunt nonnulli, qui prætextu zeli, in omnia, quæ ipsos non concirnunt, linguam stringunt. Aliquid plus judicii exigitur, & zelus parumpet remittatur. Nec semper correctio etiam à superioribus est facienda, ut enim inquit Bernardus; *Censura nunquam remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit.*

Ad Tim. 1. c. 5. v. 1.

Nonnulli insupportabiles sunt, quia nullum supportant. Minima scrutantur, omnia oculo sinistro, & vultu torvo respicunt, anteacta sub oculos iis semper versantur, nova objiciunt, revera aliquibus cælis pares, qui omni horâ, vel tonant, vel fulminant. Siste, siste parumper dicebat Galba Pisoni. Sunt multi homines, velut certa animalia, *Quæ nec totam severitatem, nec totam libertatem pati possunt.* Nimiâ libertate nil proficiunt, nimio porro rigore perdunt. Et si quis peccaverit ignoranter, vel inadvertenter, si videat, quod dissimules eum lucratis. Hoc valde laudavit in Pio secundo Platina; de quo dicit: *Quos vel inscitiâ, vel ignaviâ deliquisse deprehendisset, paterna charitate admonere, potius quam severa obiurgatione corripere solebat.*

Epist. 24. ad Hugon.

Ex Corn. Tacit.

Plat. in Pio secund.

X. Quos animos velis tu dare tuo filio, vel subdito, qui continuus es in feritate, ita ut nesciant an sis homo? Si quæram quid sentiant, dicent pravam tuam naturam esse magis culpabilem, quam ipsorum errores. Nec correctio juxta S. Hilarium in omni

In psal. 14.

loco est facienda; *Ne sit admonitio contumelia, ne sit emendatio opprobrium, ne sit doctrina convitium.* Ita prudens Abigail ne convivium turbaret, Rusticanum Nabal non corripuit, sed correptionem in aptum tempus, & locum distulit. Nec debet eodem modo omnibus adhiberi, quia juxta Gregorium: *Sæpe aliis officiunt, quæ aliis prosunt.* Pharmacum, quod uni animali prodest, alteri fatale est. Insuper fides citharæ uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Baculus adhibendus Asinis, non generosis equis, *Nobilis*, inquit Seneca, *equus umbra virgæ egitur; ignavus nec calcaribus concitari potest.* Nec primum delictum eo rigore puniendum, quo sequentia. Nec enim medicus in morbi principio ad extrema confugit, scit enim paroxismum quantumvis sæviat, posse esse ephemeram, & non declinare in tertianam periculosam; *Adsit regula peccatis, quæ poenas irroget æquas, nec scutica dignum horribili terrere flagello.* Hinc Poeta; *Immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.* Igitur; *Cuncta prius tentanda*, & dein ad correctionem pergendum.

1. Reg. 25.

Lib. 3. post. in prolo.

In proverb.

Horat. ser. l. 1. sat. 3.

Nec mihi dicatis sanctos quandoque in delicta severissimè detonuisse; Nam esto agnoscam cum S. Cyrillo; *Virtutem sanctorum non esse sine aculeo*, attamen assero eos velut bonos Medicos nõ processisse ad sectiones, nisi prius alia tentassent. Gennadius Episcopus, uti refert Nicephorus sacerdotem habebat nullius frugi, quem cum corrigere, & emendare desperasset, zelosus Prælatus, quadam die ecclesiam, quam administrabat perversus ille sacerdos adiit, coramque exuviis Sancti Eleutherii prostratus, in hæc verba prorumpens oravit; *Sancte Martyr DEI Eleutheri, miles tuus incompositam agit vitam, quopropter aut ille tibi corrigendus est, aut tu ab Ecclesia reiiciendus.* Hæcque tam diu repetiit, donec misellus morte ictus caderet. Plura lenitatis media iam ante adhibuerat, quæ dum nil effecerunt, ad extrema progressus est.

Lib. 1. Metan. fab. S. Cyrill. Alexand. In Ioel.

XI Ultimo dico in Sanctuario virgam cum Mannâ asservatam, ut unius rigor, alterius dulcore temperaretur, & omnes Patres, qui agunt de correctione, supponunt charitate, & mansuetudine justitiam severam superari debere. Audite, quam insignia circa hanc rem proferant. Ignatius Martyr; *Morbi vim furiosam olei effusione mitiga* S. Leo. *Plus erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas.* S. Augustinus. *Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio.* Porro si necdum hoc scias, dico tibi cum eodem; *Correctio est medicinalis vindicta terribilis lenitas, & charitas severitatis.* Elephas prudentissimus animalium duo refertur habere corda, unum quo placetur, alterum quo irascatur. Nos, qui unicum habemus, illud dividamus, partem dando justæ indignationi, & partem benevolæ charitati reservando. Nonnulli porro sunt, qui tunc se optimè procedere credunt, quando per corre-

Epist. ad Tralc. ep. 8

Ser. 28 ver. dom

L. 3. cont Lite. Pet c. 4.

correctionem iis, quos corrigunt, placere student. Falleris, inquit Nyssenus; Nam *Aliorum moderator subditis ferè omnibus gravis, & molestus est.* Hinc charitas in id incumbat, ne ille qui corripitur exuat affectum, credens correctionem ex vindictâ, vel sinistro animo fieri, Superior itaque attendat, ut juxta Cassiodorum; *Videatur delicta non tam velle punire, quam tollere*; studeat ne delictum rursus patretur, nec ipse primus sit, qui illud committat. Correctio exigit teneritatem matris, & animum patris, dicit D. Gregorius: *Vt rectorem subditis, & Matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina.* Nec præcipitandum est in re tanti momenti, nam *mala cuncta ministrat impetus.*

e castig. — Lib. 1. ep. 30. — Past. p. 2. c. 11.

In curru DEI, ut observavit Beda, Leoni jungitur Bos, ut denotetur severitatem mansuetudine temperandam. Non ita faciliter delatoribus credendum, nam innocentia hunc meretur respectũ, ut satius sit crimen non satis probatum impunitum linquere, quam delatum punire cum periculo ne innocentia patiatur. Præterea sæpius deliberandum est, ne forsan propriâ passione excæceris, quæ res ultra meritum exaggerat. Hanc ob rem Seneca Jovi fuisse duas species fulminum asserebat, unam, quâ protegeret, & hanc consultatione non præmissa, alteram qua puniret, quam non nisi aliis Diis in senatum vocatis emittebat: *Quia Iovem prodesse etiam solum oportet; nocere non nisi tum pluribus visum est.*

in Lib. 1. Regum. c. 7. — Lib. 2. Nat. q. 143.

XII. Nec congruit in uno solo omnes imperfectiones objurgare, ne exanimatus se scopum putet, in quem omnes colliment. Ita probus ille Monachus emendaturus minus honestam compositionem, quam in communitate socius servabat, unum genu sedens alteri imponendo, Abbatem rogavit, ut sequenti die eodem situ se sedentem acri aceto fricaret, ut ita monere posset alterum in Abbatis actione. Quod si dicatis nimias à me vobis proponi cautelas, dico imbecillitatem plurium non pauciores exigere. An non videtis Augustinus inquit quod: *Propter fastidia plurimorum etiam ipsa sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sint?* Christus non vult suos piscatores piscari hamo, sed nassâ, & reti, quibus piscis non occiditur, sed servatur. Conceptus est Ambrosij: *Bene Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ captos non perimunt, sed reservant.* Quod si ideam perfectæ correctionis velitis, legite epistolam decimam septimam libri secundi, quæ est Ambrosi ad Theodosium, & in ea quæ dixi repenetis. Qui suam, ac alienas animas amat, ut propriæ conscientiæ satis faciat, mansuetudinem adhibeat. Correctio suaviter, sed efficaciter est facienda, qui aliter sentit audiat Gregorium: *Bonis subditis bene vivere ad salutem sufficit, Prælatis vero propria vita non sufficit.*

Lib. 4. de doct. Christ. c. 11. — L. 4. in Luc. — Gregor. de Heli loquens peccato.

CONCIO XIX.

PRO FERIA QVARTÆ DOMINICÆ TERTIÆ

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum? Matt.c. 15.

Judicat sine judicio, qui faciliter condemnat actiones alterius.

I. CErtum est, quod plusquam licentiâ poeticâ usus fuerit, qui dicacem Momum in numerum Deorum adlegavit. In alio quippe quolibet DEO aliquid Divini monstrare poterat. In Venere præstantem formam, in Marte brachium forte, in Pallade ingenium sublime. Hercules cælum pede calcavit, illudque humeris portavit, Ceres superbiebat frugibus, Bachus vino, prudentiâ regendi Jupiter, sed Momus natalibus obscurissimis ortus, filius noctis, & somni, omnibus aliis inferior, semper quod in aliis carperet reperiebat, ac velut verritor, & purgator cæli, omnium cogitatus, verba, opera censurabat, accusabat, & condemnabat. Revera mysterium, & officium censurandi homines nescirent, nisi id à DEO didicissent.

Omnes nascimur Aristarchi, & Zoili nasuti instar Rhinocerontis, & antequam judicio polleamus, judicamus. Quodlibet scamnum est nobis tribunal, omnis suspicio examen, ac veluti magistratus Tenedensis acutâ serrâ, omnem reum dissecare libenter volum⁹, qui nobis offertur, nec concesso tempore, ut se purget eum novaculæ subjicimus. Cujuslibet farinæ volumus furfures, ac ideo omnes cribramus. Ubi Romanorum Censorum officium non duravit nisi quinque annis, & postea tribus, & tandem sex mensibus, & quamvis etiam maximâ pollerent authoritate tamen illam non potuerunt exercere in vestales, Præfectos, Pontifices, Consules, nunc tamen in orbe dantur censores perpetui, qui officio non nisi cum vitâ defunguntur, ac ideo ante omnes, Religiosos, Magistratus, Pontifices, Principes traducunt. Vitium est hodie adeo commune, ut quamvis olim Abidenses taxati sint, quod nullum quantumvis innocentem per plateas transire permitterent, quin à capite ad calcem usque visitatum eum reum proclamarent, id tamen nunc de omnibus urbibus dici potest.

Imo, mecum omnes congressus probiorum deplorat Magnus Gregorius, sustinere non valens, Lepram hodiernorum Pharisæorum, tam altas in Christianis radices fixisse. Profecto res est stupenda, quod nos qui sumus fratres, nihilominus in templis, anticameris, foris, cubiculis, ita nos invicem censuremus. Si quis vitam eligat humilem depingitur hypocrita, si

erga Matronas humanus, & officiosus, de genere levi, si iniurias dissimulet animo imbelli, & puellari, si exhibeat se generosum, & erectum, vocatur superbus; si prudens sit, est nasutus, si simplicem se ex hibeat, est Asinus, & idiota, Maturitas habetur tetricitas. Eutrapelia, & humanitas dissolutio. Qui curam aliorum admittit præsumptuosus, qui eam refutat, parum charitativus. Verbo quilibet iuxta suam phantasiam omnia iudicat. Si jejunet traducitur ut singularis, si comedat, edax, & vorax. Si in pauperes profusus, venatur auram popularem, & meritum apud Deum. Nimis verum est illud Chrysostomi; *Ad condemnandos cæteros omne vitæ nostræ absumimus tempus. Et quod est pejus, ab hoc vitio, neque sæculi homines, neque Monachorum ullum facile invenies liberum.* Reperimus, qui non blasphement, peierent, furentur, adulterentur, at qui non censurent alios nemo datur. *Tanta enim*, inquit Ambrosius *bujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* Interim ego credam neminem ex vobis esse Auditores mei quem non angant ad latus hærentes tot fiscales, & censores, ego illos abigam, si succedat, quod proposui, nempe hoc vitium è cordibus hominum eradicare: Radices egit in nostrâ superbiâ, cum enim iudicium sit actus iurisdictionis libentissimè exercetur sub spe acquirendi nomen. Ego vero hanc larvam detraho, si probem, iudicia condemnantia actiones alterius esse sine iudicio.

De compunctione cordis Lib. 1.

Ep. ad Constantiam.

PARS PRIMA.

II. Adeste huc vos omnes, qui totis diebus in foro forfices conficitis, ac corium ex pelle huius, vel illius scinditis, hac vice sub malleo, & incude vos habeo. Qui omnibus nævos affricatis, hodie vestram vitam deturpatis, & posteaquam septem sententias uno flatu expuitis, traducendo illum principem, concilium, in illo concilio non esse homines, in illo homine non esse cerebrum, in illo cerebro esse mala principia, in tali principio esse multa incongrua, & devia, personas censuratis, & vos venditis tanquam Socrates, & Catones vestri ævi. Vos estis stulti, & inter stultos miserrimi, qui dum sola manticâ, & Bulgâ, seu sarcinâ vestrâ onusti iter agere possetis, alienas capiti imponitis. Ego ex corde risissem, si à latere Redemptoris mei hæsissem, quando ablegati in hodierno Evangelio suam expoluerunt legationem. Et vos ò mei Pharisæi, an non desipitis, dum studiis, ac curâ domesticâ missis itineri vos datis quinquaginta Leucarum, Tanti quippe distat Hierosolyma à Genezaret, Solum ut significetis nonnullos Piscatores parum urbanos mensæ accumbere illotis manibus? Stulti estis, qui ob rem, quæ nil ad vos, iter laboriosum quatuor, vel quinq; dierum agitis. Interim vobis denuntio stultos vobis similes plures adhuc dari. Ille posset vivere velut princeps si intra suâ sphærâ se continere posset, nec iudiciũ ageret in loca, in quæ nullã habet iurisdictionẽ; verum subitó tabescit, dum integris diebus se cruciat non dari amplius regimen, vicinũ in domo suâ nullã servare disciplinã, illũ Prælatũ non esse zelosum, illum Religiosum solitarium *Hominem malignum forsan esse tu credas? Ego esse miserum*

Mart. L. 5. epig. 19.

Quod te loces, & ponas tali loco, & ſtatu, ut nullus tibi placere queat, ſed in omnibus invenias, quod crimineris, & inſtar Scarabæi amarorem exſugas, cum inſtar Apis mel exſugere poſſis, malitia eſt maxima, quantumvis minimè nota, utpote communiſſima. Tibi loquor: *Qui in amicorum vitiis tam cernis acutum, quam Aquila, aut ſerpens Epidaurius.* Pauci in mundo ſunt beati, ſed tu non eris ex illis, quia; *Beati qui cuſtodiunt judicium.* Suſpendendo illud, nec decernendo hoc, vel illud non eſſe bene factum. Senſati juxta Bernardum ſunt, qui ſua judicia non proferunt, ſed in tempus ſuum reſervant, & ideo: *Excuſant intentionem ſi opus non poſſunt, putant ignorantiam, putant ſubreptionem, putant caſum.* Illi porro qui omnes cenſurant, & condemnant, cum contentionibus ſe miſceant, quæ eos non tangunt, ſunt ſtulti, qui ſe tales eſſe non credunt, & tamen ſunt.

Horat. ſer. Lib. 1. ſat. 3.

Pſ. 105. v. 3.

Serm. 4. in Cant.

III. Sed rogo vos ulterius pergamus, quia vobis clariſſimè probabo, quomodo is, qui omnia diudicat, minimo polleat iudicio. Quis in ſpeculativis indoctior eſt logico, qui Abecedarius inter ſummulas diſcit quid ſit nomen, verbum, prædicatum, ſubjectum? Et tamen ſe Magiſtrum maiorem ſententiarum facit, decidendo quæſtiones, quarum terminos non capit. Theologus interrogatus, pede plumbeo graditur, dubitat, diſtinguit, diſputat, non reſolvit, utpote apprimè ſciens quid ſcripſerit Angelicus, quæ oppoſuerit ſubtilis, quid replicaverit Duraudus, quid definiverint Concilia, ita ut paroemia vetus in ſcholis ſit: Omnia ſcit logicus, de aliquibus dubitat Phyſicus, omnia ignorat Metaphyſicus.

Tabulas Apellis, Parraſius, Protogenes, Xeuxes in arte illâ peritiſſimi rapti, & elingues admirabantur, obſtupeſcebant colorum vivacitatem, delineationem vivam effigiei ad exemplar, Symetriam, oculos tam ſcitè inumbratos, unus tamen Sutor calceos ſuere edoctus, primum Magiſtrum egit, mille errores in Calcei delineatione ſugillando.

Præterea in curru Muſarum, rota infima plus ſtridet. Inter litteratos infimi Grammatici cenſores ſunt maximi, ac critici. Legit libros Hieronymi Auguſtinus, & tale pronuntiavit effatum: *Nemo ſcivit, quod Hieronymus ignoravit*; Verum Eraſmus, Scaliger, Cauſabonus, Scioppius in iis cenſurarunt, quod non intellexerunt. In Calepino verſati cornua in cælum usque extollere præſumpſerunt, ſe faciendo cenſores variorum librorum, quorum verba, ſed non ſenſum intellexerunt. Sit aliquis eminentisſimus, ſi tamen velit diſcurrere de arte, quam non intelligit, exiſtimationem ludit. Apollodorus Architectus ab Adriano Imperatore rogatus ſenſum ſuum promeret neſcio de quo opere Adriani, liberè reſpondit. *Te, ac cucurbitas pinge; nihil enim horum rectè noſti.* Apellis alias modeſtisſimus, Alexandrum in officinâ tabulas, ſive picturas iudicantem, modeſtè monuit ſileret, ne auditus à iuvenibus, qui colores conterebant, riſui exponeretur.

IV. Exploratum habeo à quolibet veſtrum velut ſtultum illum Idio-

tam

tam abigendum, qui ſcientiâ, & authoritate destitutus omnes proceſſus Americæ, Africæ, Aſiæ, Europæ ad ſe avocaret, partibusque inauditis jus diceret. Non neſcire porro vos credo, non plus ingenii eum monſtrare, qui ſe omnium arbitrum conſtituit, quia absque punĉto iurisdiĉtionis in proximum, iudicat ea, quæ non novit. Siſte; *Quis te conſtituit iudicem ſuper nos?* Tot iam annis aĉtiones noſtras commentaris. Illa tuo ſenſu non ſunt faĉta debito loco, illa extra tempus, illa non ſatis deliberata, peiori modo executioni data. *In qua poteſtate hæc facis?* Nos patentes tam amplæ iurisdiĉtionis tuæ videre volumus. Sed ſcio, quod eas monſtrare nequeas. Cum enim: *Pater omne judicium dedit filio*, & ad ejus tribunal omnes cauſſas remiſerit conſequitur te qui es ſervus, nullam iurisdiĉtionem habere. Eſtne poſſibile, quod tu credas te habere iurisdiĉtionem, qui poſt quam per tot peccata ab eo te alienaſti, nunc tandem eum reddis implacabilem dum eius iurisdiĉtionem turbas, ac ad tribunal tuum cauſſam advocas, quæ ad eius ſolum forum ſpeĉtat? Annon hæc eſt temeritas Luciferi, prætendere ante DEUM ſedem, & proferre ſententias ſi non totaliter contrarias, ad minus impertinentes? An non hæc eſt impietas, quæ omnia contra ſe trahit fulmina? Ergone vermiculus terræ audeat ſeſe immittere proceſſibus ſupremi Monarchæ?

Abſit. Nos non cognoſcimus genium DEI, & quantum abominetur tam impudentes Nebulones. Aliquatenus id nobis declarabit Abbas Iſaac. Hunc, cum temere fratrem quendam iudicaſſet, Angelus è cellâ evocavit, hancque legationem infauſtam expoſuit: *DEVS me miſit, ut dicerem tibi, ubi jubes, ut mittam fratrem illum culpabilem, quem judicaſti.* Porro quia hic Abbas præ rubore tacuit. Id dicet ille Anachoreta, qui mox ut ſacerdotem quendam malè cenſuravit, hanc vocem lamentabilem è cælo audivit, *Tulerunt ſibi homines iudicium meum.* Poſſet aliquis cenſeri per fidem Abrahamus, per zelum Phinees, per devotionem Similis Davidi, ſi pronus ſit ad judicandum, DEUS qui errare nequit, ei bene velle non poteſt. Audite Hieronymum. *Si quem rigidum, & truncem ad varia fratrum peccata conſpexeris bene ſcito plus iuſtum eſſe, quam iuſtum eſt, nam inhumana iuſtitia eſt fragilitati hominum non ignoſcens.*

Ex lib. D. 7. P.P. de iudic.

Ibid. de iudi. termer. n. 7.

In illud. Noli eſſe minis iuſtus.

V. Ante omnes autem religioſioees hic ſibi caveant, quia in hoc punĉto maxima claudicant, cum veriſſima ſit obſervatio Climachi; *Peccare nos Dæmones urgent, aut cum non peccaverimus iudicare peccantes*; Hi illud Ariſtotelis in omnibus ſubſiſtere credunt: *Dubitare de ſingulis non eſt inutile.* Verum id quod in ſpeculativis ſcientiis circa obieĉta eſt monitio optima, illo nil peius eſt in qualificatione, & cenſuratione ſubieĉtorum. In omni re, præterquam in aĉtu judicandi DEUS conſortes admittit, qui hic eum tangit, illum irritat, & quantumvis chariſſimus eius, iram non effugiet. O miſerrime Stilita Edeſſene, tu omnium optimè id probaſti. Audite hiſtoriam, quam noſter Matthæus Raderus ex Menologiis Græcorum recenſet. Hic

Ioan. Clim. in ſcala Lib. de Prad.

Viridar. p. 2. fol. 165.

in flore ætatis cum fratre ſuo natu maiore eremum quandam in confinibus Babyloniæ incolebat. Hunc cum vidiſſet quodam veſpere in certo loco violenter detineri immobilem, ſigno autem crucis facto, magno ſaltu avolare, dumque actutum accurreret, quid rei ageretur viſurus, in foſſâ ingentem auri copiam reperiit, breviqui oratione præmiſsâ, pallio rejecto, ſe oneravit auro, quanto potuit. Hoc theſauro reperto ad urbem ſe contulit, fundum emit, Eccleſiam, Monaſterium, Hoſpitale extruxit, cunctisque ritè diſpoſitis eremum lætus repetiit. In viâ vero ſeipſo amplior factus, ita ſecum diſcurrebat: Magna magnos requirunt viros: Meus frater bonus quidem eſt ſaccus, ſed ſibi tantum utilis. Hæc dum animo verſaret, continuo Angelus, qui pluribus annis cum utroque familiariter egerat è dumetis proſiliit, vultuque Rhadamantum, & Minoem præ ſe ferens, eũ qui iudicem egerat, ut reum condemnavit. Tunc ſic de tuo fratre ſentias? Scito ex parte DEI ſaltum, quo frater tuus aurum vilipendẽs reſiliit, omnibus tuis eleemoſynis, & ſtructuris anteferri. Ne autem tua temeritas impunis ſit, illud iudicium per annos quadraginta novem innixus grandi columnæ lues, eoque tempore meâ, fratrisque tui præſentiâ privatus eris. Hisque dictis evanvit, nec niſi poſt tempo is ſpecificati poenitentiam aſperrimam abſolutam ſeſe ei conſpiciendum præbuit.

VI. Nunc pergite, munereque DEI perfungamini, ille vos bene habebit, ac Theorema vobis Chryſoſtomi declarabit: *Acerba aliena exquirens, in ſuis exceſſibus nullam unquam veniam nanciſcetur.* Noſtra iudicia ſunt ſine iudicio, quia myſterium non ſolum DEO reſervatiſſimum nobis uſurpamus & vendicamus, ſed & plurimis ignorantiis involuti, præſumimus res & perſonas leviſſimo negotio condemnare, quas viri ſagaciſſimi, ac ſubtiliſſimi plurium annorum conſortio cognoſcere non potuerunt. Dictum Ariſtotelis theſauro æquivalet: *Vnuſque bene iudicat, quæ cognoſcit, horum bonus eſt iudex*, Alias cæcis colores, ſurdis ſonos iudicandos præberemus. Iudicium in intellectu bene ordinato ſemper eſt ſecunda operatio, quæ in prima ſupponit veram notitiam ſubiecti, & prædicati, quæ, quia tam cito non obtinetur, volunt leges iudicem ſedere, attentè proceſſus legere, informationes audire, teſtimonia examinare, partes intelligere. In hoc vel laudo Lacedæmones, qui in reliquis celerrimi, in iudicando fuerunt lentiſſimi. Apud Athenienſes iudices iuramento conſtringebantur æque reum, quam actorem audire,

Agedum, te compello, qui tibi omnes incolas adeo notos iactas, ut cunctos cenſures. Tu dicis talem toto cælo aberrare: Sed an omnes eius rationes examinaſti? Audi Chryſoſtomum: *Neque Schitæ, neque Sauromatæ unquam iudicarunt iudicium dandum uni parti, abſente ea quæ accuſatur.* Audiviſti accuſationem? Unam aurem defenſioni ſerva. Dicis nullam ad eſſe, quia ab omnibus velut impius traducitur, Ergone tibi dicta vulgi ſint inſtar Evangelij? Audi, quid de te ſentiant. Ab eo haberis dicax momus, detractor, animam non habens. Tu autem, an hoc concedes? De Chriſto ipſo

Tom. 3. ad pop. *Lib. 1. Eth.* *Epiſt. de iudicio circa facto.*

pſo ſpargebatur, quod ſeditioſus, & à Dæmone inſeſſus eſſet. Apoſtoli traducebantur vino madidi, Chriſtiani orbis turbatores, in ſacrificiis infantum devoratores, mulieribus paſſim utentes, omnia Magicis artibus patrantes, & tamen omnia falsè, & calumniosè.

Ita de ſancta Paula dicebatur, quod deperiret ſanctumHieronymum in antroBethlemitico,quodque ageret vitam Epicureorum. Ita de ſancto Athanaſio ſparſum, quaſi præſcidiſſet brachium Arſenio. Gregorio Nazianzeno, quod inſulã Conſtantinopolitanam miris artibus accepiſſet. Revera non ſolum tempore Conſtantii Imperatoris reperire fuit impoſtores tam ſagaces ut unus nomine Paulus antomaſticè dictus fuerit *Catena*, ex eo quod dexterrimè mendacia connectere poſſet, & alius vocatus *Mercurius* ex ſomniis relatis tanta ominaretur, & prædiceret, ut miſeri deſperabundi plangerent, quod apud Atlanticos non eſſent nati, qui ſomnia ignorant.

VII. Noſtro ævo uberrimè tales videre eſt, qui alios mordent. Nec enim ſolis Moſcis familiare eſt alterius domo latenter ſua ingerere, & dein acceſcere iudices, ut iis repertis dominus domus velut fur damnetur. Multi cum Epheſijs iuraſſe videntur: *Apud nos nullus excellens eſto.* Ac ideo ei, qui vitiis caret proprios nævos aſpergunt, ut omnes concolores ſint. *Et nemo ſanctus ſit, & omnibus detrahatur.* Interim malignitas modernorum needum palmam præripuit malitiæ priſcæ; nempe Druſonis Tribuni plebis,qui venenum ex hac ſolà cauſsâ hauſit, ut hoſtis capitalis Quintus Cepio necis author haberetur. Judicio ergo careat neceſsè eſt is, qui dictis aliorum innixus proximum iudicat, Homines non errare, vel laudando, vel vituperando, res rara eſt. Melitenſes, ut conſpexerunt Pauli jam naufragio erepti, manibus viperam adhærere, erravunt eum homicidam proclamando; *Vtique homicida eſt hic homo, qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere.* Nec verius locuti ſunt dum Converentes ſe, eum dicebant eſſe DEUM.

Act. Apoſt. c. 28. v. 4.

Minutius Felix ſuadet veritatem, & non famam attendendam. Qui non vult errare iudicando, ſæpe meminerit; *Ineſſe, & incredibile verum, & veriſimile mendacium.* Nec noſtram temeritatem defendamus dicendo à perſonâ religiosâ, ſancta, devotâ in vulgus ſparſum defectum illius, quia ego replico, ſanctis dum iudicant alios, nec omno credendum. Quem juſtiorem Ariſtide reverita eſt unquam Græcia? Apud Gentiles nil maius, quam Ariſtide ſanctior dici poterat. Hoc tamen non obſtante Ariſtides Themiſtoclem, quamvis alios virum excellentiſſimũ perdidit, ita ut Lucianus de eo ſcripſerit; *Alias vir bonus Ariſtides, verum homo erat nec felle caruit; ſolebatque amare alios, alios odiſſe.* Quinimo ad lumen DEI cæcutiunt, qui alios contuentur, nec illi ſolum paſſionati ſunt,qui tropicè loquuntur,nam illa omnia in figura contingunt. *Quæ ſunt per detractionem.* Præterea nil frequentius inter viros religioſos, quam quod alios imperfectiores judicent, ita ut condemnare videantur quoſcunq; diſſentientes, cum tamen diverſæ viæ ad cælum ſint.

in Octa vio. Dialo. de

non credenã. Calumn.

Margin (left, partly cut off): *...nm li. 14.* — *...gn. in ...ſcovia.* — *de ... ...* — *In. L. 28. c. 1.*

VIII. Solitariam vitam professi primi sunt ad censurandos claustrales; Vitam ducentes activam, contemplativos, idiota doctum, habitu indutus repetiato, vestes gerentes pretiosas, mitigatus, sive laxus reformatum judicabit, & damnabit. Verissime dixit Lucianus; *In rebus humanis nihil tam fauste, feliciterque agitur, quod non error aliquis interpolet.* Videte paulisper, an in puncto judicii omnibus fidere possimus. Quantumvis fuerit illuminatissimus S. Ephrem, attamen, quam non viliter sensit de Basilio, etiam postquam eius gloriam DEUS illi in igneâ columnâ monstravit? Dum enim eum sacro Epiphaniæ festo mitrâ, pedoque indutum vidit, ita latenter proscidit; *Nos portavimus pondus diei, & æstus, & iste cum sit in tali honore, columna ignis est*; DEUS autem, ut eius errorem tolleret, per Basilium tunc mira operatus est.

Ibid. eod. dialogo.

In vita Efrem.

Sanctus ille Anachoreta erat, qui omnibus amore DEI contemptis, unicam feliculam possidebat. Ast quam non in vili apud eum fuit habitus Gregorius Magnus? Læsum se querebatur, dum Gregorium in gloriâ audivit secum comparandum, ac ita tenaciter suo errori inhærebat, ut DEUS ipsi revelare debuerit, quod magis æstimaret Gregorium mitrâ fulgentem, quam se felem suaviantem. Cyrillus Alexandrinus erat Apostolus, & tamen tam pravam de Chrysostomo conceperat opinionem, ut eius nomen è Canone deleverit, virgoque Deipara suam auctoritatem interponere debuerit illi in canonem remittendo.

In vita S. Greg. l. 2. c. 59.

Baron. & alii.

IX. E re nostrâ est, quod DEUM judicem habeamus, nam homines quantumvis sancti sint, ita sæpe exorbitant inculpabiter, ut illos vituperent, quos laudare deberent: Enimvero, nonnemo hic ita obiicit. Ego non judico secundum quod dicunt alii, sed secundum quod video. Sed siste paulisper, non evades impunis. Fateris sanctos decipi, quomodo ergo non dubites te quoque falli? Edic amabò; à quanto tempore non es passionibus ita excæcatus, ut juxta veritatem objectorum non varientur conspicilia? Quamdiu ei afficiebaris, omnes illius mores tibi gratissimi, & optimi fuere, at mox, ut ab eo aversionem induisti, quælibet actio tibi stomachum movet. Non ille, sed tu es mutatus, in illo sunt eadem merita, sed in te diversæ phantasiæ, & suspiciones.

Amice mi, te velim, inquit Nazianzenus, anne tibi soli illi vertigine capitis laborare videntur, qui morbum suum terræ attribuunt, quæ non movetur? In moralibus idem frequenter contingit, quod; *Videntium passio ad id quod cernitur, transmutatur.* Judicas de aliis, sed quid? Ille amat, ille odit, alter timet, hic sperat, execratur, dolet, invidet. Verum erras; judicas taliter, qualiter es affectus. Judicare potes, sed secundum commissionem quam tibi dat Ambrosius; *Iudicet ille de alterius errore*, inquit ille, *qui non habet in seipso, quod condemnet*; *judicet ille, qui non agit eadem, judicet ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nullâ levitate ducatur.* Nisi quis decipi velit, alteri non appingat vitiũ, quod est suũ. Sed quid illico?

Orat. de pace.

In psal ati imm

X. Quam-

X. Quamvis aliquis non ſit paſſionatus, attamen judicando alios ſe exiguo pollere judicio oſtendit. Veriſſimum eſt, quod eo ipſo, quo videtur homo, eius bonitatem, vel malitiam ſtatim iudicemus, ita ut multos modios ſalis cum aliquo comedere non oporteat, ut eius natura agnoſcatur. Verum virtus non eodem ſemper ſeſe induit habitu, ut ſecernere ſtatim poſſit: *Multiformis gratia DEI.* Gratia DEI nunc tacet ſolitaria cum S. Antonio. Nunc prædicat in urbibus cum S. Dominico. Nunc purpuram chordâ S. Franciſci cingit in S. Ludovico. Nunc eſt virgo in S. Agatha. Nunc conjugata in S. Eliſabetha, in uno ridet, in altero plorat, ideoque plures ab hominibus in deſpectu habentur, qui DEO ſunt gratiſſimi. *Papæ! quod abſentes ſervos habet DEVS, & neſcimus nos humiles.* Ita exclamavit magnus Alexandrinorum Patriarcha Joannes Eleemoſynarius poſtquam enim virgis, & flagellis excipi juſſiſſet quendam Monachum, qui puellam quandam mendicam per urbem Alexandrinam duxerat, in ſomno hanc vocem audivit: *Hac unicâ vice Domine Patriarcha erraſti ut homo,* cognovitque quod virum religioſiſſimum tractaverit ut Apoſtatam.

[...]nt. in vita [...] Eleemoſ.

Porro, quod non ſoli ſancti radiis depingantur, manifeſtũ facit ille ſaltator Alexandrinꝰ qui à Deo, Paphnutio auſterrimo coæquatus fuit. Antonio inſuper hæc vox cælo delapſa dixit. *Necdũ ad menſuram Coriarij perveniſti* qui tamẽ nil aliud egit, quã mane, & veſperi ſibi hoc ingeminare. Omnes huius civitatis incolæ ſancti ſunt, cũ tu quotidie peior evadas. Non nego ex actionibus hominũ poſſe eorũ mores dignoſci, juxta illud: *Ex fructibus eorũ cognoſcetis eos:* Sed id ſummè ſcire percuperem, quis hos ſibi ſpiritus ſumat, ut certè definire audeat, quæ actio ſit bona, vel mala. Intentio omnia ſpecificat, quam ſolus Deus contueri poteſt: Hinc Auguſtinꝰ: *In diſciplina chriſtiana non tam quæritur, utrum quis iraſcatur, quam quare; nec utrũ ſit triſtis, ſed unde, nec utrum timeat, ſed cur timeat.* Qui res non niſi ſuperficialiter conſiderat, is ſæpe errat. Facit inquit Paſchaſius, *ſuperficies cauſarum, interiora veritatis neſciri.*

[...]e lib. ſſ. pp. [...].12.

Lib. 9. de civit. c. 5. Lib. 2. in Matt.

XI. Omnes ſancti ſunt domus Dei, verum non omnes lapidibus pretioſis, vel picturis ornatæ ſunt. Plures inſtar, ædiũ Lombardiæ videntur caſæ, & tuguria, & ſunt palatia principum. Scire debes inquit Hieronymus, quod: *In teſtaceis vaſis ſæpe aurum reconditur.* Tu illum Nicolaũ Staurophorum condemnabis, quod auditis illis verbis: *Qui vult venire poſt me tollat crucem ſuã:* continuo cruce onuſtus inceſſerit. Non abſimiliter tu velut ſuperſtitioſum illũ reputabis, qui mane, & veſpere, ut refert Salmeron viginti quatuor literis alphabeti recitatis, Deo ſupplex fiebat, ut illas connecteret, ſicut placeret. Eum quoq; irridetis Hermannũ, qui collationẽ ſuã Chriſto depicto offerebat. Sicut & infirmũ illum, qui ſic Chriſto minabatur. *Libera me ab hac ægritudine cæterũ accuſabo te apud matrem.* Attamen cũ hæ actiones fuerint inſtinctu ſpiritus ſancti factæ, quo magis viſæ fuerint hominibus paradoxæ, eo Deo gratiores fuerũt. Pauca illa, quæ in Grammaticã ſecundũ communes regulas ſunt ſolœciſmi, juxta appendices ſunt elegantiæ. Ita quoque

Ex Rader in Virida: p. 2. f. 191.

sancti, quamvis non sint Poetæ, suas tamen habent licentias, ita ut dixerit Augustinus: *Deum dilige, & fac quod vis*: Quia de reliquo: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū.* Et quis nostrū probasset factum, quo seipsam in rogū coniecit Apollonia; & quo Euphrasia dissimulato sexu vixit inter Monachos, quo alius se mutilavit, ne crearetur Episcopus, quo S. Alexius spectante desolatâ sponsâ, se coniecit in perpetuum periculum, quo Simon Salonius, homo doctissimus ut stultum sese exhiberet, canem mortuum cingulo per urbem trahebat, & nunc cum Comœdis, nunc cū statuis saltabat, Monacho aliquod dubium proponenti alapam impegit, operculo ollæ bullientis sibi os obsignavit, ac sub fasce sarmentorū mortem oppetiit. Cum tamen in despectum judicii nostri, hæc paradoxa, sicut fuerunt, à Deo inspirata, ita portentis summis fuerunt approbata. Vos, qui errare non vultis, potius aliorum virtutibus, quam vestris oculis credite. Vos me capite, qui nulli condonatis, nec Deus vult in malis manifestis præcipitari sententiam. Quomodo ergo vos tractabit, qui ob unum intuitum, ob unicum verbum auditum de hoc, vel illo judicia pessima formatis. Ast quia antiqui Censores inter alia curanda, habebant etiam curam horologii, hancque adhuc retineant moderni, prædicatores damnando, si tempus præfixum prætereant, nos taceamus, ne jam assuetos murmurationibus frustra compescamus.

Apud. lips. præf. in vitam Sim. Sali

Rom. 8.

PARS SECUNDA.

XII. Quem vultis ut hodie fructū faciam? Sancti irrident judicia stulta hominū, & dicunt cum Nazianzeno: *Quid aliis videatur nihil ad nos, quemadmodum nec aliorum somnium.* Interim tamen dolemus, quod tot censores in mundo videamus. Alcibiades vir conspicuus, sciens se esse scopum, in quem omnes convitia, & dicteria eiaculabantur, Cani egregio caudam præcidit, ac ita informem per urbem misit, ut ita novum argumentum conviciorum ministraret: *Loquantur de cane Alcibiadis, dummodo Alcibiadem desinant lacerare.* Mundus libertatem de omnibus loquendi sibi vendicat. Quod si tu tamen à latere velis abigere hos molossos, tu alios mordere, & lacessere desine *Nolite judicare, & non judicabimini.* Dixisti quicquid in buccam venit, tu contra omnes conclusiones sustines, nec vis quod omnes sustineant contra te. Hinc Augustinus: *Iniquū est, ut quis de alio judicare velit, & judicari de se nolit.* Abbas Macharius in tribus quibus judicarat Monachos, se judicatū asservit, fixū enim est; *In quo judicio judicaveritis, judicabimini.*

Orat. de ipso.

Ex Plut. & aliis

Lucæ 6.

Epist. ad ... rentem mit.

Sed quid remedii, cum omnes in illud vitium adeo proni simus? Optimū est, si primas suspiciones, quæ contra alios insurgunt execremur. Abbas Pamenius habuit hoc axioma: *Cum duabus cogitationibus fornicationis, & detractionis nihil loquendum.* Subito cogitatus in linguam decidunt, vix credis illum talia patrasse, & statim illud aliis propalas. Nihilosecius monitum primum, quod Abbas Moyses dicto Pamenio misit, mihi placet: *Debet homo quasi mortuus esse socio suo, ut non dijudicet eum in aliquâ causâ.*

Rosvei. in vitis. PP. Lib. 4.

XIII. Mortuus est ille nummatus, nec in lecto adhuc frigefactus, venit heres,

heres, numerat ducatos; Mortuus non dicit, exploratum eſt nummos magis amari, quam perſonam. Viduata per horam oculos evellit, & capillos extrahit, & dein ſponſalia nova contrahit; Non dicit mortuus, videte qualis ſit fidelitas mulierum. Ille legatarius legatum poſtulat; Mortuus non dicit, quam te indiſcretum, & cupidum monſtras. Faciat quicquid velit aliquis in conclavi, ubi eſt cadaver repoſitum, mortuus ſilet, nec ſe affligit. Ita nobis agendum, ſi velimus habere pacem. *Si vis*, dicebat Abbas Paſtor ſuo Moyſi,
rba Senio 9. *requiem invenire, & in hoc, & in futuro ſæculo, in omni causâ dic, quis ſum ego? & ne judices quenquam.* Et quis ſum ego, qui munus DEI mihi vindicem? Caput mihi inſtar alabri, ſeu Rhombi volvitur, dumque me non cognoſco, volo cenſurare alios. Ergone ego me judicem faciam, qui ſum in cunctis reus?
ibi. Audite illum ſanctum: *Peccata mea ſunt poſt me currentia, & non video ea, & veni ego hodie judicare aliena peccata?* Abſit,
ferm. in monte maxime cum dicat Auguſtinus. *Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo judicatur, ei autem, qui temere iudicat, ipſa temeritas ſemper nocet.*

Inſigniſſimum, & præluſtriſſimum eſt remedium quod famulæ ſuæ Magdalenæ de Pazzi dedit DEUS, cum no-
eius vita. vitiarum Magiſtram ageret; Nunquã unam Novitiarum iudicabis, niſi uno oculo prius me, & te notaveris, quia qui Deum reſpexerit adeo in ſuis iudiciis deliberatũ quamvis omnia ſcientem, quique ut nos doceret, qualiter iudicia ſuſpendere debeamus, antequam Sodomitas peccatores quantumvis manifeſtiſſimos puniret, dicebat: *Deſcendam, & videbo, utrũ clamorem, qui venit ad me opere compleverint*; Gen.18.v.21. & hinc, ut nobis exemplum proponat, comentatur Gregorius, *ne mala hominum ante præſumamus credere, quam probare*, Non erit pronus ad iudicia. Revera, qui ſeipſum conſiderat, alios non faciliter condemnabit, quia cum agnoverit ſuã ignorantiam, & magnam paſſionem, dicet cum illo ſene apud Palladium: *Iſte hodie, & ego cras.* Quod ſi pauxillum, charitatis haberemus, imitaremur Apellem, qui Antigonum Monoculum depicturus, in delineatione eius defectum cooperuit. Nos contrariũ facimus, quia proximum non depingimus, niſi deformiori modo, quo poſſumus. Non ita bonus ille laic⁹, qui proſtratus ante Bernardum plangebat. *Veh mihi, qui Monachum vidi in quo triginta virtutes conſideravi, quorum nec unã in me invenio.* Bern. ſer.1. ad fra. de monte Dei. Ergone nullus alius iudicandus? Non. Vis iudicare? tua judica; inquit Chryſoſtomus. Quod ſi velis tibi dem aliquẽ Morionem, quo cũ poſſis ſubinde fallere tempus, cogita te illum eſſe. Audi Senecam. *Si quando fatuo delectari volo nõ eſt mihi longe quærendus, me video.* Sen.epiſt.50. Via ſalutis hæc eſt, tibi intendere, & alios ſibi linquere. In veſtris conventionibus, famam vobis comendo abſentũ, qui non poſſunt ſe defendere, nam hi ſurdi ſunt, de quibus ſcriptura: *Surdo ne maledicas.* Levit.19. Quod ſi tamẽ judicare velitis, prius informemini; *Priusquã interroges, ne vituperes quenquã, & cum interrogaveris, corripe juſte.* Eccl.11. Cauti ſimus, Auditores Chariſſimi, & S. Paſchaſio obediamus; *Dicamus totum DEO, ne dum temere geſtimus* Lib.2. in Matth. *definire ſententiam, nobis paremus ex diſcrimine alieno ruinam.*

CON-

C O N C I O XX.

PRO DIE IOVIS DOMINICÆ TERTIÆ.

At ille singulis manus imponens curabat eos. Luc. cap. 4.

Alchimia sanctorum, in qua ostenditur, quomodo desolationes in consolationes transformentur.

1. QUi nescit quantum animi humani laborent, ut inveniant artem, quâ ferrum, quo mundus abundat, transformatur in aurum, quod valde carum est, solum reflectat oculos in fornaces ardentes; nullus quippe ferme pagus est in quo non sit aliquis Alchymista, qui ad hoc natus videtur, ut metalla cruciet, sylvas destruat, nec aliud interim condimentum laboris reperiunt, prætterquam sal, quod reperiunt immixtum, argento vivuo, aquis fortibus, Arsenico, ac ita inaniter cerrebrum vexant. Plures sane circa lapidem philosophicum sunt Sisyphes illum sine utilitate rotando & revolvendo. Et ne dicantur eum quæsivisse, & non reperisse, ac si pugno eum haberent, modos adhibent loquendi, quibus non intelliguntur. Hic eum vocant nomine barbaro: *Laton, & Elizir*, alter insolenti metaphora, *Aquam siccam.* Hic, *lac virginis, lignum vitæ, Mercurium Philosophorum, medicinam morborum omnium.* Protoparentem signant inventorem talis artis, cuius libros de hac materia volunt furto sublatos Noemo, ab eius filio Cham in diluvio. Enimvero errant, dum hunc lapidem putant fuisse in terra Ophir, ex qua classes aurum vehentes adductæ fuerant Salomoni, aut vellus aureum ex monte Colcho; nil aliud possunt existimare, quam quod sit pergamenum, in quo ars tam magna sit delineata. Et quamvis ego cum Angelico censeam non esse impossibile, quod natura Mercurium in aurum transmutare possit, attamen si videamus industrias, quas circa hoc impensas recensent à Caligula, Bragadino, Arnoldo Villanovo, & Raymundo Lullo, Bernardo Travisano ac totaliis Romæ, Parisiis, Venetiis, in Germania, cerneremus res tam obscuras esse, ut ii, qui eas tractant, fumo vivant.

Sed quid dicemus Auditores, si hodie vos docerem Alchymiam non nocivam, & incertam, sed utilem, & infallibilem, per quam miserias, quibus hodie mundus affluit, in consolationes adeo raras transformetis? En

adſum, ut vobis hanc artem tradam, ſi eam diſcere velitis. Et ſane amor, quo ſemper veſtro lucro ſtudui, ſtimulavit me, ut illam quærerem, ac veſtrâ bonâ fortunâ favente illam inveni. Hodie ergo tradam, quomodo abſque multis impenſis ex ſæculo ferreo, aureum facere poſſitis.

PARS PRIMA.

II. Quod poſſit dari talis ars, non probavero melius, quam ſi oſtendero eam extitiſſe. Quid tu dicis O Sancte
Pſal. 89. v. David? *Exultavimus, & delectati ſumus omnibus diebus noſtris.* Verum reperio vitam tuam fuiſſe inſtar ludi latrunculorum, in quo nulla eſt tabella alba, quæ a quatuor nigris non cingatur. Quod gaudio, ac jubilo defluxeris illis diebus, quibus victoriam reportaſti, ſolium adſcendiſti, arcam transtuliſti, vel collocaſti, intelligo; ſed quod illis lætatus ſis, quibus filii tibi ſunt ſublati, vel contra te rebellarunt, quibus ſubditi neci traditi, vel in ſeditiones moti, quibus ob peccata reprehenſus, vel punitus es, non percipio. Attamē replicat David: Rex ſum, qui id dico, nec me fallo: *Exultavimus omnibus diebus noſtris.* Sed quomodo? Artem ſcivi, quâ miſerias transformarem in felicitates, ideoq; quilibet dies mihi feſtivus fuit:
Ibid. v. 15. *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, quibus vidimus mala.*

Quid vobis dixi? Sancti ſunt Alchymiſtæ, qui arte ſuâ faciunt juxta Gre-
Lib. 4. moral. c. 23. gorium, *ut iis etiam proſpera fiant, quæ videntur adverſa.* Conſolationibus abundant; Sed è quibus mineris eas effodiunt non videmus; Oportet itaque intra ſe habeant fornacem, in quâ illas ex deſolationibus forment. Huc, huc adſitis vos omnes qui quotidie veſtram ſortem incuſatis, addiſcite hanc artem.
Vt mederer contritis corde miſit me Dominus. Isa. 61. n. 1. In pulpitum velut Chirurgus ſum miſſus, ut cuncta vulnera cordis veſtri ſanem. Finem mei diſcurſus ſolummodo intelligite, & dicere poteritis, num ex afflictionibus, quæ nos torquent, eruere poſſimus argumenta, quæ nos conſolentur; ſolummodo eas committamus, manibus DEI, cuius eſt hæc cæleſtis Alchymia, ut igne ſui cunctipotentis amoris malum in bonum, infelicitates in felicitates, deſolationes in conſolationes convertat: *At ille ſingulis manus imponens curabat eos.*

III. Porro velut principium primum ſuppono quod Seneca, & Epictetus ex profeſſo probarunt, Nempe quicquid eſt in mundo mali, vel boni, id affligere, vel conſolari, prout illud accipimus, & uſurpamus. Nimis verum eſt, quod: *Non tam re, quam opinione laboramus.* Nos cudimus nobis noſtram ſortem, ac in manibus habemus omnia illa, quibus illam felicem, vel miſeram reddere poſſumus. Cum enim nemo ſit adeo felix, quin dari eo feliciorem, concipere poſſimus, etiam Alexander orbis totius dominus ſe infeliciſſimum cenſere poteſt. *Ex Curcio & aliis.* Vice verſâ, cum nemo adeo ſit miſer, quin eo miſerior dari poſſit, hinc deſolatiſſimus argumenta promere poteſt, quibus ſe ſoletur.

Intelligite me animæ afflictæ, quia forsan malum vestrum solum consistet in hoc, de quo dicebat Boristenita Bion apud Laertium: *Magnum malum ferre non posse malum* Ego dico cum Chrysostomo quod. *Intellectus potest dissolvere passiones.* Et quod quolibet, quo affligimini, recreari possitis. Cum enim onus vestrum non sit tam grave, quin gravius aliorum humeris incumbere videatis, sicut si compareminі cum felicioribus estis miseri, sic collati cum infelicioribus estis felices. Et ratio supposito axiomate Philosophorum; nempe quod *Minus malum respectu majoris habet rationem boni*, est verissima, & ut talis agnita, necessario consolatur.

Lib. 4. de vita Philosophorum. In cap. 11. Evangel. Lucæ.

DEUS inclinationi nostræ perversæ ignoscat, quâ velut Scarabæi, & non sicut apes, pessimum ex qualibet re sugimus. Nobis revera noxium est id de quo Ambrosius dolet: *Homo ipse suæ est auctor ærumnæ.* Vtque cum Senecâ loquar; *Habemus quasdam tritas voluptates.* Vt desolati afflictionibus nos eximamus, quibusdam nos recreamus oblectamentis nempe cum ærumnas nostras continuo animo revoluimus. Quamdiu est aliquid veneni in sagittis DEI, noster animus extremè obesus illud lambit. Et in hoc iuxta versionem Vatabli consistebat extrema miseria Job: *Sagitta Domini in me sunt, quarum venenum ebibit spiritus meus.*

In cap. 8. Evang. Lucæ.

Iob. 6. v. 4.

Nostris cum miseriis ita ludimus, sicuti pueri cum globis, & pilis nivis. Toties eas volvimus, & revolvimus ut dum semper iis aliquid affricatur, ita augeantur, & crescant, ut amplius eas movere non possimus. Ipsæmet urticæ, si dextrè præhensentur, non pungunt; Et scire moderari suas potentias, nil aliud est, quam objecta earum posse mutare. Nec dubitem me intelligi, ubi adsunt ingenia facilia, & argumenta clara. Quod monoculus tristetur ex eo est, quod potius se comparet habenti duos oculos, quam cæco, & revera si hunc respiceret, gauderet, dum illum considerando contristatur. Exultate, exultate vos infirmi, pauperes, desperati, ac perditi, via est elabendi miseriis absque impensa unius teroncionis, merito vos deploro, quod media tam segniter adhibere sciatis, cum oculos non removeatis à bonis, quæ vobis desunt; si enim à majoribus malis vos exemptos recogitaretis, aliquid solatii caperetis.

IV. Et ne dicatis hanc meam speculationem non esse reducibilem ad praxin, date oro mihi nonnullum ex illis nobilibus, qui à pluribus jam annis debili visu, & sanitate pollens, non nisi testamenta, & sepulchra cogitavit. Non sum Medea, quæ trunco sicco virorem inducere possit. Nihilosecius in manu id habeo, quod dispulsis nubibus molestarum cogitationum è vestigiò animas serenare possit. Quid mirum Nobilissime Domine, si velut ii, qui ex antro famosi Trophonii redeuntes ridere deinceps non potuerunt, continuò te torpueas, & affligas, si non te scias comparare, nisi iis, qui usu pedum, oculorum, tactus, ac bonâ sanitate perfruuntur? Sed cur te etiam non comparas iis, in quo

in quo eos ſuperas? Cur non advertis, quot ex illis fortaſſis peribunt tanquam fructus immaturi, ubi tu tam maturus es effectus? Quod non ſunt, qui in meridie attingunt veſperam, ac tribus paſſibus à cunis ad tumbam feruntur, ubi tu DEO obligatus es, quod habueris tempora quietiora, & pacatiora, quam habituri ſint nos ſecuturi, ubi tu teſtimonium fuiſti tot felicium ſucceſſuum, inſtrumentum tot grandium negotiorum, Dominus tot facultatum, tot difficultatum ſuperator, ne quid dicam de conſolatione, quâ potes perfundi; ſi cogites te adeo vicinum æternæ gloriæ, cujus ſignum habes adeo ſuerum in ipſis morbis, quos pateris? Sed quid probo meam Alchymiam pro bono unius tantum, ſi ad oculum probare poſſim eam redundare ad ſolatium multorum?

V. Auditores mei, perpendite quam efficax ſit medium afflictum recreandi, ſi divertatur, ut cogitetis quot, & quanti vobis miſeriores ſint? Et quamvis noſtrum ſæculum ſit ferreum, tamen ſpero, quod quadrante horæ oſtenſurus ſim, illud eſſe totum aureum. O vos annos excommunicatos, qui cum nullo unquam bonum commercium ſervatis! An non vidiſtis tragædias, provincias devaſtatas, bella geſta, damna illata? Porro quantumvis vos adeo perſequar, tamen ſi vos comparaveo cum aliis, qui fuerunt multo pejores, cogor vos amare tanquam meliores. Quantumcunque ſitis infelices, adhuc tamen magis eſtis tolerabiles, quam illi, qui Chriſtum præceſſerunt, qui quamvis eſſent felices, tamen ſine Chriſto mihi tales non videntur, vel ſi conſidero annos illos immediatè poſt Chriſtum, Illi ob furias perſecutorum adeo fuerunt miſeri, ut ſomnium videretur, animam Chriſto conquiri poſſe, niſi per continua tormenta corporis. Quod ſi velis annos, quibus hæreſes regnarunt: adeo turbati fuerunt, ut nil viderent, niſi ruinas eccleſiarum, profanationes cæremoniarum, provinciarum rebellionem. Quod ſi alleges annos, quos ſupremos tunc augurata eſt ætas, ob inundationes Gothi, Alani, Wandalorum, pro uno Antichriſto habuerunt mille.

Quod ſi mihi ob oculos ponas annos Eccleſiæ tam nocivos, quibus præterquam, quod quotidie in duo capita dividenda videretur, in tantam ignorantiam eſt prolapſa ut Parochi nec formas ſacramentorum ſcirent, in tantam in curiam, ut adoleſcentes octodecim annorum crearent Pontifices, ac iuvenes quinque annorum Epiſcopos, atque Archiepiſcopi eouſque venerunt, ut ſacerdotes velut beſtiæ viventes, Eccleſias inſtar ſtabulorum relinquerent. *Baron. anno. 955.*

Porro quod teramus annos melleos reſpectu eorum, qui vixerunt tempore Gibellinorum, & Guelphiorum, quibus periculo proximo mortis objiciebatur is, qui nonniſi colore tecum differebat, illo tempore inquam, dum filius patrem, fratrem pugione confodiebat, vel ex hoc, quod in ſalutatione, comeſtione, pilei depoſitione non convenirent. Clariſſime, videmus hodie etenim id

 non

non ſuccedere quod tunc fiebat videlicet, quando urbs à tiranno gubernata qualibet die ſe oppugnatam vidit, dum fures, diffamatores, homicidæ impunè graſſabantur, & tolerabantur. Credite mihi Auditores mei: *Ab amarâ quadam, libidine dolendi, animus recipiendus eſt.* Ambitione laboramus in ipſis miſeriis, in illis non patiamur dici, quod alii miſeriores ſint, ac ita quieti erimus, & ubi conſideraverimus nos eſſe ſcopum compaſſionis, invidiæ objectum ſimus.

Sene. c. 23. de Conſol. ad Poliibium.

VI. Non diffiteor, contagioſas lues, ac quidem atroces vidimus, ſed quales ſunt, ſi comparentur reſpectu illarum, quæ ſub Gallo, & Voluſiano terram devaſtatæ ſunt, ſemel per quindecim, & poſtea per quinquaginta duos annos, & quidem tam immaniter, ut quotidie Romæ, & Conſtantinopoli decem millia mors ſuſtulerit. In Jtalia inſuper tempore Petrachæ è mille, decem non evaſerunt eius furorem. In Græcia ſub Imperatore Michaele, non fuerunt, qui mortuos humo conderent. Experimur immanes ſtrages bellorum, ſed ſunt delitiæ reſpectu præteritarum. In Judæa gladius exiguo tempore Millionem, & ducenta quadraginta millia hominum ſuſtulit. In tribus ſolis provinciis bello altero contra Carthaginenſes, internecioni datâ ſunt ſpatio ſeptendecim annorum ſeſqui millio, extraneorũ vero millio, ducenta, & nonaginta duo millia. Sub Cæſare, ac Alexandro Magno, prout hic in templo Minervæ toti poſteritati æternum teſtatum reliquit, occubuerunt duo milliones, centũ, & octuaginta tria millia. Nos deploramus integras provincias devaſtatas per bella, attamen ſi rem penitius introſpiciamus, nil hoc eſt, ſi reſpiciamus Græciam, regnum populoſiſſimum totius orbis. Hæc enim ut refert Plutarchus ſuo ævo tria millia in campum educere non valvit, cum tamen in expeditione contra Perſas ſola arx Megares tot viros dederit.

Lipſius L. 2. de conſtant. c. 21. & 22.

Lib. de defectu orat.

Quærimur Vectigalia, & tributa, attamen Romanæ exactiones multo graviores fuere; ſiquidem ſub Theodoſio tam exceſſivæ fuerunt, ut una tegula medium capitellum pendere debuerit, ita ut ſumma in immenſum excreverit. Nec unquam adhuc guſtavimus illos coronatos carnifices, hoc eſt reges, adeo inſolentes, qualem ſe exhibuit Caligula, qui omnibus ſtatuis Deorum capita minui iuſſit, ut ſolam ſuam venerationi publicæ exponeret. Adeo invidos inſtar Domitiani, qui omnes doctos ſeveriſſimo exilio proſcripſit, ob hoc ſolum, quod unus è duobus, quos morte affecit, alium quempiam ſcripto laudaſſet. Adeo beſtiales, & crudeles, ſicut fuit Nero, qui plures Nobiles è medio ſuſtulit, ut ipſe ſolus haberetur Apollo, ne enim perderet ſuam gratioſam vocem reperit, Diis nunquam eos ſacrificaſſe.

VII. Enimvero, an ego ſolus ſim, qui hiſce comparationibus cor dilatavi, ita ut vos hunc effectum non probaveritis? An Alchymiam meam demonſtratam creditis, dum ejus favore

vore existimatis vos felices, quod in hæc tempora incideritis, quod tamen antea sinistræ fortunæ tribuistis? Sed quid dicetis, si alium modum inveniam, quo per comparationem ad illos, Qui vobis beatiores videntur vos possitis contra miserias munire? Audite. Quod si nemo te felicior foret, extra dubium esset, iucundissimum tibi futurum, si minus miseriis agitareris: *Est miser nemo*, dicebat Tragicus, *nisi comparatus. Tolle felices, remove multo divites auro, pauperi assurgent animi iacentes.* Felicibus sublatis è mundo, omnes Melancholiæ pellentur. Interim videte, ad quod opus me accingam, dum artem tradere cogito, quâ solatia haurire ex iis, qui in bonis externis vobis feliciores, & abundantiores sunt, possitis. Et revera punctum hoc tractamus, quod nos attentos exigit. Quod si illud capiam, nunquam me videbitis tristem, nam si agnoscam omne id, quod me potest lædere, & affligere, esse maximum meum bonum, magis exinde recreor, & erigor.

...neca in ...oro Tora... s.

Porro, ante omnia supponendum, quod: *Non hominibus solum, sed & rebus persona demenda est · & reddenda facies sua.* Res æstimandæ sunt juxta id quod sunt, & non quod videntur. Hoc admisso eum libenter viderem, qui meum dissolveret argumentum, Tu mi frater affligeris, quod videas te pauperem inter tot opulentos, te infirmum inter tot sanos, te despectum inter tot famosos, at ego interim, qui contrariæ sum sententiæ, puto tibi magis gaudendum, quam dolendum. Dic sodes, quis est felicior? Is sane qui maiora possidet bona. Nunc ergo tibi dico, maiora bona esse in hoc orbe Morbos quam sint sanitates, penurias, quam ubertates, persecutiones quam amicitiæ. Verum tu negas, quod ego affirmo. Sed quis erit Judex inter nos? Nemo sane aptior, quam DEUS; hic enim cum sit summè sapiens, qui non possit falli, summè bonus, qui non possit fallere, optimè bilancem appendet. Hoc admisso, nullibi reperio, quod DEUS divites honoratos, sanos proclamet beatos, clarè tamen video, quod in primâ sessione habitâ cum discipulis, hos Canones definiverit: *Beati pauperes, Beati qui lugent, Beati qui persecutionem patiuntur.* Et ne putes eum ita verbis solum sentire, factis id tibi declarat.

...nec. ep. 24

Matt. 5.

VIII. Quod si DEUS aliquem amet, nullum est dubium, quin amet meliores. Et si amare sit *alicui velle bonum, eo quod bonum ipsi*, exploratissimum est fortunam meliorem eam fore, quam illi DEUS dederit, quem impensius amat, nam alias consequeretur, vel quod deterius ei daret, quem tenerius amat, vel quod nesciat ei plus dare, qui plus meretur. Nunc quæso te, paulisper videamus sortem sanctiorum, ac impensius à DEO dilectorum. Ast ò Domine, quid ego video? Non immerito dicit tuus Sanctus Chrysostomus, *Ænigma facta est nostra miseria.* Hoc ænigma ego non capio. Vt dicam quod res est, non intelligo, quomodo eum quem amas, malè habeas, ac si eum odisses Quod ei pro dote des penu-

Aristo. 2. Ethico.

Hom. 2. ad popul.

penuriam, pro ſponſa afflictionem, pro ſocio individuo melancholiam. Tu ſuſtines adoleſcentes, qui omnia in tui offenſam expendunt, & innocentem Abelem, qui tibi primum obtulit Sacrificium, manibus fratricidæ conſignas. Tot avaris, qui ſuas in luxus effundunt opes conſervas, cum Job adeo in pauperes effuſi omnia flammis haurias. Tot aucupibus honeſtatis puellarum oculos foves, cum tamen ſancto Tobiæ, qui illos ſolum in egenos, & mortuos conjecit, illos excœces. An vero in nova lege DEUM vices mutaſſe exiſtimamus? Erras ſi id putes. Maiora tibi obſequia exhibita, nonniſi atrocioribus tormentis muneras. Quis te magis honoravit, quam Apoſtoli, ac inter hos, quis magis, quam Paulus? Totum ſe tibi impendit, omnes nationes peragravit, omnes commoditates tui cauſâ ſprevit, inter vincula, carceres, virgas, ſportas, lapides, itinera gemuit, ac totus tuus fuit. Et tamen, quaſi Judæi, & Gentiles non ſatis eum torquerent, Pyratis eum in Mari exagitas, imo periculo naufragii vexas, viperis eum mordes, Dæmonum eum verberibus conſignas. Quis inter Vicarios tuos, tui honoris ſtudioſior Gregorio Magno? Eccleſiam ſanctiſſimis decoravit ritibus, ſcriptis nobiliſſimis ornavit, exemplis præclariſſimis illuſtravit, Hiſpaniam tibi reconciliavit, Italiam reformavit, Angliam tibi ſubdidit, Tu vero, quid ei rependis? Agiulphum, ac Lombardos ei immiſiſti, qui eum obſiderent, Tiberis inundatione eum terruiſti, lue contagiosâ eum infeciſti, & ut miſerias augeres, dum conſervas vires eorum, qui iis abutuntur, eas viro tam ſancto, temporibus adeo neceſſariis ſubtrahis, pluribus annis eum lecto alligas, manus per chiragram, pedes podagram ſuo uſu deſtituis, intellectum triſtitiis imples. Quis inter Oratores tua efficacius promovit Chryſoſtomo? Eloquentiâ ſuâ vel tuas prærogativas extulit, vel tua præcepta inculcavit, vel tuas injurias vindicavit. Tu vero vice præmii eum privas Cathedrâ, eum ablegas in exilium, bonis ſpolias, pravorum dementiæ conſignas, morbis oneras, vitam truncas.

Quis Regum Ludovico tua magis promovit? Non contentus, quod te honoraret jejuniis, ciliciis, in Religioſis te protegeret, in pauperibus, in Miniſtris, & Templis te ditaret, Cruce ſe ſignari juſſit, ut eam loco, quo prius plantata fuerat reſtitueret, bello ſancto cum fratribus, filiis, flore nobilitatis ſe accinxit. Tu interim, qui armis tuorum infenſiſſimorum hoſtium, Gothi, Alani, Wandalorum faviſti. Ita Ludovici armis adverſus fuiſti, ut viginti quatuor mille milites extinxeris peſte, eumque primo bello captivum tradideris Soldano, altero vero filiis, & exercitu ſublato, eum quoque contagiosâ Lue neci dederis.

IX. Quid

IX. Quid hæc amplificando me vexo ? Præ omnibus tuus unigenitus tibi charus fuit. Et tamen ignominiis, doloribus, injuriis eum deſponſaſti, Imo, & modico felle, quod tibi in mundo ſupererat, jam cum morte luctantem eum potaſti. Idem que te cum omni eo, qui tecum amicitiam colit, facere video, nullum affectum permittis ſine cruce. Qui tibi amicitiâ jungi vult, animum neceſſe eſt paret ad tœdia, corpus ad morbos aures ad ignominias, divitias ad ruinam, ſed cur hoc ? Si quis dicat, quod non ames meliores, id ego nec credere poſſum, nec debeo. Ut ergo tua ſapientia, & bonitas, ut par eſt ſalvetur, concluſiſſimum eſſe debet, illud quod noſtro ſenſu videtur peſſimum, tuo judicio eſſe optimum. Et quid ? Ergone nunc prius agnoſcis afflictionem eſſe optimam ſortem quam DEUS homini, viatori dare poſſit ? An ignoras O miſer, inquit DEUS hoc eſſe Alphabetum mei Evangelii ? Quid mirum, ſi ad minimum ictum deiectus fueris, tam parum in principiis, quæ ducunt ad ꝟ.3.v.11 cœlum fundatus ? *Quos amo corripio, & caſtigo*; Scis cur ? Quia amor cogit me, ut ſpectem, non id quod eſt bonum in ſe ſimpliciter, ſed quod eſt bonum illi, quem amo. Sicut enim jam diximus; *Amare eſt velle alicui bonum, eo quod bonum ipſi.* Et jam ſæpius probavi, nil eſſe vobis hominibus utile, niſi quod vos malum eſſe baptizatis

Audite tribulati, quid DEus dicat. Nullus hic effugii locus; Vel reſpondete ad argumenta, vel quieſcite. Tribuladio dilectioribus datur, ergo eſt melior, ergo illâ donatus debet exultare potius, quam confici melancholiâ. Nunc concludo. An non ergo Alchymiam tradidi, quâ ſolatium haurire poſſitis, & gaudium ex iis, quos vobis feliciores creditis ? Nolite id negare; Quippe totum id conſiſtit in doctrina Clementis Alexandrini, qui ſic inquit: *Cor autem noſtrum duabus opus habet virtutibus, audaciâ ut adeat pericula; Sapientiâ, ut diſcernat ænigma.* Lib.1.ſtro. c.14.

X. Qualibet ſorte gaudere poteſt, cui exploratum eſt tribulationem eſſe ænigma, exterius quidem malum, ſed in ſubſtantia bonum. Vocatur infelicitas, & eſt grandis felicitas. Ita cenſet Tertullianus, qui Martyrum ſummam miſeriam, felicitatem nuncupavit. *Producitur Martyr in experimentum felicitatis.* Lib. de pati. c.3. Ita S. Zenon qui adverſitatem Job diſſimulatam felicitatem nuncupavit: *Iob felicitatis priſtinæ ſtatum diſſimulando non perdidit, ſed mutavit.* ſerm. de patient. Rurſus de miſeria Apoſtoli ſcripſit: *Obrutus calamitatibus beatus*, lapideis imbribus feliciter grandinatur. ſerm. in Ion. Expecto judicium veſtrum an gaudium, quod ſancti monſtraverunt in maximis adverſitatibus fuerit fictum, vel minus fundatum, dicturi ſitis ? Utinam noſtrum gaudium tale foret. Subtiles illi intellectus DEO illuſtrante, hanc inſignem virtutem, quam vobis prædico cognoverunt, nec per capillum dubitabant jucunda eſſe minus utilia. Unde

Gen. 3.

Vnde lactucis amaris quotidie Pascha celebrabant, omnemque ignem censebant esse talem, qui eos velut adamantes purgaret, non destrueret. Recordabantur, quod quamvis in diluvio, *Multiplicatæ sunt aquæ* circa arcam, quæ fuit symbolum justorum, attamen nil illi nocuerint, nisi quod *elevaverint illam in sublime*, eamque in cælum usque sublevando periculo subtraxerint, ne usque in terram eam allideren. Conclusissimum illis erat, quod omnes sagitæ eiaculatæ ex arcu DEI, nil aliud fuerint, quam tela aurea, quo Theædosius fingens se amicos intimos Vulneraturum, emittebat. Miramini ergo, quod tripudiarint? Mirarer potius ego, eos fuisse affligendos. Quid? Dives delectatur pecuniis, lascivus voluptatibus, ambitiosus honoribus, ideo præcisè, quia ea maius suum bonum æstimat. Ecour ergo afflictus non gaudeat ob tribulationem, quam suum maius bonum merito putare debet? Ecquid dicitis O pusillanimes?

Hom. 3. ad populum.

Scio quod meus discursus vobis videatur Hebræus, iam hoc adverto, ac dolet me esse locutum; ut enim in simili occasione observavit Chrysostomus, illis qui habent cor, & ingenium nimia dixi; illis vero qui nimium indurati sunt, nec per centum annos quicquam persuaderem. Nec sane ars mea est Ars Cabali, aut Algebræ, quæ non intelligitur, ego eam clarissimam puto; si enim ad bilancem pendamus aliorum mala, ac nostra, hæc leviora censebuntur. Ut autem hoc omnino certissimum, uti est, persuasum nobis habeamus, nempe nobis viventibus nihil esse melius quam tribulationes, ita ut ex iis tripudia haurire queamus, id amplius comprobabo.

O Sancte Job, qui in cœlis degis, ubi nulla est tibi necessaria patientia, illam quæso nos doceas. Tu apprimè vides ita in mundo agi, ut patientiâ summe egeamus, donec ex ipsis flagris DEI nostras consolationes eruamus, quousque possimus tecum dicere; *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Utinam hoc ævo possemus esse Francisci Xaverii, qui solatia pertæsus, afflictiones appetebat. Nos utique habemus nostrum *satis est*, & nostrum *Amplius*. Sed utroque abutimur. Quis autem ignorat nos addiscere patientiam patiendo? — Iob. 6. v.

XI. Scio interim hanc artem exigere exercitium, unde non invenio gentem quæ tribulationem magis amet, quam ista, quæ eam diutius sensit. Ita Tertullianus censuit Jobo summam miseriam fuisse, sine miseria vivere, ut autem hanc haberet, nec proles voluisse superesse; *Sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliquâ patientiâ viveret*; Insuper lego de nostro Patre Andreâ Oviedo, qui Patriarcha Indorum fuit per viginti annos, quod inter maxima tormenta adeo patientiam amaverit, ut cum morte luctans, dum audiret socios orare, ut DEUS eũ à talibus doloribus eriperet, animam jam labris insidentem revocans, eos incusaverit, tanquam sibi tantum bonum invidentes, dicens; *Abstinete filij, non mortem mihi, sed patientiam poscite.* — Lib. de pa[t.] c. 4. — Nicol. [...] in eius [vita] c. 19. Lib. 9. Abyssi.

Idem

Idem tu diceres, nisi nimium pertinax, veritati huic non assentireris, ac si tibi articulum ex Mahumete prædicarem. Faxit porro DEUS, ut vel tu convincaris, vel Evangelium comburatur. Audio, quod morbis vexatus lamenteris, DEUM tibi non bene velle. Quid? Annon times, quod S. Liduina è cælo sit exilitura, tibique dictura; Ergone tu Christiane hoc modo loquaris? Ex eo consequitur, quod DEUS meus mihi pessima voluerit, immittendo infirmitatem, quam nec Galenus, nec Hipocrates novit. Exploratum exinde erit, quod male voluerit Servulo, tanto tempore eum paralysi exercendo. Martyribus, quorum corpora tot tormentis exquisitis exeruit.

eius vita *ud Suriū.*

Audio, & intelligo, quod te infelicissimum reputes, dum tua negotia non succedunt. Talis sis, qualem te facis, nam de reliquo te mentiri clarissime ostendit S. Eustachius, qui de nullo magis gloriabatur, quam de suis jacturis, & damnis. S. Alexius, qui nunquam se fortunatiorem reputavit, quam dum infelicior esset. Nil dico de sanctis, qui te convincunt, ac te lugent, dum potius vis esse Epulo quam Lazarus. Nero, quam Paulus. Herodes, quam Christus. Dic sodes, an tibi parum videtur omnes Electos reprobare, quod summo in horrore habuit David, ex eo quod parum patiaris adversitatis? Estne possibile id tibi persuasum fieri potuisse, esse nimirum in mundo meliorem sortem, quam illam, quam DEUS fidelibus suis servis, imo unigenito suo dedit, ex angustiis, penuriis, Crucibus compositam?

XII. Et quæso te, unde te Christianum esse cognoscam nisi ex generosâ tolerantiâ afflictionum? Cum dicat Tertullianus: *Ea nos ostendunt Christianos, quæ patimur ad exempla ipsius Christi.* Annon ergo cantabis cum Davide: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt?* Dicis ut tibi persuadeam possibilia. An ergo tu hoc censes impossibile? Audi Chrysostomum: *In eo elaboro, ut non modo tristitia & angore te liberem, verum etiam ingenti, ac perpetua voluptate perfundam; hoc enim fieri potest si velis.* Et en rationem clarissimam: *Non enim, in naturæ legibus, quas revellere, atque immutare non possumus, sed in liberis voluntatis cogitationibus, quas tractare, ac moderari, nobis facile est, animæ tranquillitas, alacritasque consistit.* Tu pacare mundum cum non possis, relinque eũ ut illum invenis, in eoque totus sis, ut teipsum superes, & Alchymiâ à me traditâ tuam fortunam cudas.

Lib. de Bapt. c. 3.

Psal. 22 v. 4

Epist. 3. fere in initio.

Auditores mei clare rem edicam cum Oratore Aureo. Dolere ob aliud quam ob peccatum, est summa stultitia. Ob DEUM solum lacrymæ fundendæ, alias erunt inutiles. *Hoc mihi continue recordamini, ut ob peccatum tantum doleatis, nullam autem ob rem præterea.* Ob solum peccatum lacrymæ fundendæ, nam quicquid non est peccatum, nobis bonum est, ut pote proveniens à DEO, qui cum sit pater, non dabit Scorpionem pro ovo, sed perducet nos ad se, qui est unicum centrum nostræ beatitudinis, quique per pœnas, quibus eluimus culpas, nobis dat pignus, & arrham gloriæ.

Chrysost. hom. 7. ad prop.

Consolamini, nam falsum est, quod miseriæ crescere, & augeri debeant. Omnes à DEO nemine dempto, ad patiendum ordinati sumus, ut beatitudinem acquiramus, unde non crescere, sed minui debent, & quoties unica tibi immittitur, toties pauciores tolerandæ restant.

Verum, ut omnia paucis complectar, momentaneum est, quod nos cruciat, illud vero quod superest, præcidere potestis, ut enim inquit Aristoteles nil affligit, vel recreat, nisi quod est præsens. Cum ergo præsens non sit instantaneum, in vestram memoriam culpa derivanda est, quod præteritarum miseriarum recordemini. Caussa erunt vestræ apprehensiones, quæ vobis futura, tanquam præsentia proponũt. Nec mihi dicatis, vos meliores, ac feliciores fore si plures numeretis amicos, si essetis robustiores, ditiores; Ego dico vos pessimos fore sine afflictione.

Lib. de Rhetor. c. de jucundo

Ego ex nullo magis vestram salutem augurari possum, quam quod videam DEUM, qui bis non iudicat inidipsum, temporalibus pœnis vos affligere, ut condonet æternas. Quod ipsum iam diu dixit per Vatem: *Dabo vallem Achor ad aperiendam spem.* Quod Interpetes explanant: *Vallem Tribulationis.* Tu in ambulas viam sanctorum, si pergas ad felicissimum finem, non venies nisi per poenosissima media. Patientia o tribulati, patientia o afflicti, Nam esto virtus patientiæ sit filia Justitiæ, eam Tertullianus tamen vocat: *Misericordiæ Matrem.* Meliorem advocatum apud DEUM habere non possumus, *Patientia*, inquit Cyprianus, *est quæ nos DEO & commendat, & servat.*

Osea 2. v. 15.

Lib. de patient. c. 13. Serm. de patient.

PARS SECUNDA.

XIII. Revera rem non exiguam hodie tentavi, sed forsan expensas non meruit, vel tulit. Quod ipsa ars sit infallibilis, nulli est dubium, sed totum in eo est, quomodo reducatur ad praxin. Dum obrueris tristitiis, melancholiis, vel ob publicas calamitates, vel privata infortunia, optarem id tecum me facere posse, quod fecit Solon cuidam suo afflictissimo amico. Hunc duxit ad locum sublimissimum civitatis, eique ostentâ grandi illâ Civitate dixit: *Cogita quam multi luctus sub his tectis olim fuerint, nunc versentur, postea futuri sint.* Ego inquam te ad altissimam turrem ducere vellem, ac dicere; videsne hæc palatia, & domus? Vtinam scires, quales extiterint ante, jam sint, ac postmodum existent. Plures uxores male habitæ sunt à maritis parentes offensi à prolibus, nobiles despecti, mercatores sine lucro, infirmi derelicti, sani fame necati. Dolesne te esse infirmum? Quid ergo faciunt tot, & tot in hac urbe, qui pejus te habent, libertate privati degunt in vinculis, sine nummis sunt pauperes, sine amicis sunt persecutionibus impetiti.

Lips. l. ... Const. c. ...

Profecto miror te. *Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam.* Scio ob hoc infortunium pullis vestiendos esse cogitatus, Has lachrymas quæso meliori occasioni serva: *Casus multis hic cognitus, ac jam tritus: & est medio fortunæ ductus acervo.* Ne audiam

Iuven. Satyr.

audiam te deinceps suspiria trahentem, quia tibi in mentem reducere decrevi illud Poetæ: *Heu me, quid heu me? Humana perpessi sumus.* Ergone illud quod passus sum, nulli ante me mortales gustaverunt? Quid? Ergone ego solus sim filius albæ gallinæ? Nasci non debebas, nisi patereris.

Quid Lipsi in supra.

Ipsimet Gentiles conclusissimum habentes in hoc mundo voluptuosis semper tristia annexa; Deam Angeronæ, Volupiæ semper conjunxerunt. Pindarus nulli homini dicit dari bonũ, nisi connexum duobus malis. Verum enimvero, plures sunt, qui non contenti malis propriis, pluribus se onerant, quæ eos non tangunt. Præsentia sustinere nequeunt, & futuris se jam torquent. Ah qualia tempora venient. Quomodo tu scis, quod non sint ventura meliora? Ergone DEUS cum argumento mutet scenam? Quis tibi dixit illa mala eventura, quæ tu somnias? Non multis ab hinc annis, imminente obsidione, ac dereptione hostium solaturus Domicellam quandam evocatus fui, dumque eam mortis instantis ad monerem, O me stultam replicavit, quæ me cruciavi ob successus, quos non eram visura. Aliud nobis agendum, quam ut modo cum umbris decertemus, & cum Burgundis in bello contra Ludovicum undecimum noctem tristem traducamus, ob arundines habitas pro hastis, & sylvas pro turmis. Optimè inquiebat Seneca: *Mala per noctem habita terrori, dies vertit in risum.* Qui novit animo nubes quasdam pellere, videt plura, quæ alias videntur maxima, esse minima. Animosius advertat cum Tertulliano, quod

Macrob. lib. 1. Satur. c. 10.

Epist. 105.

Nonnunquam, & in procella confusis vestigiis cæli, & freti aliquis portus offenditur prospero errore; nonnunquam & in tenebris aditus quidam, & exitus deprehenduntur cæcâ felicitate

Lib. de Anima c. 2.

XIV. Quod si versati simus in aulâ DEI, scimus eum tunc cum torvo nos notat vultu, nobis propensiorem esse. Hoc noverat Chananæa, de qua Basilius Seleuciensis; *Contumeliam tenet curationis pignus, spondet Salutem canis appellatio.* Verum enimvero videamus, an ad praxin possimus reducere, quod respectu feliciorum nobis, possimus ex tribulationibus elicere consolationes. Fateor, affirmare Tribulationem esse meliorem homini in hac vitâ, quam sortem prosperam, facilius dici, quam intelligi. Semel pro semper hoc intelligite, inquit DEUS per sapientem. *Timenti Dominum non evenient mala.* Hoc supposito, si paupertas, ægritudo, persecutio, forent mala, prout tu credis, falsissimum erit, quod dicit DEUS. Nam hæ miseriæ etiam natæ timentibus DEUM videntur, cum tamen hæ non sint malum, sed bonum. Verissimũ ergo manet quod; *Timenti Dominum non evenient mala*, siquidem ipsamet tribulatio, erit eorum consolatio, iuxta illud Leonis: *DEO propitio nulla nobis nocebit adversitas.*

Basil. Selev. de ea.

Eccles. 22.


Ser. 6. de pass dom.

O Charissime Frater, fac quod vis, adversitas est optima schola, quam in hac vitâ habere possis. Hinc Chrysostomus quendam laudat uxorem habentem pessimam, Noluisse tamen eam repudiare: *ut haberet gymnasiũ, & pa-*

Hom. 26. in 1. ad Corr.

& palæstram philosophiæ. Qui non est tentatus, quid scit? Quomodo virtutes suas, quis potest noscere, qui earũ nullum specimen edidit. Non sudum, sed cælum nubilum Nauclerum demonstrat, & probat. Quid non dares, ut haberes DEUM tibi adeo propitium, uti eum sancti habuerunt? Vide quid dicas, inquit DEUS. Caussam dat Da-
Ps. 98. v. 8. vid. *DEVS tu propritius, fuisti eis*, sed quomodo? *Vlciscens in omnes adinventiones eorum.* Quod si ita sit Domine, *si sic vivitur*, nempe non in gaudiis, sed in afflictionibus, *in talibus vita Spiritus mei, corripies me, & vivificabis me.* Meas rogo mihi DEUS des afflictiones, quia illud Pauli ad Hebræos me
Cap. 12. v. 8. terrefecit. *Si extra disciplinam estis, ergo adulteri, & non filii estis.* Rogo ut cum miseriis, etiam addas vires. Optime
Epist. 8. ad Olympiad. locutum video Chrysostomum: *Vna duntaxat res gravis, ac pertimescenda, nempe peccatum; reliqua autem omnia meras fabulas sive insidias dixeris, sive inimicitias, sive fraudes, sive calumnias, sive bonorum proscriptiones, sive exilia, sive totius terrarum orbis bellum.*

Auditores hæc duo principia capite, & postea in quacunque miseriâ, si potestis, vos affligite. Primum, quod afflictio sit melius bonum in mundo. Nonnullis virtutibus, quæ consistunt in teneritudine non multum fido, solæ innitor patientiæ, quæ secundum Jacobum, *opus perfectum habet.* *Iacob. 1.* Nec dicitote, quod si essetis sani, gestaretis cilicium, infirmis serviretis, jejunaretis, quod si essetis nummati, egenis succurreretis, loca pia fundaretis, oppressos sublevaretis: Ego vobis dico cum Chrysostomo, illud Jobi afflicti: *Sit nomen Domini benedictum*, toto orbe pretiosius esse: *Nullum gratiarum actioni par bonum.* *Hom. 1. ad pop.* Alterum principium est, quod eo firmiora, ac solidiora pignora habeatis salutis, quo majoribus afflictionibus torquemini. Id apprimè agnovit ille, qui verbis acerrimis à servitio principis proscriptum, ut sese audivit, respondit, Iam omni dubio exceptus sum gratiæ principis amittendæ: ut enim ait Petrus Damianus: *Non est futuræ damnationis indicium, sed in æternæ salutis potius argumentum.* Quod ita sit, Nunc cogitate an vos affligam.



CON-

CONCIO XXI.

PRO DIE VENERIS DOMINICÆ TERTIÆ

Venit mulier de Samaria haurire aquam: dicit ei IEsus, da mihi bibere. Ioannis 4.

Refocillatio sitientis Christi.

I. Lucan. Lib. Phars. VOs qui dum legendo sitim immanissimam, & urentissimam militum sub Catone invictissimo in castris in Lybia fixis degentium, qui à ipsadibus serpentibus virulentissimis admorsi, quamvis totos exhausissent cum Tamao Pados, Rhodanos, Nilos, nec in minimo tamen eam extinxissent, in compassionem acti estis, tantam inspiciendo miseriam; Hodie oro, ut eandem misericordiam exhibeatis ei, qui Adamo ab infernali serpente infecto è cælis descendit, aquas in hoc mundo reperturus. Quas dum non invenit, ab inurbanâ Samaritanâ, tamquam externus rejectus, à te quiscunque sis, velut amico, illas postulat, dicens; *Da mihi bibere.* O summum meum bonum! Aerem mutasti: Mox ut è cælo in præsepium descendisti, amor tuus continuam tibi febrem ingessit, quæ continuas te aquas petere fecit; Natus es in hieme, sed tibi versa est in æstatem. Mediâ nocte, & facta est tibi calentissima meridies. Jordano te immersisti, & adhuc torres, prope mare degis, & acrius inflammaris. Imo sciens cor humanum comgelatum, sub speciebus sacramentalibus panis & vini aridus lates. Et quamvis tot frigoribus te opponas, non tamen video hoc medio paroxismum minui. Ex nimiâ tuâ siti colligo, quod accessio fiat in meridie. *Erat hora quasi sexta.* Illa enim horâ sitiisti hodie, dum potum rogas, & etiam in Cruce, dum clamares, *Sitio.*

Pater tuus, qui morbum tuum agnovit, cor tuum malo medendo, velut insulam inter aquas locavit, nec desistere voluit, quousque latus tuum videret apertum, & tamen hæ aquæ: *Non potuerunt extinguere charitatem.* Obstiterunt, ne tuus ignis te redigeret in cineres, non tamen in minimo ardorem minuerunt. Sitis tua nihil remisit, & tamen omnibus potum offers: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat.* Negari nequit, quin magnus fueris potator, non tamen eo sensu, quo id hostes tibi objecerunt. Paucis horis epotasti calicem, quem tuus Pater te extremo consolaturus, tibi porrexit, & tantâ aviditate eum exhausisti, ita ut eum ferme in caput Petri impegeris, eumque Sathanam vocaris, quod manibus tuis eium eripere vellet.

Cum videreris mori præsiti, nihil loqui scivisti, nisi de aquis. Aquas promisisti: *Flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Aquas gratiæ promisisti; *Dedisset tibi aquam vivam.* Aquas medicinales; *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Igni destinatus fuisti, & tamen non nisi cum aquis quasi iocari scivisti. In aqua primum patrasti miraculum in nuptiis Canæ Galilææ. In aquis primum sacramentum ecclesiæ instituisti, ab aquis vocasti discipulos, aquis præter cæcum natum sanasti leprosos. Verum cum hæc potius sint testes tuæ sitis, quam refrigerationis, video te mori præsiti. Ast enimvero, ego hoc permittam? Nequaquam. Etenim si Agar videns in utre deficere aquam, abivit ne videret filium siti extingui, ego tamen erga te, qui meus es pater, maiorem affectum demonstrare debeo. Et cum à sanctis tibi amicioribus intelligam, lacrymas esse unicum remedium tuæ sitis. Tu vere Samson hodie ex mandibulâ tui iumenti salientem elice fontem; vel fac me hodie novellum Moysen, mihique virgam tuorum sanctorum concede verborum, ut trino vehementi ictu, hoc est tribus fortibus argumentis, lapides nostrorum cordium percutiam, & aquas tam ubertim eliciam, ut plené satiari possis, & aquas suas incivili Samaritanæ relinquas.

Ioan. 4.

PARS PRIMA.

II. Nollem hodie hic aliquem adesse, qui eodem laboraret morbo quo Monachus ille Monasterii Salvatoris, ut refert Petrus Damianus, qui cum aures aliis discursibus facillimas præberet, ut tamen nomen lacrymarum vel pœnitentiæ audivit, tam alto corripiebatur lethargo, ut nullis vocibus vel percussionibus excitaretur. Sed quomodo horũ non sint plures quam duo, cum totus mundus talibus sit plenus? Annon, O Præcursor Domini tu hoc intellexisti, qui in deserto pœnitentiam prædicasti? Qui ecclesiam urbis alicuius in desertum vult convertere, hoc tantum tractet argumentum. Conciones S. Vincentii Ferrerii, quarum commune erat hoc thema: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum DEI,* Apud modernos non referrent plausum. Omnes, ægrotamus, & quod pessimum est, nolumus de medicina audire. Lacrymas nihilo melius impendimus, quam impendamus reliqua nostra. Lacrymas, quas vocaverat Chrysostomus *lacrymas philosophiæ.* Quæ impenduntur non nisi iuxta meritum loci, temporis, & occasionis, rarissimæ sunt, & rariores Gemmis Eritræ. Illud Augustini verissimum est; *Nescit flere, qui flenda committit, & cum sit ipse lacrymabilis, non habet pœnæ lacrymas suæ.*

Epist. 8. ad Pandulph. c. 10.

Ex eius ... auctore.

Hom. 12 ... Epist. ad ... Ioss.

Serm. 7 ... Psal. 11...

O corda lapidea! profecto hac vice percussa non scintillas, sed guttas eliquare debetis, quod si non plangatis, ut vobis devinciatis hospitem tam nobilem qui efflictim solamen suæ siti rogitat, plorabunt loco vestro hi lapides, & ego offensus vestrâ sterilitate, argumentum adducam, quo probabo ob id plangendum vobis, quia non plangitis, dicendo cuique, *Si non luges, propter hoc luge.*

Climacus gradu ...

Sed

Sed nunc ultra debitum, ictum in aere suspendo. Primo ergo ictu percutio, vobisque inculco jam convenientissimum esse, ut spongiam adhibeatis, dum continuo maculas augetis, ut nunc tandem venena per oculos effundatis, quæ cor ad satietatem bibit, ut nunc secundam post naufragium tabulam prehenseris, ut in tàm gravi languore ad medelas recurratis. Non urgeo, ut à Magdalenis, Thaidis, Pelagiis hanc medicinam addiscadis: Alios dat vobis Pædagogos Tertullianus: *Cervus sagittâ transfixus scit sibi dietamno medendum; Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua Chelidonia; peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam?* Quid indecentius, quam quod in reliquis adeo immutabiles, in solo tamen affectu erga peccata adeo obfirmati simus? *Lib. de pœnitentia.*

III. Sumus homines, & non Dæmones, ergo aliquando mala commissa plangenda, & non continuo peccata adaugenda. Quod bullities, & fervor passionum ita intendatur, ut degeneret in phrœnesin, quod nos totos effundamus in id quod delectat, quod omne id quod est utile negligamus, Deum exagitat, & ad bilem movet, non tamen ita, quod omni compassione exvatur, cum tandem ipse sit: *Qui cognovit figmentum nostrum.* Non ignorat nostrum Microcosmum suos pati manes, & turbines, ventos, tonitrua, fulmina, quæ eum possint proterere, conquassare, accendere, & flammis haurire. *Psal. 102. 14.*

Enimvero, quod nubes, quæ obduxit rationem nunquam resolvatur in pluviam lacrymarum, quod sanguine congelato adhuc sis tui cerebri & obstinatus, quod inter lucida intervalla tuarum stultitiarum non plangas, & post tot peccata commissa, nec semel pedibus DEI adsternaris, ut te reum proclames, DEUS cernit non esse fragilitatem humanam, sed obstinationem Diabolicam, cui nec potest, nec debet, nec vult propitiari. Huc adsis peccator, qui tot errata in libro DEI notata habes, nunquam studuisti lacrymam fundere ut illa oblitterares, An non judicas decens esse, post tam diutinum bellum contra DEUM, in infinitum te fortiorem caduceatores mittere, qui pacem rogent, cum te hostili potentiæ imparem videas? Sequere consilium Gregorii: *Mitte ad eum legationem lacrymas tuas, rogans ea quæ pacis sunt.* Non es surdus, ut audire non possis Jeremiam clamantem: *Nunquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es, & fecisti mala, & potuisti.* Ergone jam desiderium concepisti? *Ergo saltem amodo voca me pater meus.* Nunc ad pravum habitum qui te vincivit dic: *Dimitte me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar.* Fui filius prodigus, dum me, & mea tam enormiter dissipavi; cur ergo etiam non talis sim, recurramque ad patrem maxime cum juxta Chrysologum: *Ego perdidi quod erat filij, ille quod patris.* *In illud Luc. 14. legat: mitt. roga.* *Ierem. 3.*

Ser. 2. de prodigo. *patris est non amisit?* Nunc in fine satius est tarde, quam nunquam: quia *Epist. ad Lat.* juxta Hieronymum: *Nunquam sera est conuersio.* Et merito, quia ut inquit *In psal. 6.* Augustinus: *Semper inueniet Deum paratum.*

Lacrymæ, lacrymæ vos non proditis, sed scitote, quod nunquam melius possetis impendi. Fidem aliquam meretur Tertullianus, dicens, Hoc esse unicum bonum, quod ex malo perpetrato colligitur, nempe quod melius, & justius non possimus quam ob illud lacrymari. Quod si ergo natura præceps in vitia ruit, cur similiter non semel in lacrymas resolvatur? Sunt plures cæli incolæ, qui gravius quam nos peccarunt, sed si eos peccando imitati simus, cur non sequamus pœnitentes? Insignis est nostra discretio, inquit Ambrosius, Peccat *Apolo. de David.* David, *& pro uno peccato miserationum multitudinem deprecatur*; peccamus nos, *& pro pluribus peccatis vix semel eius misericordiam credimus obsecrandam.* Peccat *Hom. ult. in 2. ad Corrin.* Paulus, inquit Chrysostomus, & quamvis per baptissimum omnia expuncta fuerint, tamen in litteris suis: *Peccata sua, vel nemine impellente perpetuo versat, examinatque.* Nos vero, qui collo tenus maculis immersi jacemus. *Ne integra quidem hora patimur animam nostram afflictione mœroris huius astringi.*

IV. In omnibus aliis, pronissimi ad lacrymas sumus. Moritur uxor, & quamvis ipso die ad secundas nuptias transire possis, eruis tibi oculos, desperas, animo cadis. Moritur anima, nec cogitationes quidem atris indueres vestibus; imo rides, & tripudias. Aliis comprateris, tibi interim durus, & ut dicit Chrysostomus. *Non extribes animæ tuæ, quod exhibes carni alienæ.* *De compunct.* Sanitas in discrimine est, advocantur medici. Est qui bona surripit, confugis ad amicos, gratia principis effusa est, multiplicas intercessores, nullum damnum oculis siccis contueris, sola damna æterna non deploras. In tribunali Divinæ justitiæ omnes prætensiones, quos in cælum habes, sunt annullatæ, nec commoveris. Litem amissam, & non salutem æternam perditam deplorabis. Et quid quæso est miserius, inquit Chrysostomus; *ut hi quidem qui filios, & uxores lugent ad nihil aliud occupent mentem suam, nos vero quibus salus mortua, & regni cælorum spes extincta est, omnia magis, quam illa cogitemus?* *Lib. 1. compunct. c. 11.*

Hac vice saltem cum Ezechiâ ad murum nos convertamus, ac animæ mortem lugeamus. Lacrymæ quibus animæ nostræ parentalia facimus, à quolibet videri possunt, nec est quod earum nos pudeat. Hoc solum, quod ea deploramus quorum possessio non reddit beatos, nec amissio miseros, ob eaque oculos in lacrymas resolvamus, irremissibile est. Maxima injustitia est lacrymis deplorare alios, & Christus, cui alias lacrymæ gratæ sunt, hoc pati non potest, ideoque illud mulieribus Hierosolymitanis in os obiicit. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* *Lucæ*

Corda

Corda obſtinata, ergone adhuc indurata eſtis ad hos ictus? Tenete veſtras aquas, & more ſolito vivarium ſpinoſum irrigate opes amiſſas plorate, ſanè dolor veſter non lenietur. Temporum plangite miſeriam, illam tamen non emendabitis. Mortuum lugete amicum, eum non reſuſcitabitis. Solam gratiam Dei amiſſam dolete, & eam cum majori jure ad gloriam recuperabitis. Dole vulneratam conſcientiam, & eam ſtatim cum electuario vitæ curabis. Dole animæ ruinam, & eam continuò reſtaurabis. Hoc cunctipotente inſtrumento omnem ſtragem reſtaurabis. Quid faciam Domine? Cibos tibi afferunt Apoſtoli, & tu dicis, quod jam cibos habeas, potum tibi interim dare non poſſum. Animæ noſtræ ſimiles ſunt Samaritanæ, quæ verba pro aqua, quam poſcis tibi dant.
62. v. 3. Veniſti ad *terram deſertam, & inviam, & inaquoſam.* Quod ſi fores moribunda Dido, miſeria tua non viſa, ſed ſolum lecta, cum Auguſtino necdum ſancto, nobis torrentes & nimbos lacrymarum exciret. Verum, cum tu tuas omnes profundas in miſerias fictas, quibusne deplorare poteris veras?

V. Huc, huc adſis virga, altera vice hæc marmora percutere volo, nec offendamini, quod primo ictu nil effecerim, ſiquidem non eſt culpa, uti in Moyſe, attribuenda fidei meæ debili, ſed veſtræ indomabili duritiei. Quod ſi necdum moti, ac flexi ſimus convenientiis adeò rationabilibus, moveamur ad minus commodis tam evidentibus, quæ nobis ex lacrymis, tam bene impenſis provenient. *Quanta*, inquit
Gradu 7. Climachus, *ſit lacrymarum utilitas, in tempore noſtræ migrationis agnoſcemus.* Ego tamen, qui illum articulum expectare nolo, quo illud bonum conſiderem, cum tunc non ſit tempus illud conquirendi, jam à vinitoribus, & agricolis peritioribus in vinea Dei diſcere volo, quam ſit utile animabus noſtris, ſi aquis tam ſanctis irrigentur. Animæ benedictæ, quæ quanto plus corde aſſiſtis, tanto magis oculis maduiſtis, vos eſtis felices Alembici, è quibus Deus quintam eſſentiam florum gratiarum ſuarum eliquavit. Quid cenſetis de theſauro in oculis noſtris repoſito? Ego dico, inquit Climachus, quod *luctus eſt præcurſor beatiſſimæ tranquillitatis.* Et Clim. ibid.
ego, inquit Baſilius Seleucius, quod ſit *peccatorum valetudinarium.* Et ego, addit Hugo Cardinalis, quod ſit *mentis humanæ baptiſterium.* Et ego, dicit Petrus Damianus, quod ſit *adeps pietatis.* Et ego, concludit Petrus Cellenſis, quod ſit *naufragium vitiorum, & portus naufragatorum.* Sed, dilectiſſimi Patres, unde tam illuſtres hauſiſtis metaphoras? Siſtite, ego vos apud Auditores meos commendabo, ac oſtendam, quod eſto dicatis de lacrymarum aqua, quod aut faciat, aut inveniat Paradiſum, non tamen poſſitis exprimere, quam utilis ſit.

Seleuc. orat. 17. Hugo in c. 5. Matth. Damian. ſerm. 29. Cellenſ. lib. de pan.

VI. Si quis poſſet à vobis abigere dæmones, an non creditis, quod multum efficeret? Verum, qui poſſet eos occidere, an non plus præſtaret? An forſan ſit in hoc mundo dæmon, qui hac aquâ aſperſus non fugiat? *Contribulaſti*, inquiebat David, *capita draconum in aquis.* Quæ verba interpretatus Urbanus quartus dicebat: *In diluvio lacrymarum.* Serpentes orcini ſunt ſi- Pſ. 73. v. 13.

miles viperis, & aspidibus, de quibus Tertullianus ita perhibet: *Vipera, & aspides arida, & inaquosa sectantur.* Illa bellua, quæ, juxta Job, omnia flumina absorbet, hunc sanctum Jordanum frustra aggreditur. Quinimo, si credimus Abbati Cellensi, dæmon *flumina omnia absorbet, sed rumpuntur ventris ejus interiora, si conspersa fuerint hac aquâ.*

Lib. de Baptism. cap. 1.

Lib. de panib. cap. 12.

Utinam quis posset ex libris divinæ justitiæ, maxima delere debita, quibus sumus obstricti! Sed quid? An forsan hæc aqua id non possit? Quinimo Hanc enim aptissimam ad eluendas omnes maculas peccatorum expertus est ille Studiosus apud Cæsarium. Parisiis ultra modum Conscientiam sceleribus onerarat, ita, ut illa Confessario pandere exhorresceret, illa tamen mens ei injecta est, ut omnium scelerum rationes ad calculum revocaret, & in charta scriberet, quod dum factitaret plangendo unum post aliud peccatum, prout illa scribebat, deleri, & elui vidit. Utinam innocentiæ baptismali restitui possemus! Nec enim dubitem, quin aliquis exultaret præ gaudio ob securitatem gratiæ, de qua alias tam prudenter dubitamus. Sed quid?

Lib. 2. c. 10.

An forsan lacrymæ non sunt alter Baptismus, non minus efficax primo? Quinimo. Sic enim eas æstimat Nazianzenus, Chrysostomus, Leo, Isidorus, Climachus, Bernardus, ut alios taceam. Anabaptistæ esse possumus simul & boni Catholici. Ad hoc hortatur nos sanctus Laurentius Episcopus Novariensis: *Nolite iam quærere, neque Ioannem, neque Iordanem, ipse tibi esto Baptista.* Ne ergo negligamus has aquas, quæ ideò datæ sunt oculis nostris. Utinam quis posset è domo sua immediatè transire in cælum, martyrum laureolâ donatus absque gladiorum, fustium, equuleorum perpessione! Id tamen fieri posse testatur Pater aureus: Dicam tibi, inquit, *quid valeant lacrymæ? Attende diligentius, martyres effundunt sangvinem, peccatores effundunt lacrymas.* Quod ut bene explicemus, dicere voluit æquè contritione, ac martyrio nos effici martyres, Deoque non minus gratam esse effusionem lacrymarum, quam sangvinis.

Serm. de Pœnitent.

In ps. 40.

VII. Quomodo autem fieri possit, ut hæc commoda lacrymarum credamus, nec tamen plangamus? O [N. N.] audite, quid dicat Nazianzenus: *Dilecti filii, in lacrymis animas vestras possidete.* Possumus non minus per Pœnitentiam eas possidere, & tamen rogari volumus, ut duas lacrymas spargamus animabus redimendis. Quid dico redimendis? Quinimo pelli volumus, ut meliori loco in Cælo donemur, & Dei erga nos affectionem acquiramus.

Orat. de pl. grandin.

Persistamus in nostra pravissima avaritia, in valle Josaphat mundiora nobis comparebunt ipsa publica scorta, suis lacrymis abluta, ac inter illa, illud, quod teste Jacobo Vitriaco, in quadam concione compunctum, & contritum, præ nimio dolore expiravit, tam exactè patricidium, ac neces aliorum delevit, ut populus, pro ejus anima orans, cælesti voce impeditus fuerit: *Non est opus ut oretis pro ipsa, ipsa magis orabit pro vobis.* Ergo, ô gloriosissime Chrysostome, verum est, quod tu dicis: *Nihil ita conglutinat, atque unit Deo, ut illæ lacrymæ, quas & peccati dolor, & amor*

Apud Mazarin. 10. psalm. 50.

Hom. 6. in Matth.

mor virtutis effundit. Id confirmat Petrus Damianus, asserens bonum pastorem, qui quæsiturus ovem perditam, nonaginta novem in tuto positas, ut potè cum Joanne in sinu ejus reconditas, reliquit, ut eam invenit, in suis abdidit visceribus: *Novit affectuosis officiis inviscerare sibi peccatorem, donec vitæ reddatur.* erm. 29.

Scimus, Domine, quod si aliquibus partialis sis, te peccatoribus partialem esse, qui tuam sitim lacrymis solantur. Non absque caussa dixit contritus Manasses: *Tu es pœnitentium Deus.* Adeò bonus es, ut iis, qui te offenderunt, magis affici videaris. Id non malè observavit Ostiensis Cardinalis: *Consvevit Deus honorare pœnitentes magis, quam innocentes.* Sufficit, ut, quis se reum accuset, & statim judicis personam ponis, & ejus advocatum agis. Ita statim pro Achab converso apud Eliam intercessisti: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* Videamus, quibus thesauros maximos committas: Ecclesiam, tuam sponsam, consignas Petro, qui tè negavit. Arcana tertii cæli Paulo, qui te persequebatur. Theologiæ abditissima Augustino, qui tot peccatis te inhonoravit, ut nil dicam de aliis. Nos tamen non movemur, nec lacrymas promimus, quibus intoxicemus dæmonem, ardores inferni restingvamus, Paradisum coemamus. Plangimus, quia hic non æstimamur, ibi non videmur, pecuniæ deficiunt, miseriæ accrescunt, amici diffluunt, proles moriuntur.

i sua ora-ne. tr. Dam. rm. 56. Reg. 21.

VIII. O Marmora, ô Jaspides, ô Adamantes, ne certetis cum nostra duritie, quia perdetis. Quatuor guttas lacrymarum fundamus, ne perdamus animam, quæ nunquam reviviscit, regnum, quod nunquam recuperatur, DEUM, qui nunquam amplius sibi se communicabit. Vos cœci, influxibus sinistris nos exagitate. Elementa sævis ictibus nos conficite. Morbi corpus torqueant. Animorum angores crucient. Nam nil est adversi, quod non mereamur, dum illud remedium negligimus, quo adhibito, si immergeremus nos in hac sacra stygia palude, evaderemus in Achilles omni ferro impenitrabiles. Valde injurii sumus sancto Maximo, qui defendit, quod *Pœnitentiæ fructus est impassibilitas animæ.* In Cat. in c. 3. Matth. ver. 8.

Non possum capere, cur tam grandis in nobis sit ariditas, cum tamen nati simus ad plorandum, potius ex vitio naturæ, quam effectu incantationis. Verum vobis juro corda indurata, ego caussam adducam, cur, tot fortibus argumentis percussa, adhuc sitis tam dura. Ego sine multis exorcismis illam profero. Ecce eam. Hæc falsa opinio in animo nostro radices egit, quod lacrymæ fusæ delendis peccatis sint adeò amaræ, sicut aliæ, quibus alia plangimus, & ideò, ut brevem effugiamus molestiam, æternæ renuntiamus felicitati. O nos imprudentes! Quam crassè erramus! Res censemus, quas non probavimus. Bona deserimus, antequam ea examinemus. Plus deferimus phantasiæ nostræ, quam æternæ Veritati, quæ clamat: *Beati, qui lugent.* Matth. 5.

Lapides, & duri lapides, crudeles, & indomabiles lapides! Condono vobis, quod ad primum ictum con-

venientiæ, & secundum utilitatis non sitis scissi; sed nunc ad tertium venio, & ostendo delectationem summam lacrymis inesse. Quæso vos, ne diutius Deum meum siti torqueri patiamini, quia alias totus confusus, & mortificatus à vobis abibo.

IX. Quod si expertus fuisses cum Augustino, quod *dulciores sunt lacrymæ pœnitentium, quam gaudia theatrorum.* Sanè indigeres aliquo, qui tibi eas abstergeret, & non, qui eas eliceret. Sed quia necdum id probasti, cui melius id credere potes, quam ei, qui diutinâ id experientiâ didicit? Audi Chrysostomum: *Sciunt, qui lugent, quantam hæc res habeat consolationem.* Interroga parumper Climachum, tu, qui quotidie tripudiare velles, ille tibi citò respondebit: *Qui ex jugi luctu in Deum proficit, is epulari quotidie, & festa celebrare non desinit.* Quære paulisper à sancto sene Machario, quænam sit consolatio solidissima, quam possit habere Christianus in mundo, & dicet: *Habent Christiani consolationem spiritus lacrymas, suntque illis lacrymæ delitiarum loco.* Interroga sanctum Antiochum, Ephrem, Chrysostomum, quænam sit summa dulcedo, quam anima exul gustare possit, antequam Cælum intret? Primus replicabit. *Rorulentæ aspergines lacrymarum ut dulcor mellis sunt cordi.* Secundus: *Certò scitote fratres, non fore in terra quid dulcius lacrymis.* Et tertius: *Nulla res est æquè jucunda, atque luctus, qui est ex Deo.*

Hom. 12. in epist. ad Col.
Climach. grad. 7.
Macchar. senior. hom. 15.
Hom. 107.
Antioch. orat. de extrem. judic. tom. 1.
Hom. 19. in epist. ad Eph.
Hom. 15 in Matth.

Experire paulisper num viri fide dignissimi, sicut non errant in reliquis, in hoc verum dicant. *Si vis*, inquit Chrysostomus, *consolari, luge, neque putes ænigma esse, quod dixi.* Et quid tibi tale experimentum nocere queat? Prome, prome lacrymas, quæ DEO testentur te non peccare adeò ex malitia, quam ex fragilitate. *Cape occasionem,* inquit Tertullianus, *inopinatæ felicitatis.* *De pœnit. cap. 8.* Ne patiaris in extremo die judicii tibi objici: *Sitivi, & non dedistis mihi bibere,* *Matth. 25* cum in oculis habueris lacrymas, unicum refocillamentum sitis meæ. Si sit indecens, quod meam semper irrites vindictam, vel unica vice me placare contende, & hoc lacrymis. Quod si præter convenientiam, ac utilitatem tam grandem etiam videas jucunditatem adeò delectabilem. Dico, quod nec Deum, nec te cures, si oculis siccis me auscultes.

Intelligisne mi frater, quid dicam? Certè valde dubito. Dic Sodes, quid tibi constat, quod vel semel te huic immergas Jordano? Cur ergo cum Naaman, eadem infectus leprâ, exis Ecclesiam, quam conspersus introivisti? Faxit Deus, ut evadas infernum; sed quid eveniet, si semel in illo te deprehendas? Qualis non erit dolor, dum recordaberis, quod cum potueris per quatuor lacrymas extingvere flammas illas æternas, ex mero humano respectu nolueris illud facere. Plange, plange, cum brevi planctu possis mereri æternum risum. Ostende te esse hominem, qui proinde pœnitet, & non dæmonem, qui quotidie perversior fit. *Deduc quasi torrentem lacrymas, & non taceat pupilla oculi tui.* *Thren.* Dum ego interim sileo.

PARS SECUNDA.

X. SAnctus Ambrosius de Samaritana observat, quod *ad civitatem non fert hydriam, sed refert gratiam; vacua quidem*

quidem videtur reverti onere, sed plena revertitur Sanctitate. Ita optarem, vobiscum, Auditores, fieret. Christus dabit vobis suas aquas, si vos detis vestras. Pauci nostrum sunt, qui non quandoque Deum graviter offenderunt, si ergo optent remissionem, quem meliorem possumus habere advocatum, quam lacrymas, quæ, juxta Ambrosium, *veniam non postulant, sed merentur?* Et iuxta Hugonem Cardinalem, *violenta sunt in precibus.*

Lib. 10 in Luc. cap. 5. Iudith.

Ut hoc confirmem, memini me legisse, quod Frater Raymundus à Capua sanctam rogarit Catharinam Senensem, cui erat à confessionibus, à Deo sibi veniam, ac indulgentiam plenariam peccatorum obtineret; Sancta votis ejus annuit, virque religiosus tantos profudit nimbos lacrymarum, ut putarit cor sibi rumpendum; unde illi cò ad eam recurrit, flagitans ab oratione cessaret. Destitit illa dicens: *Hæc est bulla indulgentiæ, quam tibi Dominus misit.*

In ejus vita Bellarm. l. 3. c. 1. de gemitu.

Exeat nunc aliquis, & dicat, nescio, quid non darem, si Deus mihi peccata condonasset. Si plangere velis, ego te assecurare volo. Nec me temerarium proclames, quia nihil faciam, quod ante me non fecit magnus sanctus Abraham Eremita. Hic, ut refert sanctus Ephrem, ad frugem ut reduceret quandam suam consangvineam, quæ inter meretrices pudicitiam prostituerat, militaribus vestibus indutus eam adivit, ac desperabundam animavit *Super me sit iniquitas tua, filia mea; ex meis manibus Deus hoc peccatum requirat; tantummodo veni mecum.* Assecuro te cum Augustino: *Tu peccatum tuum ante faciem tuam converte, si vis, ut inde Deus faciem suam avertat.*

Ephrem in ejus vita.

Psalm. 50.

Peccatores, peccatores, errorem pellite, aut plangendum, aut ardendum; ut enim inquit Præsul Antiochenus: *Ecclesia Dei non mittit ad Dominum, nisi ex magna tribulatione, ex planctu, ex fletu.* Si velis effugere ignem, per has aquas transeundum. Hinc vellem, ut, insistens consilio sancti Hieronymi, domi quendam sacellum haberes, *in quem, velut in portum quasi, ex multa tempestate curarum te recipias, &, excitatos foris cogitationum fluctus, secreta tranquillitate componas.* Specialiter verò crucifixo adstratus diceres: *Heu mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea; quid faciam miser? quo fugiam, nisi ad te, DEVS meus?* Quousque, Domine, ego tibi rebellis vivam? Ergone inter nos nunquam pax coalescet? Illam ini, si velis salvari. *Cogitate,* clamat Gregorius, *quid facitis, cogitate, quid fecistis.* Nec dicas te tam multo tempore à peccatis cessasse; quia unicum peccatum sufficit, ut totâ vitâ deploretur.

Hom. de Iephte.

Epist. ad Celantiam.

Hom. 34. in Evang.

Quinimo, ut inquit Augustinus, *quanto quisque sanctior est, tanto sit ejus in orando fletus uberior.* Ipsemet Sanctus post tot annos, in summa vitæ sanctimonia transactos, psalmos, quos pœnitentiales vocant, sibi, morti vicinus, prælegi curavit, & pauxillum lacrymarum, quod ei supererat, Deo pro solutione debitorum antiquorum persolvit. Sanctus Abbas Sisois, cum morte luctans, ut Christum conspexit, cum aula cælesti sibi obviam procedentem, ut ad Cælum deduceretur, adhuc paululum temporis ad plangendum efflagitavit. Quomodo ergo nos unica

Lib. 20. de Civit. c. 17.

contusione pectoris credamus tot spurcitias, furta, & delicta deleta?

O nobilissime Domine, qui Conscientiam tot enormibus facinoribus gravatam habes, qui adolescentiam in peccatis combussisti, nec quicquam minus, quam Pœnitentiam, cogitasti, quomodo tibi persvadere potes solis Carthusianis, ac Religiosis, vel aliis pauperculis, esse pœnitendum, & plangendum? Quomodo non daberis in ruborem, dum Deus tibi ostendet, esse verissimum illud Ambrosii, quod *incidisse in culpam natura est, dolere virtutis?* (*Lib. 1. de David.*) Tibi sub oculos ponet Philippum Comitem Namurcensem, Balduini Comitis Flandriæ, filium, hic, ut errores suos plangeret, à famulis suis instar canis per plateas se trahi curavit, dicens: *Sicut canis vixi, dignum est, ut sicut canis moriar.* (*Cæsar. lib. 2. cap. 18.*) Othonem tibi proponet Imperatorem, qui, cum amplius se verberare non posset, ab Episcopis toto corpore flagris excipi petiit, ut ita defectum lacrymarum sangvine compensaret. (*Ex specul. exemplor.*) Anteponet Theodosium illum magnanimum Cæsarem, qui nullo non die anniversarium animæ suæ potius, quam eorum, qui suo iussu Thessalonicæ occubuerant celebrabat. Ita perhibet de eo Ambrosius: *Nullus postea dies fuit, quo non illum lugeret terrorem.* (*Orat. in ejus obitu.*)

Verum eheu! Quid hodie feci? Ut siti tuæ potum quærerem mi DEUS, tot, & tot mysteria hodierni Evangelii ponderare neglexi. Porro, si ego ante te comparea͂, & à me etiam haustum aquæ petas, non possum aliud dicere, quam illud Davidicum: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* (*Psalm. 6.*) In summa, pro te nulla est aqua. Sed quid? Ergone in tam conferta multitudine, ad percussiones tam vehementes nemo in lacrymas prorupit? Iterum, iterum in nomine meo hos percute lapides; nam ego tuas excusationes non admitto. Lugent mortes aliorum, cur ergo non lugeant, & propriam? Animam, quam perdiderunt peccando, sanitate, fama, opibus, quarum iacturam tam seriò deflent, pretiosior est. Corda obstinata, audite, quid Deus dicat. Cur fidem verbis illius non adhibetis, quam meis denegatis? Ictus præteritos repetere nolo. Porro quod si aliorum lacrymæ forsan tuas provocent, audi memorandam historiam, omnia argumenta, quæ duritiem quamcunque emollire sufficiant, superantem.

Audivistisne unquam nomen Margaritæ de Cortona? Hæc puella, à domo paterna profuga, formam suam libidinibus deturpando, corpus suum cuidam domino venale fecerat. (*Ex ejus*...) Accidit, ut quadam die canis domum reverteretur, domino emanente, illicò vestes Margaritæ animalculum illud vellicare cœpit, ac nutibus magnum arcanum sese monstrare velle insinuans, eam invitat, ut sequatur. Illa, gesticulationes has videns, ut erat suspitiosa, conturbatur, caniculumque abigit. Bestiola è vestigio resilit, oram vestis dentibus vellicat, donec Margarita, quid rei lateat, visura sequeretur. Mi Deus, iam sciebam, quod venatione delectareris, quodque, ut ferinas animas nostras sauciares, arcu, & sagittis instructus sis. At hodie, quod per caniculos nos etiam convertere velis, deprehendo.

Fidum ducem sequitur Margarita,

cunque

cumq; pervenisset ad struem quandam lignorum, seu ramorum, bestiola desolata, latratu, nutibus gesticulatione pedum, motu caudę, capitis agitatione innuere cœpit, ramos illos tolleret, videretque, quid sub illis lateret. Paret illa; & en, sub iis cadaver infelicis sui Amasii, ab inimicis occisi, saucium, sangvine deformatum, & lividum, hæc ad eam perorare videbatur: Tui causâ hic iaceo. Sed hoc nihil est, propter te æternis flammis irrevocabiliter sum addictus. O stultam, quæ *proiecisti margaritas ante porcos*, sed te felicem, quod peccata delere per Pœnitentiam possis. Amor lascivus in tam funesto spectaculo personam suam agere volebat, sed Divinus illi lacrymas, & verba præscidit. Pœnitens Matrona in alterius suppliciis suas culpas legit immanes, & cum filio prodigo ad parentem reverti decrevit. Verū indiscretus senex, vice amplexuum, ianuas in faciem ei occlusit. E patria sua Lavianiensi cum filio quem è suo Amasio susceperat Cortonam se contulit, & à fratribus Minoribus Tertio instituto, quod de Pœnitentia vocant, admitti obnixè rogavit. Ast cum hi non statim eius votis annuerent sed primò quidē totis animis reluctarentur, indecorum censentes, tam impurum ignem tegi tam sanctis cineribus, parum abfuit, quin desperata in antiquam sylvā iret.

Negotiator tamen cælestis qui, *inventa una pretiosa margarita*, eam nō voluit perdere illi inspiravit ut pro patre terreno cœlestem eligeret eiusque gratiis se dignam faceret holocaustum lacrymarum ei quotidie offerendo. O filia mea quam rectè rem tangis! Veram viam invenisti. Deum inveniendi, non multū aberit & Magdalena te in suam sodalem admittet. Huc concurrite peccatores & videte an aliquid tam efficax sit quam lacrymæ ad Deum coemendum. Post paucos dies Christus è cruce pendens ante quam prostrata gratiam sibi fieri postulabat blandè eam compellans dixit: Quid vis ô misella? Siste Domine. Quod si Pharisæi à me sciscitentur: *Quare cum peccatoribus manducat Magister vester?* Respondebo te eorum lacrymis mirè delectari. In nuptiis, quibus interfuisti, vino deficiente, aqua semper abundavit.

Scisne, qualis illa sit? Cur ergo sic loqueris? Et cui quæso tu excires lacrymas, cum tibi sint aquæ fluvii Lethe, quæ præterita è mente delentes te sancto amore inebriant. Sed quæso vos ad Margaritam redeamus. Nemo melius, quam ipsa potuit dicere cum Davide: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* Et quasi propriæ non sufficerent alienas rogavit & quemcunq; obviū interrogabat num crederet Deum sibi tam grandi peccatrici propitium fieri posse?

Posteaquàm verò quibusdam honoratis Matronis in culina utensilibus lavandis serviret tam heroicos actus eliciebat contritionis ut aliæ dum nerent, fila ducerent, cantantes prę compassione eam secum vellent, ut ab eius oculis lacrymas addiscerent. Novella Thaidis nunquam oculos elevabat, vel alicuius vultum notabat. Quadam nocte dum, nescio quo ventulo vanæ gloriæ pulsaretur, foras prorumpebat & clamabat: Vos Cives Cortonenses, me abigite ex vestra urbe, procul facite, lapidibus eiicite, quia ego sum illa infamis,

mis, quæ tot ſceleribus, ſingula ordine recenſendo, ac ſi confiteretur, me contaminavi. Miſerabiles nos, quid ad hæc dicemus? Margarita non amplius lacrymas, ſed ſangvinem ſpargit, quod neſcio, an de alio legatur.

Et nos, qui ſumus prodigium perverſitatis, nec ſemel in anno compungemur? Porro, hic totus adſit mundus, & videat, quid illa his lacrymis conquiſierit. Dominium obtinuit in cor Dei, ita, ut, præter frequentes viſitationes Deiparæ, ſanctorum Angelorum, Chriſtus per viginti annos, quibus ejus durabat pœnitentia, ſine ipſa non poſſe vivere videretur, & Sancti ejus purgatorio, velut novo Paradiſo, delectarentur. In dubiis Chriſtus eam inſtruebat, in duellis contra dæmonem ei ſuccurrebat, in morbis ei medebatur, in paupertate eam ditabat. Divinorum attributorum eam dominam faciebat; Potentiæ, ut decem mortuos ſuſcitarit, Sapientiæ, ut futura prædixerit, Bonitatis, ut ab ea inopes abigendi eſſent, in quos omnia erogabat. Bonitatis Divinæ erat domina, quando Chriſtus dicebat eam eſſe ſuam peccatricem, in cujus converſione, mundatione, iuſtificatione, ipſe ſolus, & nemo alius inſudarat. Dum ei præbebat amarum paſſionis calicem, per plures horas inſtar mortuæ iacebat. Dum illa conquereretur, quod hæ conſolationes illi non darentur in ſecreto, Chriſtus reſpondebat: Tu es rete meum, quo peccatores piſcari volo, qui in mari mundi pereunt, nec putes, quod ſint pauci, qui ad lacrymas ſint inducti audiendo favores, quos tuis lacrymis conceſſi.

Ita eſt, mi amantiſſime Deus, ego primus ſum, qui hoc rete ſum captus. Si ita habeas eos, qui te lacrymis potant, quis ſuam felicitatem in lacrymis non collocet? O Domine, *Domine, da mihi hanc aquam.* Da mihi illas aquas, quæ è corde ad oculos manant, & ab oculis ad te veniunt. Plangamus peccatores, plangamus; hoc enim eſt utile nobis, gratum DEO; Et ſi lacrymæ ſint graves, lacrymemur parum, ne æternaliter poſtea lacrymemur.

CONCIO XXII.

PRO DOMINICA
QVARTA QVADRAGESIMAE.

Cum vidiſſet, quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? Ioann. 6.

I. INter plurimas miſerias, quibuscum noſtræ paucæ conſolationes conflictantur, paupertas eſt adeò calamitoſa, ut nec minimum mirer, ſi homines,

mines effugiendo tanto malo, cuncta bona in periculum adducant: omnia patitur, qui nihil habet, quod expendat. Inter fortunam arctam quælibet natura quamvis magna perit. Ubi desunt opes, nobilitas jacet. Ingenium sub centonibus non relucet. Gratiam sine pecunia non obtines. Meritò dicit ille Græcus: Optimum esse Jovi, quod non sit pauper; nam alias cum tota sua sapientia in nullo esset respectu, nec cum sua bonitate, ullum haberet amicum. Porro, quid dicitis de nostro sæculo, (N. N.) quod nulla re magis, quam paupertate opulentum, tantas caussat miserias, & incommoda, ut sive id sit attribuendum miseriis, quę creverunt, sive exiguæ charitati, quæ defecit; Dum vadis ad templum, alios non reperias janitores, qui te ad aures Dei introducant, quam cohortem nudorum, lacerorum, centonibus indutorum, senum decrepitorum, morti ipsi adeò in horrore, ut diceres, eos alia de causa non vivere, nisi quia eos non audet attingere, adolescentum inutilium, & langvidorum, sive per culpam naturæ, aut sortem adversæ fortunæ, mutorum, surdorum, cœcorum, usu membrorum destitutorum, hydropisi tumidorum, paralysi fermè extinctorum.

..Anth. ..l. cap. 49.

Vade per urbes, & ad quemlibet passum obvios habebis pupillos derelictos, qui eloquentes facti per summam miseriam, lacrymis suam infelicitatem magis confirmant, quam verbis describunt, miseras matres prolibus à collo hærentibus onustas, Charitatem exhiberi postulantes. Nil dico de iis, qui ad tuam domum accedunt, qui ad ostium petunt panem, ad cubiculum vestes, vel contra injurias temporum levamen, aut furias morborum refugium.

Verũ præter hanc paupertatẽ, quam videmus, alia majori compassione digna est, ea nempe, quam erubescentia occultat. Vos Sacerdotes, qui pro tribunali sedetis, me intelligitis; nam non solum estis judices peccatorum, sed & testes miseriarum, quas homines patiuntur. Vos scitis, quot sint, qui maximè dolent ob penuriam, & egestatem, vos non ignoratis, sub bombycinis vestibus latere desperationem, vobis constat necessitate arctiora jejunia, quam ab Ecclesia indicta.

Ego hodie in pulpitum prodeo, tot pauperum advocatum acturus; nam æquè mihi, ac Chrysostomo, *hi hanc provinciam injunxerunt, non sermonibus, sed miserabilibus suis spectaculis*; adeoque sustinere non possum, quod per plateas vagari videam, tot & tot millenos fratres, non solum naturâ, sed & gratiâ meos, ac vestros, summa necessitate pressos. Ipsorum multiplices miseriæ sunt mihi replicatæ instantiæ, ut eos juvem, ut quod non possum dare re, præstem verbis. In hoc ergo imitabor non Nazianzenum, qui in hoc argumento totam suam eloquentiam impendit, nec unum Augustinum, qui, dum aliter iis non posset succurrere, suo dicebat auditorio: *Exspectant aliquid pauperes, & à nobis; damus sicut possumus, & quia ad eorum implendam necessitatem idonei non sumus, vel ad vos legati ipsorum sumus.* Non Chrysostomum, qui, ut hæc legatio, quam assumpserat, efficacior esset, Paulum in collegam adscivit: *Assistat nobis fidelis in hac legatione collega Paulus,*

Hom. de collat. in Sanctos.

Orat. 20. de paup.

Serm. 5 de verbis Domini.

Hom. de Elem. & Collat. in Sanctos.

lus, pauperum præfectus, & procurator. Hic Apostolus quippe nullam scripsit epistolam, in qua non pauperes commendaret, & hoc mandatum sibi & Barnabæ ab Apostolis injunctum strictè servavit. *Injunxerunt solum, ut pauperum essemus memores, id quod facere curavi.* Ad Galat. 2. v. 10. Exemplum Christi mihi hodie ante omnia servit, dum video, quod suam providentiam in favorem pauperum famelicorum propellit: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Hoc exemplum me cogit, ut paucam facundiam, quam mihi Deus concessit, in bonum pauperum hodie impendam. Amantissime Pater miserorum, qui mihi ansam præbes, ut caussam adeò justam suscipiam, tu mihi vires tribue, ut è manibus me odientium ita elabar, ut assequendo subsidium temporale pauperibus, & salutem æternam divitibus, utrisque advocatus utilis sim.

PARS PRIMA.

II. AUditores mei, ne multum me lacessatis, ut in principio merita meorum clientum promam, quia forsan in propositiones erumperem, quæ vobis viderentur hyperbolicæ, cum tamen sint veræ; ostenderem vobis mundum nulli esse obligatiorem, quam pauperibus. Urbes, quas videtis tam amplas, domos, quas inhabitatis tam magnificas, basilicas, quas admiramini tam sumptuosas, sunt opera pauperum, qui lapides eluerunt, vel advexerunt, calcem pararunt, ligna fiderunt, ferrarunt, dolabrâ edolarunt, muros fabricarunt, & crustrarunt. Quinam abundantiam fovent, nisi illi, qui caritatem annonæ patiuntur? Panem vobis dat rusticus, qui seminat, agrum colit, qui metit. Vinum præbet vinitor, qui vitem plantat, uvas colligit, premit. Pisces debetis piscatori, qui hamo, nassa, reti piscando noctes ducit insomnes. Carnes opilionibus, qui in mandris, seu tralatitiis caulis eas contra lupos defendunt. Aurum, & argentum, quæ velut Consules totum universum regunt, & omnia faciunt, soli pauperes è fodinis effodiunt, in clibanis purgant, in bracteas, & laminas conflant, scorias amburunt, statuas ex iis efformant. Student docti, sed quia miseri pauperes nō calamis, sed ligonibus utuntur. Bellum gerit Princeps, sed pauperes annonam exercitui subministrant, Sacerdotes divinis vacant, sed pauperes eos sustentant. Nec me censuretis, si dicam mundum non posse persistere sine pauperibus, uti sine divitibus conservari nequit. Id ante me dixit S. Chrysostomus, Hom. 3. 1. ad Co & probavit tam efficaciter, ut temerarius sit, qui hoc in dubiū velit revocare.

Date mihi urbem dicit Sanctus, in qua nulli sunt pauperes, ac videbitis præ penuria eam perire. Etenim est certum, quod divites nolint arare, terram colere, lapides advehere ædibus ædificandis, texere, fila ducere, consuere vestes; Econtra urbs, in qua abundant pauperes, nullam patitur penuriam, omnes operi incumbunt, hic in officinis, ille in campis, alter in aquis, tertius in fodinis; *Unde perspicuum est, fieri non posse, ut absque pauperibus constet civitas*; Hom. 3. 1. ad Co Et ratio est evidens: *Nō enim sibi sufficient, nisi, tanquā servatores, aliquos pauperes apud se cōgregarint.*

III. An forsan possit disceptari, quinam præferendi sint, an divites, an pauperes? Nulli fit injuria, si dicamus, sub veste lacerâ, & pallio vili ordinariè integritatem virtutis, ac veram sapientiam delitescere. Alia est bonitas in tu-

guriis, quæ non est in palatiis, *Humi iacentem scelera non intrant casam.* Vitia enormia hos videntur habere elatos spiritus, ut non nisi grandibus, sese insinuent. Famem continuā patiens monstrum est, si sit impudicus. Qui lautè pascitur, ordinariè libidinosus est. Fumo non molestatur, qui raro domi habet ignem. Qui cunctis indiget, nemini injuriosus est. Qui vitæ necessariis conquirendis continuò angitur, peccatis non assvescit. Pauperes nesciunt Politiam, & ideò non moliuntur fraudes. Non quærunt honores, & ideò non aduruntur invidiâ. Non sunt honorati, & ideò non diffamant. Carent censu, & ideò nullas committunt usuras. Profecto non sine caussa S. Rex Ludovicus honori sibi duxit, quod pauperibus serviret in mensa, eorum pedes lavaret, de victu iis provideret; sciebat quippe perbellè, quod nos non capimus, nempe, quod pauperes Regib. præcellant, quod meritò à S. Laurentio intitulati sint thesauri Ecclesiæ, à S. Salviano thesauri Dei, à S. Hildeberto Advocati cunctipotentes, à S. Petro Chrysologo infallibiles assecuratores, à Joanne Chrysostomo dispensatores gratiarum, à Nazianzeno distributores sedium cælestium, à magno Ambrosio Imagines, & Vicarii Christi, ab Hieronymo viscera Christi.

S. in Trag.

[...] ejus vita [...] aliis.

[...]er. in tra[...] Hebræo[...]m.

[...] Reg. 2. v 8.

Quis credat eos esse cardines, de quibus scriptum est: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem?* Id tamen asserit magister sententiarum, qui hoc didicit ab Hebræis, qui merita infimorum putarunt esse fundamentum, quod sustentat orbem. Nec mihi dicatis, quod pauperes sint fæx urbium; nam sicut excellentiam hominum exinde deducimus, quod Deus sit factus homo, ita ex eo, quod filius Dei sit factus pauper, concludere oportet, pauperes excellentes esse. Nam non solum, ut inquit S. Valerianus, *in hac veste, cum à Magis quæreretur, inventus est, & cum in præsepio positus iaceret, sub hoc habitu apertis thesauris munera oblata suscepit.* Sed & ut pauper vixit, ut mendicus mortuus est, ut nudus resurrexit. Suspicari quippe possumus, eum in quolibet paupere delitescere, nec minus opinari possumus, quin non in mundum tali habitu vestitus redeat, uti testantur Gregorius magnus, Catharina Senensis, Theophanius, & alii in Ecclesiasticis historiis, qui eū vel famelicū paverūt, vel hospitē tecto admiserunt, aut leprosū curarunt.

Hom. 1. de Misericordia.

Ex hist. Ecclesiast.

IV. Porro, necdum dixi, quod S. Hieronymus pauperes vocet viva Dei templa, quib. præ templis materialibus honorem deferre debemus. Insuper silui, quod Chrysostomus ulterius pergat, ac dicat eos esse honorandos instar altaris, & corporis Christi. *Cū vides pauperē, corpus Christi, aram Christi te videre puta. & Eleemosynæ sacrificiū offer.* Verumenimvero, his ita stantibus, quomodo in statu politico, & Christiano pauperes tractātur? Utinā in orbē rediret ille Rex Saxonū gentilis, qui prælio victus, cū sisteretur ante Carolū M. solio Imperatoris insidentē, ut vidit pauperes miserè circa illud jacētes, Carolo in os objecit, quomodo pauperes adeò vili æstimaret, in quib. Christū cognoscebat. Quid nō diceret, si videret à mercatoribus nunquā carius vendi, quā quando pauperiores emunt? Quid nō diceret, si cerneret ministros officinarū à nullo plus exigere, quā à mēdicis eorūq; mēdicatis lucrari?

Hom. 20. in 2. ad Cor.

Petr. Dam. ep. ad Maynardum Ep.

Non loquor iis, qui indigent, ut in hoc puncto effervescam. Non ju-

dicarem hanc urbem nobilem, si in pauperes non esset profusa. Audiamus Chrysostomum: *Civitas non habens cives pios, omni villa vilior est, & quacunque spelunca ignobilior.* Habetis talem Principem, qui, si sciret inter magistratum esse illos, apud quos recommendatio divitum plus valeret, quam recommendatio Christi, quâ pauperes recommendavit, statim adhiberent remedium Imperatoris Justini, qui juxta Cedrenum, advocatus orphanorum, & misellorum factus, apud suos ministros non solum in gravi oratione protestatus est, se potius imperio cessurum, quam protectionem pupillorum Christi neglecturum; sed etiam, cum verbis nil proficere se vidit, dignitate & vita exuit illos iudices, quos reos deprehendit.

Hom. 17. ad pop.

Apud Baron. anno 5 8.

Non possum mihi persvadere, quod inter vos sit aliquis adeò impius, qui non timeat, quin in se derivet maledictiones pauperum; Si enim talis foret, ego eum cum Ecclesiastico monerem: *Cor inopis ne afflixeris, maledicentis enim tibi exaudietur deprecatio.* Faxit Deus, ne credas, orphanis non esse patrem, & viduis iudicem. Deus nuncupatur *pater orphanorum, & iudex viduarum.*

Eccl. 4. v. 3.

Psalm. 9.

V. Falsissimum est id, quod Cæsar quondam dixit suis militibus rebellibus, nempe Deo in corde solum esse Imperatores, Principes, & Reges, eumque in neglectu habere mendicos, & famelicos; nam ab omnibus derelictos, maiori charitati commendatos vult. *Tibi derelictus est pauper.* Illius curæ attendit, ac si nil aliud agendum haberet. Illum protegit, velut novus Angelus custos. Qui pauperem lædit, offendit pupillam Dei. Edic, quæso, Munstere, an non verissimum sit, quod Ado Moguntinorum Episcopus, quantumvis ad turrim Rheno cinctam confugerit, à muribus tamen insequentibus, vivus corrosus fuerit, nomenque eius in muris erasum, eo, quod pauperes in horreis flammis hausisset, dicens eos ad nil aliud in mundo aptos, quam quod victualia instar murum consumant? Edissere Genebrarde, an non Margarita, Comitissa Hollandiæ, maledictioni alicuius misellæ gravidæ involuta fuerit, dum unico partu die Veneris sancto trecentos saxaginta quatuor proles adeò minutas enixa est, ut in unico disco baptizatæ fuerint? Dic, ô Sigeberte, an non panes, quos quidam nauta mendico negavit, asserens sibi non esse nisi lapides, in petras mutati sint, dum prandere vellet? Tu ô Joannes Duegnie, suffragium des Veritati, an non, dum Episcopus parentaret alicui nobili defuncto alias probo, recitareque vellet oremus, crucifixus revulsis manibus, aures obturarit, eo, quod, erga pauperes parcus, ædes in tali loco exstruxerit, ad quas penetrare non possent? Verissimum est illud Sapientis: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

Apud Lucan. lib. 5.

Cosmogr. lib. 3.

Genebrar. in Clem.

Apud Baron. ann. 603.

In specul. tristium.

Prov. 2. v. 16.

VI. Europa, Europa, quæ tot plagis quassata extraordinariis, in ruinam extremam adduceris, ego iurarem caussam tot contagionum, bellorum, incendiorum, non esse aliam, quam illam, ob quam Salvianus sæculum, quo vixit, adeò infelix reputavit, nempe *proscriptiones orphanorum, viduarum afflictiones, pauperum cruces.* Ego mihi persvadere

Lib. de judic.

svadere

ſvadere nunquam potui, quod tot preces publicæ, & privatæ tot ſervorum Dei efficere non potuerint, quin Deus placatus enſem in vaginam reconderit; Sed quando videt, quod tot pauperes, & per bella ad incitas redacti iuſtitiam poſtulent, nec obtineant, evigilat, & è profundiſſimo lethargo excitatus dicere videtur: *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam.* Quamdiu pauperes meos melius non habueritis, ego vos peius tractabo. Vos potentes tamdiu pacem à me non ſperetis, quamdiu debiles bellis laceſſitis; Vos magnates Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, qui pacem quam deſiderabatis, non invenitis, credite Legato Amadæo, Sabaudorum Ducis, quem ad vos Rex cæleſtis ablegat: *Diligite pauperes, & Dominus dabit pacem in finibus veſtris.*

radin in oron.

Sed ſiſtamus amabò, nec enim hodie advocatum fiſcalem ago. Hic non ſum, ut foveam inimicos pauperum, ſed ut iis amicos conquiram. Eorum neceſſitati remedium flagito, & non ulciſcentiam iniuriarum iis illatarum. Quantumcunque meritis abundent hi conſervatores mundi, imagines, & membra Chriſti, ianitores, theſaurarii, præfecti aulæ Dei, attamen vobis permittunt byſſinas, inauratas, ſericas veſtes, ne ergo negetis iis centones, libenter vobis indulgent lectos molles, palatia magnifica, hortos delitioſos, ne iis invideatis tuguria. Non queruntur, quod per plures horas lautiſſimis ferculis vos oblectetis, ac pretioſiſſimo liquore vos ingurgitetis, dummodo eos tanto cibo refocilletis, qui vires ſuſtentet.

Videte, quam ſint frugales, dummodo aliqua veſte ſint contecti, in aliquo angulo latentes, aliquâ buccellâ panis nutriri quieſcunt. Quomodo ergo à talibus rogari velitis? Quod ſi rurſus ad Patres vos remittam, maiora argumenta ſuppeditabunt, quæ erga pauperes Miſericordiam doceant. Væ nobis, inquit Chryſoſtomus, ſi pauperes non haberemus! *Niſi pauperes eſſent, ſalus noſtra magna ex parte profligata, & everſa eſſet; ut qui ubi pecunias ſerere poſſemus, non haberemus.*

Hom. 17. in 2. ad Cor.

VII. An forſan orationes noſtræ in cælum ſublevari poſſent, niſi Eleemoſyna alas ſubminiſtraret? Quale ſolum eſt fœcundius, quam illud, quod pro uno reddit centum? *Nihil hac terra pingvius.* An forſan locus ſecurior ſit recondendis theſauris, quam venter pauperis, cuius manus diſtillant oleum noſtrum, quod lampades fovet, quousque veniat Sponſus? Pedetentim, inquit ſanctus Auguſtinus, ego hic nolo repetere, quod *quidam ſine eleemoſynis ſalvari non poſſint.* Id enim alibi dixi, nec etiam, quod *facilè curatur vulneribus peccatorum, qui neceſſitatem curaverit pauperum.* Ut dixi alio loco, nec, quod *ſi aperueritis pauperibus manus veſtras, Chriſtus aperiet vobis januas ſuas.* Solum revoco in memoriam, quod dixi ſermone vigeſimo quarto, nempe, ſi Dei revelatione ſcires urbem, in qua tui theſauri aſſervantur poſt paucos dies ab hoſtibus deripiendam, quid non faceres, ut illos alibi in tuto collocares? *Æſtuares, laborares, ſatageres, attenderes, quæ haberes.* Nunc autem abſque eo, quod tibi aliquis id dicat, vides mundum parum

Lib. 21. de Civit. Dei.

Serm. 16. de temp.

Serm. 24. de temp.

Serm. 29. de temp.

rum duraturum, & ex illo, quod possides, solum id salvandum, quod consignas æternitati, & tempori subducis Visne portitores, qui securè tibi tua transferant? Ecce, *laturarios tibi pauperes feci.* Post quatuor dies Cælum patriam meam repeto, invenio in via mendicum; *Civis iste inde est, quo ego volo ire; eget hic; do illi, quod ibi mihi reddat.* Tu me turbasti inquit Chrysostomus, alias sanè plura dicenda haberem. Advocate huc illos avaros, in desperationem eos agere volo. Scitisne modum exercendi usuras? *Eleemosyna est ars omnium quæstuosissima*; Est species usuræ, quæ consumit thesauros Dei, cum enim pensionem tardè solvat, capitale crescit, ac quo diutius differtur solutio, eo magis crescit. *Usura tempore longo, & multiplicatur, & crescit.*

Aug. serm. 245. de temp.

Chrys. var. in locis.

VIII. Optimè dicitis Sancti gloriosi, sed non est rationabile, quod vos duo solum loquamini in re tanti momenti. Cedite locum Nazianzeno, qui dicto Augustini, *Eleemosyna est sacrificium Christianorum* addit, ac amplius dicit, nempe nil esse, quod Eleemosynâ Deum magis placet, obliget, & devinciat. *Nulla ex omnibus rebus Deus perinde, ac Misericordia colitur.* Date locum tribus Petris, Chrysologo, qui sic inquit: *Erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis.* Ac si diceret: Ante omnia bona opera, quæ per diem exerces, Eleemosynam à Deo annotari. Petro Damiano, qui sic sorori scripsit: *Marsupium, ubi hæc tutissimè reponuntur, sinus est pauperum.* Petro Blesensi, qui Eleemosynam scalam aptissimam ad Cælum putat. *Eleemosynis scalam vobis, & ascensionem erigatis, ut ascendatis.* Quæso vos, ne turbetis S. Hilarium, qui similes distributiones vocat *ambitiosas apud Deum legationes*, S. Gregorium, qui etiam censet modum bona augendi, Agapitum Diaconum asserentem: *Beneficentia opes dissipando colliguntur.* Ita, ut Eleemosyna sit verus modus opes accumulandi. S. Valerianum putantem, nil possideri, nisi, quod in pauperes erogatur: *Tibi fraudas, quidquid reservas.* Procopium Gazeum, qui ob solam eleemosynarum elargitionem Davidem cor Dei factum putat. *Philoptocos, id est amator pauperum, si quis unquam.* Quinimo patiamini, ut tertia vice ingrediatur Rhetor aureus, & dicat se ad tribunal Dei nullis aliis advocatis egere, quam pauperibus. *Quamvis tu tacueris infinita pro te ora pauperum patrocinabuntur.* Dum perveneris ad januam Cæli, absque ulla difficultate intrabis, quia *Reginæ intrante domum nemo examinat, quæ sit, aut unde*; ne timeas, quod ob defectum Nobilitatis sis excludendus, *quia omnium præstantissimum munus explet.* Quod si aliquam aliam propositionem hujus magni Oratoris exaggerationem Rhetoricam putetis, historias examinare, & videte, an non similia re ipsa successerint. Dicit ille, Eleemosynâ nil esse præstantius ad fortunam meliorandam.

Lib. 50. hom. hom 29.

Orat. de cura pauperum.

Chrysol. serm. 14.

Epist. 14. ad sororem.

Apud Binet. de Eleemos.

Val. hom. 11

In c. 7. lib. Regum.

Hom. 57. pop.

Idem de Eleemos.

Hom. 17. 2 ad Cor.

Tom. 6. hom de: leemos.

IX. Et nonne re ipsa id expertus est S. Ludovicus Rex, qui nummum pauperi erogando Sanitatem recuperavit, Elisabetha Lusitana, quæ tristitias pellebat egenis succurrendo, beatus Amadæus, qui centum alens pupillos, omnia pericula securus transibat, S. Comes Elzearius, qui creditoribus solutionem urgentibus, majores eleemosynas erogando, solvendo se aptum reddebat? Fuit alius, qui diceret Eleemosynam esse optimam hereditatem, quæ liberis linqui potest. *Si filiorum curam geris, illis*

Binet. pa 2. fol. 2c

Christum

Christũ relinque debitorem. Hoc probatur in illo adolescente, qui apud Sophronium consentiens in eleemosynas patris, quâ legitimam sibi debitam in egenos erogabat, dum summâ penuriâ premeretur, à Deo dote optima fuit ditatus. Id exploratissimum est in illo patre, de quo Petrus Damiani, qui, cum inter duodecim proles nil aliud distribuere posset, quam misellum agrum, eum Christo in egenis consignavit, donationemque suâ syngraphâ confirmans, syngrapham arcu in aerem eiaculatus est, nusquam amplius visam. Sed cum post mortem Cælo esset donatus, posteros suos mirè opulentos vidit. Dicit, quod *nihil Eleemosynæ est par*, hoc autem liquidò demonstratur in Zenone Imperatore, quem ita referente Baronio, cum divina iustitia mundo subtractum volens, quereretur à beata Virgine id impediri, hæc vox audita est: *Vltionem tuam sæpe facere volui, sed manus eius prohibet me.* Sed cur? Quia fuit eleemosynaria.

Sophron. p.201. *Petr. Dam. epist. 14.* *Baron. anno 4.*

Quid aliud probat Gregorius Turonensis describendo optima præmia, quibus Deus in hac vita Tiberium Imperatorem affecit, ob stipem in pauperes profusam, dum præter thesaurum, quem Narseti invenit, ingentem insuper auri summam sub cruce, quam ex pavimento erui fecit reconditam reperit? Quid aliud vult Leontius dũ narrat Troylo Episcopo ob triginta libras auri pauperibus elargitas magnificum in Cælo ostensum fuisse palatium, auro pavitum, in fronte ianuæ hanc habens inscriptionem: *Mansio æterna Troyli Episcopi.* Quamvis cum postea facti pœnitenti Patriarcha Joannes à famelico Ægypto alter Nilus vocatus, dictam summã refunderet, priori inscriptioni hæc verba substituta fuerint: *Mansio æterna Archiepiscopi Alexandriæ, empta libris triginta.*

...s. c.19. *...vit. Io... Eleem.*

X. Nemo, nemo tentet hoc argumentum solvere. Avaritia, quæ est expertissima in Arithmetica, Logicam ignorat, nulli hic sunt Sophistæ, vel impostores, sed Magistri Veritatis, nempe Patres qui Veritatem docent. Plusquam clarum est eum, qui vult venari Deum, hos canes debere adhibere; hoc enim in venatura expertissimus intellexit quidam Princeps, qui dixit: *Cum latrat Christus in paupere, qui pauperem pascit, Deum capit.* Nec hic prodeant Poetæ, dicantque Janum, horas, gratias esse Cæli ianitores; Christus enim eas pauperibus commisit, ideò vos hodie hortatur, concilietis eos vobis amicos, *ut cum defeceritis, introducant vos in æterna tabernacula.* Ad eos spectat introducere ad Deum. Nunc videte, quomodo eos tractetis? Revera fides Christianorum elumbis est, cęterum videte, an admittatis illud axioma Augustini, quod *plus accipit, quam dat, qui pauperi Eleemosynam præstat*: Quia pro temporalibus æterna consequitur, ac pro obolo lucratur Deum. Videte an vos ita sitis proni in elargitionem, uti pauperes sunt solliciti, & anxii ad petendum?

Binet. ex Paradino. *Apud Cræs. in Antolig.* *In ps. 102.*

O sancta Charitas Christicolis adeò connaturalis, quo evanuisti? Quo abiit communio illa bonorum adeò communis, ut Tertullianus gentilibus obiecerit, *apud Christianos omnia indiscreta, præter uxores*? Vbi illi Theodati, qui omnes labores, & sudores totius septimanæ pauperibus diebus sabbathinis donabant? Vbi illi Serapiones Sindonitæ, qui plus quam semel iis redimendis

Tertull. in Apolog.

dis

dis se servos vendiderunt? Vbi illæ Sophiæ, quæ, convocatis debitis gravatis, creditoribus molestis pro iis solvebant? Ergone eo usque res devenit, ut à gentilibus Christiani liberalitate superentur? Gillius, ut plausum populi venaretur, adeò profusus fuit, ut de eo dixerit Valerius maximus: *Quod Gillius possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat.* Nos autem, quibus Deus minimam stipem centuplo munerandam promisit, quotidie manus arctius contrahimus.

Apud Dauraubium, tom.4.c.7. tit.3 & alios passim.

Lib.4.cap.8.

Audi tu, qui sacro charactere baptismali te insignitum gloriaris, quid de Traiano dicat Plinius, quem non ignobiles Theologi salvatum ob liberalitatem in pauperes volunt: *Tristius aliquod sæculo tuo passis ad remedium suffi it, ut scias.* Et tu patiaris integrâ horâ pauperem plangentem te insequi? Vtinam saltem illas opes bene impenderes quas in egenos non profundis. Audi Chrysostomum: *Quid das opes tuas ventri, qui nihil retribuit, nisi stercus; quid gloriæ, quæ reddit livorem, & invidiam; quid voluptati, quæ gehennam, & venenosos vermes?* Estne possibile, *quod hos debitores malis, quam Deum?* Ergone tu, dicit sanctus Valerianus: *Potes habere, quod vendas mundo, & non potes habere, quod dones Christo?* Domi tuæ habes, quo alas pellices, quæ tibi infernum parant, & nil pro pauperibus, qui tibi conquirunt Paradisum. Nec dicatis (N. N.) me nimium effervescere, ac inflammari in patrocinio meorum clientum. Credo ego, quod efficacius urgeam salutem divitum, quam refectionem pauperum. Vultisne salvari? Audite, quid dicat Salvianus: *Reo homini nullum est adjutorium, nisi mens larga, & Eleemosyna copiosa.* Videbo nunc statim, an me intellexeritis, videbimus quænam sint animæ excellentes, quia iuxta Chrysostomum, *non potest fieri, summam animam non esse misericordem, & misericordem non esse summam.*

Plin.in Panegyrice.

Hom.de Eleem.

S.Val.hom.8

Salv. lib.3.

Hom. 24. i. Act.

PARS SECUNDA.

XI. NOn adeò sum desipiens, ut dicam cum illis, quos refert sanctus Augustinus, esse impossibile quod homo in pauperes liberalis damnetur, infernumq; obligari ad eum restituendum, casu quo ad illum condemnatus esset: Dico tamen unum ex præcipuis signis prædestinationis esse, quod quispiam participando bonitatem divinæ naturæ, pauperibus affectus sit. Certum est, Augustinum, & Hieronymum, viros ætate grandævos, quos nullus liber scriptus latuit, testari nullum eleemosynarium mala morte periisse. Quomodo ergo hodie tam pauci sunt egenis benevoli? Statim id dicam: Fides viva rara est, adeoque fermè ubique mortua Charitas. Sunt non pauci, qui æstimant Oratores Christianos Eleemosynæ fructus extollere, vel per figuras Rhetoricas, vel ut suam facundiam ostentent, quâ à contractis manibus stipem eliciunt.

Lib.21.de Civ. cap.2

Mi amantissime Deus, an non tibi constat, quod argumenta magno labore deprompserim è penu sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum? Non parum

rum me angit, quod non sim conferendus sancto Ephrem, de quo Nissenus: *Erat oratio ejus velut divinitus fabrefacta, clavis divitum thesauros recludens.* De reliquo, quid tu vel alius dicat, non curarem, dummodo ita tuam animam lucrarer, quandoquidem sciam cum Tertulliano, quod *tota Paradisi clavis sangvis tuus est.* Non solum ille, qui elicitur è venis, sed & ex bursa, qui, quandoque cum fuerit sangvis secundus, jam factus est primus. Enimvero dicere possum, quod volo, nil tamen efficere, nisi difficultati, quam multi patiuntur, respondeam, nempe illud subtrahi prolibus, quod pauperibus datur. Sunt verba, quæ in pulpito effundis; nam si ex ducentis aureis dedero centum, remanent mihi tantum adhuc centum. Possem, si vellem, unico verbo cum Poeta respondere: *Quas dederis solas, semper habebis opes*; Sed toto rigore dialectico hanc difficultatem evertere volo. Porro, ante omnia doleo, quod fervidus Catholicus non erubescat Sapienti crassum affingere mendacium dicenti: *Qui dat pauperi, nunquam indigebit.* Quinimo ipsi Filio Dei, qui tam disertè inculcat: *Date, & dabitur vobis*; *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*; *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* An non suffunderis rubore, quod mendaces facias eos, qui experimento didicerunt Eleemosynâ lucrum acquiri, & nil perdi, uti ex chyrographo constat authentico, quo post mortem Evagrius Philosophus testatus est stipem in pauperes erogatam centuplum sibi muneratam? Ita illud sonabat: *Sinesio Episcopo Cirenens. accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, satisfactumque mihi est, & nullum contra te habeo jus propter aurum, quod dedi tibi.* Tu de illis loqueris, quæ experimento non probasti, cum ego millenos adducere possem, qui unicum obolum pauperibus datum centuplum sibi refundi viderunt. Ita Adrianus, teste Platina, ad solium Petri evectus est, ob paucos nummos, egenis collatos. Sic Leo primus imperium obtinuit eo, quod cœcum sitibundum ad fontem duxerit. Sic alteri revelatum est, eum quadam die virtute Eleemosynæ damnationi subductum fuisse, quam moriendo incurrisset.

...M. in ejus ...vi. *Tertull. ad Martyres.* *...t. in Epigramm.* *...c. 8.* *... 6.* *...n. ex Sozom...* *Baron. ubi de illo.*

Discurramus sine multiplicatione Patrum, & exemplorum. Dic Sodes, an forsan tuæ sunt opes, quibus frueris? Non sanè; nam lex pandectarum sic sonat: *Cum tibi nummos meos quasi tuos do, non facio tuos.* Dum Gregorium hujus nominis decimum tertium, orbis miraculum, quidam Prælatus laudaret, ob opes suas, tam bene ab eo impensas, respondit: Non patiar id dici meum, quod Christi est, qui eas dedit, tam diuque servat, quam diu placet.

Ex Corn. à Lapide.

Pacatus sis; nam tu æquè, ac omnis alius, es mendicus Dei, ac mendicato vivis. *Mendici omnes sumus*, inquit Augustinus. Tune stipem conferres ei, qui te spectatore peccaret? Non sanè. Ergo multo minus tibi largietur illam Deus, dum videt, quod tam prodigè, & malè dissipes facultates, census tibi ab eo collatos, dum videt

Serm. 5. de verbis Domini.

eos impendi in luxus, ludos, convivia, meretrices, ac alios usus pessimos. Ubi econtra, si in plures te profusum viderit, id aget tecum, quod cum Nebridio fecerunt Imperatores, de quibus sic scribit Hieronymus: *Ipsi Principes libenter præstabant, quod sciebant non uni, sed pluribus indulgere.* Videat Deus, quod sis dispensator fidelis, ac experieris bona in ædes tuas defluxura; ut enim tu abundabis, scit egenis nil defuturum. Profusus ergo sis, quantum potes, quia te assecurabit Nazianzenus: *Nunquam liberalitatem Dei vinces; etiamsi omnia dederis, & te ipsum adieceris.* Audi rationem: *Nam hoc ipsum accipere Dei, est donare nobis.* Ah mei filii patientur. Erras, inquit Cyprianus, *optima filiorum tuorum hereditas est Eleemosyna.*

L. de vid. servanda.

Orat. de cura paup.

Cyprian. de Eleemos.

Temporum miseria contrahi suadet manus. Verum dicis ad expensas superfluas, luxus vestium, copiam famulorum, convivia, & non in eleemosynas; nam hæ sunt facundissimus Orator, quo à Deo tempora quieta obtinere possumus. Hoc optimè sciebat sanctus Joannes Eleemosynarius, ideò Deo dicere solebat: *Sic Domine sis tu mittendo, & ego dispergendo, videbimus, quis vincat.* Id intelligebat Pater Andreas Oviedo Æthiopiæ Patriarcha, hic pauperrimam ducebat vitam, ita, ut bovem, quem alebat solum paramentis Episcopalibus portandis, in pauperes collocarit, eoque facto meruit, ut Deus schismaticum excitarit, qui ei quadraginta jumenta, & alia subsidia donavit.

Leont. in ejus vita.

Daurroultius tom. 4.

O Christiani, credite Christo: *Date, & dabitur vobis.* Quilibet audiat Nazianzenum: *Quod quis non dedit, nec ipse speret.* Sentite Chrysostomum: *Quidquid pro anima tua fecisti, hoc tuum est, quod autem reliquisti, perdidisti.* Non desinam exclamare cum Salviano: O *novum monstri genus! Esse aliquem, qui malit aliis consulere, quam sibi.* Memini Imperatores Romanos, ut colligere est ex Vopisco, & aliis, panes in formam coronæ rotundos pauperibus elargiri solitos. Vos Auditores, iisdem panibus, quibus pauperes cibatis, coronas vobis in Cælo contexitis. Tu dives, *mitte panem tuum super transeuntes aquas,* nec timeas te eum amissurum, quia te assecurat Deus, *quia post tempora multa reperies illum.*

Hom. 62. tom. 6.

Eccl. 11.

Rhetor aureus Eleemosynam flumini comparat, maximè illi, quod aliquamdiu latens denuò resurgit, uti Nilus in Æthiopia apud Solinum, Jordanus in Judæa apud Pausaniam, ac præ omnibus Alpheus, qui scaturiens in Olympia subtus mare alluit in Siciliam, dilabendo in fontem Aretusæ, in quem semel argenteum vas in Olympia lapsum effudit. Ne doleas, si videatur hæc aqua subtus terram perdita; nam inquit Sanctus: *Hic fluvius in Cœlum surgit, post non multum temporis invenies illum.* Beatus & mille beatus ille, *qui Deum habet debitorem, & pignus pro paupere, & hypothecam & sponsorem.* Hic omnia habere potest. Econtra væ illis, qui facultates à Deo concessas *in luxuriis suis & conviviis volunt consumere, in spectaculis, in nugis.*

Chrysost hom 22.

Apud C fol in A log.

Chrys. e Aug.

O utinam in omnibus civitatibus Catho-

Catholicorum rigidè observaretur decretum Concilii Turonensis, & Lugdunensis utriusque secundi, quo sancitum est, ita provideri pauperibus, ut ad alios non sit necesse eos recurrere, nec tempore cultus sacri per Ecclesias vagari, quod, observante Baronio, qui Ecclesiæ loca distribuit, apud primos Christianos severè cautum fuit. Utinam inter nobiles reperiam plures Ecclisios, qui ita sua liberalitate calamitati temporum succurrerunt, ut non solum à terra, sed ab ipso Cælo encomium referri meruerint. Auditores, in omni paupere Christum recognoscite, qui dicit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Quod si aliquem obvium habeatis, ne diu disceptetis, num pauper sit. Fateor, quod multi se pauperes fingant, sed nostra avaritia in caussa est, inquit Chrysostomus, quæ non nisi suprema egestate flectitur. Et quid vestrâ interest, num se fingat egenum, vel non, cum meritum æquè maneat. *Quisquis est, qui petat, idem semper Christus, qui accipit.* Si mendicus nimium videatur importunus, idipsum ingeminate vobis, quod olim sibi ingeminare solebat Patriarcha Alexandrinus: *Ne fortè sit Dominus meus.* Forsan tuam charitatem experiri vult.

pud Baronio anno 581

x Gregorio uron.

Hom. de hoc

Valer. hom. 8

eont. in us vita.

Adjuro interim vos, ut in quibusdam occasionibus largiores vos exhibeatis, quia apprehendere non potestis, quantum boni unicâ eleemosynâ efficere possitis. Neapoli ibat annus post millesimum sexcentesimum à Christo nato octavus, quo vidua quædam cum unica filia jam nubili adeò acerbam patiebatur penuriam, ut fami sedandæ jam pulvinaria straminea vendiderit, & filiam prostituere decreverit, quam hunc in finem stimulabat. Filia Pudicitiæ amans eam abegit, Dei providentiam haud defuturam allegans; & parumper secedens, cincinnos aureos præcidit, matrique eos venales foris offerret, dedit. Mater egreditur hæc fila aurea manu gestans, quæ dum quidam famulus, ei forsan obvium factus conspiceret, venustate eorum captus, hero suo gratificaturum se sperans, viduam ad herum conduxit. Herus visâ illâ bellâ comâ sciscitatur, cujusnam sit, an forsan alicujus religiosæ? Vidua rei seriem aperuit, dicens eam esse filiæ suæ, quæ potius cincinnos, quam Deum perdere elegisset. Obstupefactus re tam insolita, cum pingvi eleemosyna eam dimisit, famulo mandans, eam sequeretur Veritatem exploraturus. Re ita comperta ipsemet filiam invisit, miransque non minus virtutem insignem, quam egregiam indolem, opima dote eam instruxit, aliosque nobiles hoc facto recensito movit, ut Sodalitatem instituerent, cujus pietate puellæ pauperes dotarentur, quod adeò feliciter successit, ut duobus primis diebus duo millia scutorum in opus tam sanctum collecta fuerint. Idem facite, & si non portas Cæli reperturi sitis apertas, me diris devovete.

Binet. ex Franciotto in additionibus ad vitam S. Zitæ.

Binettus ex Franciotto in addit. ad vitam sancti Zitæ.

CONCIO XXIII.

PRO DIE LVNAE
DOMINICÆ QVARTAE.

Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Ioann. 2.

Flagellantur conscientiæ, quæ in templis minus reverenter se habent.

I. Emendate mundum, Auditores, aut permittite, quod omni libertate oris perstringam insolentias, quas video. Ille Deus, qui vobis tam splendida hospitia paravit, qui mundum stellis pavivit, gratiis ornavit, prodigiis replevit, ad tales incitas redactus est, ut nec angulum inter nos amplius habeat, qui possit dici suus. Nisi vitiis confœderari velit, quod tamen ejus repugnat sanctitati, videtur, quod sese totum in Cælo recondat. Ex campis eum ejiciunt ignorantiæ crassæ rusticorum, ex ripis Oceani mores dissoluti nautarum, ex foro injustitiæ mercatorum, levitates mimorum, ex tribunalibus partialitates Judicum, perjuria testium, ex hospitalibus impatientiæ infirmorum, ex aulis invidiæ contemptorum, favonii promotorum, ex ædibus privatis discordiæ conjugum, & impudicitiæ solutorum.

Solæ ecclesiæ ei remanserunt, ita, ut non minus ipsi, quam nobis, possent esse asylus. Sed & has talis invasit abominatio, ut nec ei locus in iis permittatur. Vocantur domus Dei, cum tamen aliorum juris sint. Domicellæ eas mutarunt in theatrum, ut in iis sese spectantes præbeant, mercatores in forum, ut in iis suas negotiationes exerceant, adolescentes in scenam, ut simul stultas personas agant. Revera Creator universi tam est inops, ut, velut miser derelictus, & vagabundus, à me hodie vestræ pietati recommendari debeat. Locum non habet, in quo possit quiescere, sed ejus impii inimici suo strepitu statim eum excitant. *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Matth. 8. v. 20. Ergone mi Deus, tu, qui mundum creasti, non habeas in mundo domum? Video, quod à publico usurario hospitium mendices, & te invites: *Zachæe, in domo tua oportet me manere.* Luc. 19. Sed oro te, expecta, Italia tota tua est; nam si hodie ostendam irreverentias, quibus in templis afficeris, illa, quæ adeò te amat,

amat, & quæ tibi adeò devincta est, non poterit non corrigere abusus, qui non minus eius reputationem, quam tuam gloriam, lædunt.

PARS PRIMA.

II. ITalia, Italia, *habeo hodie ad te verbum Domini.* An in mundo sit terra, quæ magis devincta sit DEO, quam tu? In hoc pede Europæ videtur reposuisse cor suum. Velut hortum amœnum sepibus validis Alpium te cinxit. Dedit tibi privilegia insularum, & non minus terram te reliquit solidam. Totus mundus hunc deosculatur pedem. Plura imperia in uno solo coadunavit, eaque tua fecit. Quicquid pretiosi est in Asia, quicquid rari in Africa, quicquid exquisiti in Europa, eo te ornavit, armavit, ditavit. Illustravit te temperie climatum, fœcunditate soli, commoditate duorum marium. Totam cornucopiam naturæ per ingenia subtilia in tuum effudit sinum. Et quasi hæc exigua forent, respectu sui affectus, claves cælorum tibi consignavit, & quidem adeò irrevocabiliter, ut eas Italiâ efferri non patiatur.

Hinc, dum Clemens quintus iis Galliam honorare vellet, tanquam patriam suam, Deus toti orbi suam indignationem aperuit. Eius inaugurationem tam parum sibi acceptam habuit, ut Philippus Rex, qui intererat, à populo fuerit oppressus, insuper Joannes Britanniæ Dux, & plures magnates, ruinâ muri interierint, tricoronatum diadema ex capite Pontificis decidit, pretiosissimusque carbunculus ex eo amissus fuit, ita, ut ille, velut ex animis cadens, instar glaciei congelatus fuerit. Quinimo eodem anno rapidissimi fluvii, puta, Rhodanus, & inquietissima maria Flandriæ, & Hollandiæ, adeò obriguere, ut non navibus, sed rhedis calcata fuerint. Verbo, Deus adeò erga te liberalis fuit, ut absque fuco cum Plinio tibi dicere possim: *Terra omnium terrarum alumna eadem, & parens, Numine Deum electa, quæ Cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret.* Lib.3. cap.5.

III. Ast enimvero Julius Scaliger, & ipse Italus, dum de qualibet natione discurreret, hoc epitheton Italis dedit: *Itali Dei contemptores.* Fateor quidem hunc autorem instar Poetæ plura fingendo effutire, & certus sum, non esse in mundo nationem, quæ præ nostra iactet se esse Deo fidelem; nihilominus, cum tam absolutum pronunciatum carere nequeat fundamento, ad minus apparenti, liceat mihi vestrâ veniâ illud candidè aperire. Fidem nostram internam novit solus Deus, non homines, qui ex exterioribus solum argumentantur. Germani itaque sanctitate Italiæ moti ad eandem se conferunt, ut regionem cruore tot martyrum irrigatam, (cum sola Roma solos martyres numeret trecentos mille, imò, iuxta S. Brigittam, multos milliones) sacris cineribus tectam. Curiosè conspiciunt magnificentiam templorum, auro stratorum, opere musaico instructorum, marmore incrustatorum. Admirantur tam divites proventus, tot pretiosa paramenta, tot candelabra argentea, omnia putant his exterioribus correspondere, sed statim vident se delusos. Dum Lib.3. Pœn.

Dum aliquo die festo sacro intersunt, cum stupore vident ingentem confluxum, apparatum superbum, musicam gratiosam, sed in hoc laborant, ut decidant num sacrificio, vel choreis intersint. *Magnus tumultus, magna confusio; tanta turba, tantus risus, quantus in balneis, quantus in foro.* Christus in venerabili est expositus, & quo plura ardent lumina, eò clarius irreverentiæ astantium sese produnt. Quatuor seniculæ, & pauci alii probiores, uti oportet sese gerunt. Domicellæ salutantes attendunt, interrogantibus respondent, svaviantes detinent. Nobiles ambulant, ac si essent in foro, tergum vertunt altari, legunt litteras, narrant nova, vendunt facetias. Mercator licitatur, contractus init, rationem exigit. Et an non vultis, quod concludamus, *Itali Dei contemptores?*

Chrysost. hom. 26. in ep. 1. ad Cor.

IV. Transit Germanus quidam Basileam, Argentinam, curiositate motus, hæreticorum intrat haram, non ecclesiam, cum nec habeant crucem, nec altare, nec imaginem, sed solum pulpitum. In hoc effrons quidam ministellus, qui potius cauponem ageret, legit caput unum Scripturæ corruptæ, & adulteratæ, videtque populum alias dissolutissimum, utpote ex monialibus apostatis, & religiosis excucullatis progenitum, tanta astare compositione, ut vix audeant tussire non dico loqui. Ut autem venerunt ad ecclesias, in quibus tot martyres sunt sepulti, quas tot Sacramenta sacrarunt, tot Angeli venerati sunt, quas filius Dei incolit, vident risus tam dissolutos, confabulationes tam liberas, gestus tam incompositos, ut concludi possit: *Itali Dei contemptores.*

Peragrabitur nonnemo orbem, veniet Mecham, ubi sepulchrum infamis Mahometi colitur, observabit plurimos Tturcarum delusorum tam compositos redire ex Moschea, ut oculos in nullum objectum indignum amplius conjiciant. Veniet postea in Italiam, ubi non colitur falsus propheta sed verus, ubi in ecclesiis non reconditur Deus mortuus, sed vivus sub Sacramento, & conspiciet magnas irreverentias, quæ contra eum committuntur, nec permittatis, quod dicam: *Itali Dei contemptores?* Potest fieri, quod fidem interius habeant, exterius id tamen non monstrant.

V. Hic discursus forsitan vos affliget Auditores, sed & me affligunt illæ irreverentiæ, postquam Germaniam, & Turciam peragravi. Juxta Philonem coram Imperatoribus ridere *periculosum est aliis, quam valde familiaribus.* Nos quandoquidem Rex gloriæ nunquam nostrâ patriâ exierit, postquam illam semel intravit, valde familiariter cum eo agimus, & in propria domo cum eo jocamur, eumque ridemus.

Lib. de legat. ad Caium.

Et revera ego non sum primus, qui tantas insolentias castigaturus flagello manus armavi. Tot sancti Pontifices zelo plenissimi, ut viderunt na-

tionem, quæ in materia Cultus Divini semper se magistram aliarum professa est, tantam suo nomini inurere notam, verbis acerrimis tam publicas iniurias, magnas levitates perstrinxerunt. Præ reliquis Stephanus sextus, videns hoc malum crescere ad Altare celebrans, labiis sangvine agnelli tinctis, ad populum versus, velut leo rugiens, fulminavit: *Pavescite illum, qui flagello facto de funiculis ejecit vendentes de templo*; bileque inflammatior ex eo, quod nullum verbum otiosum maneat impunitum intulit: *Quanto magis de iis exigetur vindicta, quæ in conspectu tantorum Sanctorum proferuntur contumaciter?* Perindè ac diceret: Irreverentiæ, quæ committuntur in ecclesiis aliarum regionum, gravia quidem peccata sunt, cum non solum nostræ, sed omnes habeant tot Angelos custodes, quot altaria, ut observat Sophronius. Quinimo Basilius vult Angelos intermisceri plebi oranti, verbaque notare, quæ proferunt; nam ideò forsan dicti sunt ab Areopagita *Symmystæ*, & à Cyrillo *unà quodammodo sacrificantes*; attamen nostræ irreverentiæ graviores sunt, cum illas spectent non solum Angeli, sed & tot Sancti, qui in Italia floruerunt, & in nostris ecclesiis tumulati sunt

[...]ron. [...]1.10.an. [...]890. *Mystag. 3.*

Sancte Pater Liberi, quid quæso, tu Marcellinæ, sorori sancti Ambrosii, inculcasti, dum sanctum ei imponeres velum? *Tu in ministerio Dei gemitus, screatus, tusses, risus abstine.* Quid? Ergone non solum screatus, tusses, risus in templis sint vetiti, sed etiam suspiria, quæ trahunt ferventius orantes? Apparet, quod exigas perfectionem Nonnæ matris Nazianzeni, cui hic tria encomia celeberrima se dedisse putavit, dum dixit eam nunquam tergum vertisse altari, verbum protulisse sine caussa, in terram conspuisse. Nos hæc irridemus tanquam quisquilias, cum tamen tales non sint.

[...]br. lib. 3. [...]Virg. *Orat. 19.*

VI. Sancti, quibus exploratæ fuerunt reverentiæ Deo debitæ, similia tanquam magnos actus religionis commendarunt. Quid fuit Sancti in templo Hierosolymitano, ut spatio septem annorum triginta mille artificum eius structuræ insudarint, mille Judæi ligna sciderint, mille proselyti lapides poliuerint, septuaginta millia eos advexerint, tres mille, & sexcenti operariis præfecti sint, in illud impensæ sint bis mille nongenta viginti milliones, nongenta novem millia auri, & argenti, tot vasa, & instrumenta ei fuerint illata, ut æneorum non esset numerus, thuribula in illo fuerint viginti mille, candelabra decem millia, tubæ mille ducentæ, instrumenta musicalia quadraginta millia, ita, ut, iuxta computum Josephi, vasa ex auro puro fuerint ultra ducenta, & quinquaginta millia, argento nongenta quinquaginta millia? Ad quid tot diversa atria, tot milleni ministrorum, tot Cherubini, tot maria, specula, columnæ, altaria? Nec contentus quod interius esset laminis pretiosissimis, tectum exterius illud voluit cancellis munire, ut observat Procopius, ne tâgi passim posset. Cur tanta ei reverêtia exhibita,

Ex Azorio. *In l. 4. Reg.*

hibita, ut non solum plebi gratiæ loco concederetur, ut pavimentum osculari posset, sed & Reges, armis depositis, custodibusque corporis, ante templum relictis, ingredi possent?

Et tamen solum in eo continebatur umbra Dei, nempe arca, pauxillum mannæ, virga, duo lapides, ita, ut Rex, quo nullus fuit sapientior, adhuc suæ obligationi non crederet satisfactum. Ex quo colligere liquet, quid non fecisset, si Deum ipsum hospitem meruisset habere, sicut nos, in nostris templis tot legionibus Sanctorum, & Angelorum stipatum habemus. Ergone umbræ tantus exhibeatur honos, Deus autem ipse tantâ afficiatur irreverentiâ?

VII. Oro vos, permittite, ut iustum dolorem sancti Lyberii Papæ prodam: *Longè indignissimum est circumsonari Sacramenta confusis vocibus, cum gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferant.* Profectò melioris conditionis fuêre Venus, Saturnus, Jupiter, quam verus, & unicus Deus; cum enim ipsis litarent aurum, summum erat silentium, huic autem cum immolatur proprius filius ingentes excitantur tumultus. Ergone Harpocrates, Deus silentii, in templis Christianorum suum non exerceat munus? Dicebat David iuxta versionem Hieronymi: *Tibi silentium, laus, Deus in Sion.* Præterea ipsi Valentiniani à Pytho, & Syga divinitatem ortam finxerunt. In nostris solis Ecclesiis nemo est, qui ante sacrificium interroget: Τίς τόδε? *Quis hic?* Nec, qui respondeat: πολλοὶ, *canathi multi, & boni.* Non amplius usus habet, ut mali arceantur. Nostra templa solum possunt vocari *templa à tuendo*, eo, quod fruantur immunitate, & *fana à fando*; nam nil aliud in iis facimus, quam garrire, & nugari. Nos etiam, ô Seneca, *intramus templa, compositi ad sacrificium, accessuri, vultum submittimus; togam adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur.* Nobis etiam, ô Pythagora, *alius animus fit Deorum imaginem à vicino cernentibus.* Interrogate Salvianum, & audietis nullam esse domum ministri alicuius publici, quamvis minimi, quæ non maiori frequentetur reverentia, quam templum Regis cœlestis.

Ex Ambros. lib. 3. de Virgin.

Ps. 64. v. 1.

Ex Mystag. lib. 3.

Ex Cresol Mystag.

Lib. 7. natur. quæst cap. 30.

Cave, ne in memoriam mihi revoces religionem Ephebi magni Macedonis, qui ne turbaret sacrificium, face brachium amburi permisit, vel modestiam academicorum, qui verbum proferentem otiosum indissolutum habebant, aut morem Svecorum, qui ut refert Tacitus, dum non haberent templa, sed solum silvas, quas incoli à suo Deo credebant, neminem aditum in eas statuebant, nisi pedibus, & manibus vinctis.

Seneca ep. 94.

Ex Valer maximo

De mor. Germ.

VIII. Profectò hæc meritò nobis Christianis magnum ruborem incutiant. Servi Romanorum tanto silentio Dominis prandentibus serviebant, ut quodlibet verbum, & strepitum plurimis flagris luerent. Nihil hic dico de irreverentiis maximis, quas exercemus circa mensam supremi Monarchæ. Ergone apud nos verificetur id, quod post Ambrosium scripsit Cæsarius: *Multi cum parvo peccato ad Ecclesiam*

Seneca ep. 47.

Tom. 5. serm. 33.

clesiam veniunt, & cum multis, ac magnis ab Ecclesiâ revertuntur? Revera egregius modus placandi DEUM. Ejus genibus adstrati veniam rogamus, & statim eum irritando ad iram provocamus. Audiamus quæso Chrysostomum: *Non Tonstrina, aut unguentaria*
1.36. *taberna Ecclesia est, non officina forensis,*
ad cor. *est locus Angelorum, Archangelorum, Regia Cœli, Cœlum ipsum.*

Est insula, in quâ in hoc periculoso Mari juxta Isaiam nostra toeia
42. solamur. Templum ita sanciente S. Petro, ut refert Clemens Romanus, in formam navis constructum fuit, velut illud, quod nos ad cælum traijceret. Templum inquit Chrysostomus est *Asijlum peccatorum, ara miserationum, locus habitationis gloriæ DEI.* Videte porrò, an sustinere possim, quod in templis DEUM offendamus.
.24. Nec mihi dicatis hos abusus in advertenter fieri, cum in tanto confluxu vix fieri possit, quin aliquod verbum proferatur, non inquam hoc dicatis, reponam enim summum silentium Turcarum, Gentilium, Hæreticorum in suis Fanis. An eorum DEUS melior sit nostro? An ipsi disciplinatiores nobis? Elingues adestis comœdiæ per quinque horas, quomodo ergo uni missæ sic non poteritis interesse?

IX. Misera Christianitas, quomodo cum Judæis in extremam adduceris duritiem. De iis ita scripsit
c. 34. Ægesippus, *Gentiles cum formidine templum spectabant, Iudæi cum furore, & temeritate adibant, & madidas manus humano habentes sanguine ipsa tractabant altaria.* Lacrymas non possum cohibere, dum lego impium Alaricum in Expugnatione urbis Romanæ gladio evibrato vigiles Ecclesiæ adhibuisse, qui vim omnem arcerent. Enim vero nostri Milites Catholici ædes privatas à domo DEI non distinguunt, imò hanc ante omnia primò devastant. Sed aliquantulum milites excusanda videntur, cum in expugnatione cohiberi vix possint. Ast deploro vos Adolescentes, qui DEI sanguinem coagulatis ut è domo suâ fugere cogatur.

Ergone verum sit illud dictum Juliani Apostatæ: *Vos rarò in templum DEI causâ venitis, & cum venitis omnia miscetis?* Ergone vos Ecclesias aditis, ut oculos pascatis? Absit. Cum quo vestrum loquitur Chrysostomus? *In Ecclesiâ stans formas mulierum contemplaris, nec perhorrescis templum DEI tantâ afficere contumelia; lupanar ergo tibi videtur Ecclesia?* Ego mihi persuadere non possum, quod aliquis Christianorum sit tam impius, ut quærat loca in quibus DEUS est præsens realiter, ei offendendo. Stultus est, qui post similes temeritates rigidè punitas, similia attentat. Non possum credere, quod aliquis sit tam effrons, ut culpas patret, quas bestiæ horrent in conspectu plebis committere. Non possum capere, quod aliquis ita sit desertus à DEO, ut in nido puritatis, incubet lasciviæ, Diversorio sanctitatis aperiat Academiam Incontinentiæ. Quod si tamen quis esset, qui talia patraret, eum in illis tumulis recondite.

X. Quomodo mi DEUS non exsurgis, ut vindices tam graves irreverentias? Apud Antiquos templa conIi secra-

lecrabantur per sepulturam alicujus quantumvis prophani, quomodo ergo apud Christianos locus ille, in quo tot fideles imo sancti sunt reconditi, tantum respectum non mereatur? Cum Tertullianus vocet sepulchra *stabula cadaverum*, quilibet credit in his stabulis se posse belluam agere. Iniurius porro sum vivis, dum remedia tot malorum apud mortuos requiro. Vos principes prodigi, qui tot modis DEUM honoratis, tamque compositi divinis astatis Officiis, cur idem à subditis non exigitis?

An forsan Augustinus, & Chrysostomus suâ facundiâ in hoc puncto tantum efficere possint, quantum uno mane effecit Rex Philippus II? Dum toto tempore missæ confabulantes observasset, ad se eos vocatos, Aulâ proscripsit dicens: Nullos se in Aulâ permissuros, qui DEUM offenderent, dum ipse eum devotissimè adoraret. Patres familias, Domini si benè veletis prolibus, & servis obnixè curaretis ne tot irreverentiæ culpabiles aliquod supplicium in domum vestram derivarent.

XI. Celantissimi Episcopi, quomodo potestis tantum laborem impendere solemnissimè consecrando Ecclesias, pridiè cum Plebe ieiunando, intus & extrà toties genuflectendo, toties circū eam gyrando, & regyranda, tot unctiones sacro chrismate, oleo catechumenorum adhibendo, duodecim majores cruces in muris candelis ornatis, quinque minores, in quocunque altari, & unam cerâ formando, & circum Ecclesiam in arenâ in areâ collocatâ, pedo exarando ex unâ parte Alphabetum Græcum, ex alterâ verò latinum, toties aquâ aspergendo, toties usurpando vinum, sal, tot adducendo reliquias, gossypia, telas, tentoria, si in Ecclesiis non aliter nos habeamus quam in foris publicis? Vos sacerdotes, & Religiosi qui Custodes estis Palatii DEI, quomodo non armamini zelo sancti Joannis Eleemosynarii, quem perhibet Leontinus neminem permisisse loqui in sacristiâ? Quomodo non resolvimimi in fletum, dum conspicitis à Pœnitentibus vestris ibi multiplicari peccata, ubi ea delere deberent? Popule mi ad tuam pietatem solum appello. Scio quod timeas, & ames illum DEUM, qui hic adoratur. Scio quod si videres aliquem, qui auderet sputis notare illas cruces, calcare illa altaria, dentibus eum discerperes. Has irreverentias itaque potius adscribamus inadvertentiæ, quam defectui fidei, aut amoris. Quodsi aliquis tibi domi seriis negotiis distento, exerceret nugas, ageret mimum, saltus, gesticulationes, quas tu exerces in Ecclesiâ, an non graviter offenderis, esto id non faceret in tui despectum? Quinimo. Nunc vide, an difficilia, & exotica à te poscam, dum rogo ut illum respectum deferas domui DEI, quem tuæ vis delatum.

PARS SECUNDA.

XII. Dicet aliquis, quod flagello meo elicuerim sanguinem, & excesserim. Sed quid, ego qui sum sacerdos, & servus DEI possim excedere, dum agitur de vindictâ contemptus publici, quo DEUS afficitur? Agitur de ma-

de maximo bono Christianorum, ne priventur majoribus auxiliis, frequentatione puta sacramentorum, Oratione communi, attentione verbi DEI, quæ hisce irreverentiis impediuntur, & aliquis dicat me sine causâ effervescere? Nescit quale hoc sit crimen, qui me nimis rigidum accusat. Sede suâ pellis Religionem omnium virtutum reginam, & vis hoc dissimulari? Scio nil magis deplorasse Augustinum. Omnia verba notate & videte, an non quodlibet magnam Emphasin habeat.
l. 3. Conf. c. 3. *Cujus sum etiam in celebritate solemnitatum tuarum intra parietes Ecclesiæ tuæ concupiscere, & agere negotium procurandi mihi fructus mortis, unde me verberasti gravibus poenis, sed nihil ad culpam meam.* An non alia Augustinus commiserat scelera, ob quæ credere poterat se punitum? Imo, sed tamen huic soli supplicia illa attribuebat, legerat quippe in scripturâ DEUM homines sceleratissimos tam diu sustinuisse, quousque in locis sacris DEUM non offendissent. Id te docebunt Ptolomæus, Philopater, Heliodorus, duo Antiochi, inter Romanos Pompejus, & Crassus, qui iram DEI in se derivarunt, dum cæde, spoliationibus, lascivis aspectibus templa prophanarunt. Audi Adolescens, tu, ut ait Augustinus *procuras tibi fructus mortis*, tu attrahis velut trochleâ, prout sane ipsemet, cum dolore conspexi vulnera, lapsus, morbos, qui paucis diebus te vitâ exuunt, ut Ecclesia tuis molestiis exempta sit.

XIII. Si id nescis jam illud dixit
1. Cor. 3. 17. Paulus. *Siquis templum DEI violaverit disperdet illum Deus.* DEUS non solum agit Judicem hujus peccati, sed & format processum, sententiam profert, eamque exequitur. Italia, Italia memineris, quod antequam Germania tot miseriis spiritualibus, & temporalibus involueretur, quibusuè iam integro sæculo cum compassione aliarum Nationum iam confecta necdum emersit. Easdem per S. Virginem Hildegardem ante trecentos annos minitatus sit. Audi, & treme: Germania tam atrociter punita fuit ob exiguum respectum erga loca, res, & Personas sacras. *Ex Thaulero, & Bozio.* Scimus fidem malè habitam Cruces, Candelabra, Altaria, Sacrificia destructa, & trans mare absportata. Id etiam testari poterit Anglia, & Scotia, quarum loco inter barbaros DEUS substituit Personas tantum zelum habentes erga res sacras, ut referente Maffæo, postquam Lusitani fidem orthodoxam Indiæ invexissent, parum abfuerit, quin quidam regulus sacro assistens, dum extra Ecclesiam quendam Ephœbum nugas exercentem audiret, morte afficeret. *Ex historia Indica.*

Absit, ut Patriæ tam charæ malè ominer. Id solum agam, ut meum Auditorium abstineam ab irreverentiis, quibus Phile egatus Caligolam deterre restudebat, ne erectione suæ statuæ templum Hierosolomitanum violaret. *Non contentus imperio tot Provinciarum, Insularum Gentium, DEO in terra nihil vis relinquere, ne fanum quidem tam modicum; ignoras te aperire fontes malorum cunctorum.* *Legatione ad Caium.* Mi popule, si velis audire novellas, narrare pasquillos,

levis ducere discursus, cogitationes fovere vanas, aspectus conijcere lascivos, an in hac urbe tibi desint cauponæ, prostibula, Anguli? DEUS totum tibi dedit mundum, & ex angulo, quem sibi servavit vis eum eijcere: *DEO igitur in terra nihil vis relinquere ne Fanum quidem tam modicum*? De te meliora spero, hinc inter fluctus quibus agitata gemit navicula Petri memet solabor cum Jonâ intra cetum concluso. *Veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Ionæ. 2. v. Si vos vestrum faciatis ad minus in Italiâ Regione DEO obligatissimâ, videbo primum honorem Ecclesiis restitutum. Vtinam hoc videam sicut spero, et opto, & desidero. Amen.

CONCIO XXV.

PRO DIE MARTIS DOMINICÆ QUARTÆ.

Respondit turba Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Iois 7.

Sæculum apparentiarum.

I. SAncta sinceritas, quò abivisti, ut inter homines non amplius reperiaris. Postquam Adam se nudum esse cognovit, non solum tunicâ pelliceâ texit corpus, sed & animum mille artificiosissimis simulationibus involuit. Hinc Ambrosius, *Multis simulationum involucris mens humana velatur.* Lib. de Paradis. c. 13. Illa est puteus adeo profundus, ut quamvis continuò ex eo aquas hauriamus, vix tamen scire possimus, cujus sint coloris, saporis, an sint dulces, amaræ, claræ, turbidæ, medicinales, vel noxiæ. Viden, quomodo vulpes Pharisæi, & Scribæ, sub pelle ovina malitiam internam contegant. Omnibus nervis vitæ Christi insidiantur, mille struunt laqueos, iam lapidibus eum petunt, iam præcipitia minantur, & tamen, dum antiqua eorum odia ijs objiciuntur, dicunt, *Dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Mellia promunt verba, ac si animus hostilis eorum adeo publicus, posset adhuc latere.

Verum enim vero Sathanicus genius, nec in hocse potuit occultare. Quamvis eorum vita esset larvata, semperque personam alterius ageret, & non propriam, cum ut ait Iosephus: *Genus humanum estas tutum, & arrogans.* Lib. 17. Ant. c. 3. Hinc quadam sanctitate vendibili seipsos, & populum decipiebant, quamvis non DEUM. In exterioribus cæremoniis erant serupulosissimi, parcè comedebant, malè dormiebant, vel spinis involuti, vel super saxum cubantes. Sub pallio optimæ famæ reconde-

recondebant pessimam vitam, tunc magis culpabiles, quando videbantur magis innocentes. O nos miseros, qui nati sumus illo sæculo, quod instar poematis totaliter fictum videtur. Degimus in antro Plutonis, in quo nulla res apparet, qualis est. In omnibus objectis deploramus Pharisaicam Hypocrisin. Ipsamet vita, ut inquit Gregorius. *Est quædam visio phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet inveritate.*

Greg. in moral.

Omnes realitates degenerarunt in apparentias. Nostræ picturæ non solum decipiunt aves, sed & ipsos pictores. Nescimus ubi pedem tutò collocare possimus, cum nec palmus aliquis solidus sit. Ipse mundus cum Tragico se proditum exclamat. *O vita fallax abditos sensus geris, animisque pulchram turbidis faciem induis, impudendem zelus, audacem quies, pietas nefandum, vera fallaces probant, simulantque molles dura.* Veritas itaque è corde ad labra mihi indignissimo sacerdoti exiliat, cum hæc sit gemma nobilissima, quæ in rationali, antiqui, & novi sacerdotis relucet. Illa mihi iniurias gravissimas, quæ committuntur suggerat, dū ego accingo me, ut perstringam pravum genium sæculi, quod propter nimias simulasiones, & dissimulationes omni soliditate privatum, inter meras apparentias perditur.

S. in Hipp.

PARS PRIMA.

II. Quod si ob varietatem excellentiarum, quæ in homine relucent vocetur pulcher, bonus, gratiosus, animosus, justus, sanctus, licebit mihi veniâ vestrâ cuncta sæcula à Christo nato usque ad hunc diem vocare rea ob mores, quibus imbuta fuerè. Primum siquidem fuit prodigiosum, secundum victoriosum, tertium solitarium, quartum doctum, quintum barbarum, sextum contradicens, septimum ignorans, octavum ruinosum, nonum extravagans, decimum politicum, undecimum invidiosum, duodecimum miserum, decimum tertium rixosum, decimum quartum crudele, decimum quintum Schismaticum, decimum sextum hæreticum, illos autem annos, qui vergunt ad decimum septimum vocabo apparentes. Quæso vos mecum videte, an non Astrologia tota justificet Phenomenos, dum in verbis, factis, parum, vel nihil curamus substantias, sed solum apparentiis insudemus. Observatisne unquam crustationes, deaurationes? Quotidie mundus fit pauperior, & tamen quia ligna, telæ, parietes, muri, lutum non apparent id quod sunt nativam superficiem iis tollimus illas inaurando, depingendo, crustando.

Quod si intretis Ecclesias, in quibus veritas magis quam alibi colitur, mille res fictas invenietis. Illi cornices sunt ex pyro, & videntur vobis ex hebeno, illæ ianuæ sunt ex populo, & videntur ex nuce. Illis capitellis supponuntur marmora quæ exhibent porphyritem, quæ tamen facta fuere ex calce illæ columnæ, quæ adeo relucent si paululum malleo tundantur, videbuntur præter subtilē crustationē non esse nisi lapides viles. Illa candelabra argentea, quæ vos prætiosa existimatis, intus sunt vacua, & in corpore

tam divite non habent aliam animam quam ferrum, aut lignum. Calix qui videtur aureus, est stanneus. Smaragdi, Rubini, Saphyri, topatij, quos videtis in illo antipendio, non sunt nisi vitra viridia, rubea, cærulea, fulva. Omnes divitiæ apparentes sunt, & serviunt ad ostentationem, in scriniis ne amplius quæras thesauros, nam expositi sub oculos sunt, In illis tapetibus, sedibus thedis, aulæis, gestaminibus insignibus. Puellæ pigmææ Gigantes videntur, super bases ligneas, & cothurnos. Filiæ opificum pauperum sub vestibus byssinis nobilissæ creduntur. Vetulæ sexanegariæ vultibus alienis putantur iuvenculæ. Multi sunt qui habent dentes, oculos adulteratos: Ne amplius quæras apud mercatores acupicta æterna, nam panni solidi, & telæ serviunt ad oculum. Panni fulturis obducuntur, & quia cooperiunt illud quod sunt, illustrantur, & comburuntur. Et ex floribus nō sine mysteno texuntur, acupicturæ, quæ non durant magis, quam flos. Vbiq; magis æstimantur pulchriora, quā bona, in ædibus magis exterior forma, quam interna commoditas.

III. Plures docti incumbunt, libris qui habent plura accidentia, parū substantiæ, novus titulus præfigitur ulteri materiæ, frontispicium insigne, imaginem bellam in belgio cusam, marginalia larga, multas figuras. Ipsemet vestitus in ostentatione consistit, in manicis, suffulturis, braxis largis. Plures te in hyeme movent ad compassionem, cum tamen sub indusio tunicas pelliceas gestent. Adeo hoc sæculum est apparens, ut ex occulto instinctu prædominantis genij, etiam in rebus exigui momenti soliditatem spernat, & solâ super ficie contentetur. Et revera si totum malum in hoc consistat, risum meretur. Archidamus quippè obhoc solum quendam legatum in vili habuit, quod senex iuvenis apparere studeret, hinc eū irrisit. *Quid hic sani profert, qui non animum tantum gerit mendacem, sed etiam caput?*

Porrò ego, qui nunquam animum induxi reformare mundum, in rebus parvi momenti adeoq; relinquo tot fictiones in vestibus, libris, lignis inauratis, statuis, gemmis, lapidibus fictis, siquidem hæc varietas delectat, quam diu comodum salutis non impedit. Aliud perstringere volo quod ego deploro, & est nempe quod hoc malū invaserit cor, omnesq; consumpserit spiritus. Vnde majori licentiâ, quam Ægyptii, *quibus summa erat libertas omnisque impunitas mentiendi*, tam in physicis, quam moralibus fingimus, & veritatem, amicitiam, fidelitatem, virtutes maximè necessarias, ab humano convictu proscribimus. Quod si Christus in orbem rediret, nescio an unum Nathanalem, verum Israelitam, totum sincerum, totum candidum inventurus foret. Nostrum mare repletum est piscibus pluribus pedibus instructis. Proditores non semper eundem retinent colorem. Væ piscibus incautis nam iis semper insidiæ struuntur. Poetæ nō ampl⁹ applaudant Autolico, qui faciebat *Candida de nigris, & de candentibus atra.* Mundus nō habet plures, quam eos, qui Autolicum imitantur. Non est solus Æschyles, qui ab hoste Demosthene meruit, vocari *Tragica simia.*

Alexand. L. 6. c. 1

Ovid. 1 *Matam.*

Orat. p. *Etesiph.*

mia. Quælibet domus habet has simias, sunt enim infiniti, qui juxta Basilium. *Vitam suam velut è proscenio ad ostentationem componunt.*

IV. Julianus Apostata in nullo alio, quam fictione peritior, simulationem vocat aulicam, ut pote natam, & educatam in aulis; utinam vero soli aulici laborarent hoc morbo, nam mellifluus non ita amarè doleret. *Serpit hodie putrida tabes hypocrisis per omne corpus Ecclesiæ, & quò tolerantius, eo desperatius.* Veritas rarissimè aditum reperit ad aulas, a plebæis vix tecto admittitur, amphibologiæ, & mendacia officiosa ex locis sacratis, etiam eam expellunt. Hinc Fridericus primus Imperator aulico, qui in illam regionem à quâ simulationes exulant, Se semel venturum sperare asserebat, dixit. Id nunquam futurum nisi mundo exierit; est quippe prodigium invenire hominem, *qui non ex aliquâ parte fictus, fucatusq; sit.* Quodsi vectigal mendaciis indiceretur, reliqua tributa tolli possent absq; ullo dispendio legis Iuvenes, & pueri, qui sinceriores sunt, & minus callidi, unico responso decem mendacia effutiunt. Si peccarint tot excusationes prætexunt, ut impossibile sit veritatem sciri. Vt virgæ se subducant fingunt, ut pecunias extorqueant libros necessarios allegant, ac si essent Poetæ nati, nullam recensent historiam, cui non plures fabulas immisceant.

[...]ist. ad [...]asil.

[...] apoteg. [...]incipium.

Ne quæso discurram de fictionibus Puellarum, nam quæ à Comico vocantur *Falsidicæ, falsificæ, fajjuriæ*, ad concionem non veniunt, nec ego meas auditrices offendere debeo, dū in callidas, & asturas invehor. Earum iuratas promissiones *oportet scribere in vento, & liquidâ aqua.* Credi non potest, quot lacrymis fictiones tegant, se feminecés simulant, dum ad nutum res nō succedunt, obsessas se exhibent, absq; eo quod dæmon externus eas obsideat solo cerebro obstinato reguntur.

V. Quodsi bonâ tuâ sorte in plateâ tibi occurrat veritas, quæsote, id mihi significes, postquam enim sanctus Augustinus formosiorem eam prædicavit Helenâ, summo eam videndi desiderio exardesco. Ne eam quæratis in officinis mercatorum, nam ubi veritas maximè dicitur esse, ibi minus reperitur. *Veritas, & veritas multi dicebant mihi, & nusquam erat in eis.* Per Jovem dicet ille, hic pannus est Hispanus, & erit vilissimus Franciæ. In caput meum sex florenis solvi ulnam, nec credo quod constiterit duobus. Ille nobilis tantum mihi dedit, cum tamen eum nunquam viderit. Discedite à mercatoribus, & institoribus, & opificibus, si velitis veritatem; Nam nulli eam acrius persequuntur, quam mechanici. Sutor tibi promittite alceos die sabbathi, sed toto anno non dabit nisi verba. Dicet scriniarius opus fermè esse finitum, quod necdum incepit, iurant opifices opus esse præstantissimum, & est pessimum.

Epist ad Hyer.

Aug. Lib. Conf. C. 6.

Interrogate Justitiæ ministros, an equulieus, tooruta sufficiant ad veritatem eliciendam reo manifestè convicto. Omnes se proclamant Innocentes, & perperam accusatos. Ita in foro civili

Nota-

Notarius est falsarius, testes periuri, advocatus partialis, judex iniustus, & ita omnes damnis veritatis lucrantur, permittunt debitorem accipere, iustum possessorem privari, condemnari eum, qui justiorem habet caussam. Ita, ita omnes larvati, & personati in scenam prodimus. Sumus serpentes bilingues, nunc calida, nunc frigida evomentes. *Sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare.* Greg. L. 24. Moral. c. 16.

VI. Intrate palatia nobilium, & videte an veritatem reperiatis. Quamdiu est aliquis gratus Principi, & bene nummatus, tamdiu ab adulaboribus adoratur. Si litteris incumbas, vocaberis Mirandulanus, Augustinus hujus sæculi, Plinio doctior, Tullio eloquentior, Hortensio gratiosior. Major politicus Tacito, Pacato prudentior. Si quis ensem gestat, illi cornu lunæ Ottomannicæ resecandum est, ab eo Africa, & Asia Christianis restituenda. Si agas opificem æris alter Dædalus, si musicum Orphæus, si Astrologus Tycho, Copernicus. Sic multi non curant esse grandes, dumodo tales videantur. Sic plures non verentur esse mendaces, dumodo loquantur.

L. 8. C. 50. *Capreæ* inquit Plinius *lambunt arbores, & lambendo exsicant, & cum illas osculari videntur, occultum venenum infundunt, quo pereunt.* Videte ad quos terminos redacti simus. *Mentis perversitas bonitas vocatur*. Greg. ibid. Et eritis in fermento, si hoc sæculum vocem sæculum apparentiarum. An forsan multos invenietis, qui linguam cordi alligatam habent, eo modo quo Ægyptii sinceritatem depingebant? Ah sensus cujus libet verbi est hodie tropologicus, & non litteralis. Sic sentimus, sed non ita loquimur, laudamus quem odimus, traducimus quem amamus. Ironiis nil frequentius. Videmur similes pavoni de quo Tertullianus. *Multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipse, semper alius, & si semper ipse, quando alius.* Pierius l. 4. L. de palli. Misera veritas bene tibi feceris, si sarcinulam sumpseris & ex mundo exeas, nam in eo nullus tibi est locus. In quolibet aggere cœspitio video, quod nidificet aliqua vulpes fraudis *artifex, simulatione magistra, plena strophis.* Chrys. serm 9. Iam dudum nos Daniel prævidit, & luxit. *Simulatio est bestia multicolor, & hodie catenis soluta est. Robur datum est ei, & prosternetur veritas de terra.* Daniel. 8.

VII. Et reverea malum non foret tam grande, si proscriptâ veritate, inter nos amicitia coleretur. Antehac id solatii habuerunt homines in suis miserijs, ut orbem humeris gestare possent, dumodo Hercules substitueretur, & sucurreret Atlanti, Theseus non timebat horrores inferni, quamdiu Piriteum secum habebat. Hodie autem, dum omnia sunt apparentia, amicitia in merum apparatum cæremoniarum degeneravit. Nobilis iurat alteri, quod eum affectu quo Orestis amabat Piladem prosequatur, nunquam non eum obviam habet, & reverentiâ præmissâ ejus manus stringit, & hæc edicit: Revera meam exiguam fortunam detestor, quæ impedit, ne memet ejus obsequiis impendam. Ergone excellentia sua, meam sibi addictissimam voluntatem ita otiosam permittat? Quando erit, cum

cum factis meum sincerum affectum monstrare potero, nil aliud expeto, quam occasionem ei serviendi, nec tamen mihi vult mandare. Cum alias sit tam flexibilis, quomodo hac in re est tam obfirmata? Non putem me vivere, nisi cum illa sim. Non adeo me credo cæcum, ut non videam infinita ejus merita, nec adeo aggrestem, quod omni obsequio eam mihi devinciri nolim. Non amplius me ei offeram, qui centum titulis sum suus, nil est domi meæ, quod ad ejus non sit servitium nec guttam habeo sanguinis, quam non lubens pro eo spargerem.

O insignem apparatum cæremoniarum, nisi tot verba mellita turpibus factis commacularentur? Nostra amicitia consistit in quatuor phrasibus, quas in aulâ didicimus, de ræliquo secedimus ad angulum, & libero ore perstringimus illum magistratum, illum ministrum, illa nova edicta, expensas nimias.

Fortunatus fuit Achylles, quod nostro ævo non sit natus, nam revera vix inveniret Patroclum in omnibus sibi concinentē, nam hic juxta Homerum angue pejus illos execratus est, qui *Aliud verbis produnt. quam mente volutant.* Non est, qui se jactare possit cum illo apud Euripidem, Quod à Magistris nil aliud didicerit, *Quam mores simplices & nihil simulatum, & fucatum.* Qui hodie sese dicunt amicos sunt meri magistri complementorum. Avertat Deus, ne eorum operâ indigeas, qui tam larga tibi promittunt. Iactat nil esse suum, quod non sit tuum, & tamen si eum roges, ut unico verbo apud Principem pro te intercedere velit, statim allegat, se non esse ei familiarem, si mutuos petas quadraginta aureos, dicit se summam ingentem expendisse, ac modo se non esse nummatum. Si roges, ut pro te fideiubeat asserit sese patri promisisse hoc non facturum. Illud latinum, *Amicorum omnia sunt communia*, non est in usu, in linguâ vulgari. Quilibet chartas lusorias socio celat, timens ne lusum perdat, cum tritissimum sit illud Poetæ: *Trita frequens via est, per amici fallere nomen.*

b.1.Iliad.
Achilles
Eurip.

VIII. Plures sunt, qui naturam, & cor habent fluvij Sillæ in India, qui juxta Diodorum nihil discoperit, & ostendit, *sed cuncta in profundum mersa mirabili ratione absorbet.* Cumque ob diffidentiam ita cuncta celemus, inhabiles sumus, ut amemus, & amemur. Habemus nomen amicitiæ, cum tamen non possimus ostendere quid sit. Quid diceret Aristoteles, si resuscitaretur, qui scripsit: *qui fingit se amicum, & non est, pejor est illo, qui facit falsam monetam?* Falsi monetarii sua utilius non gerunt, cudunt insignia Principum his id nescientibus, nonnullos ducatos fabricant adeo coloratos, & pondere justos, ut vix aurifaber expertus eos adulterinos esse discernere possit. Porro pauci sunt, qui non falificent amicitias. O quot non sunt, qui os tibi obliniunt melle, cum tamen semper tibi insidientur. Fingunt quod sint tibi amicissimi ut

Lib. 2.
L. 9. Ethic

tua secreta resciant, cum tamen sperent ex hoc aliquod lucrum cum tuo damno sibi obventurum. Sunt primi, qui contra te testantur. Quid prodest prudentia, ubi amicus verus à falso non distinguitur, hæ insidiæ sunt pericolissimæ ut inquiebat Diogenes apud Laertium. *Quæ latet sub simulatione officii, & Trojanus equus idcirco fefellit, quia formam Minervæ mentitus est.* Electioni nemo movet bellum cum malum sub specie boni possit occultari. Hinc Chrysostomus. *Malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur non cavetur.* O nos miseros qui à simulatione, quæ hodie grassatur in Mundo ad tam miseros terminos sumus conducti, ut nesciamus, cui fidere debeamus, dum fides data non servatur, dum subscriptionibus juratis non statur, dum pauciores sunt corvis albis, in quibus cor, & facies in uno conveniant.

Laert in vita Phil.

IX. Profecto valde dolvi, dum vidi veritatem ejectam, & profligatam ab apparentiis, gravius me afflixit dum conspexi cum eâ amicitiam periisse. Verum enim vero dum hodie cerno damnum accrevisse, & fidelitatem etiam omnino proscriptam, dolorem verbis exprimere nequeo. Quandoquidem DEUS nos creaverit animalia sociabilia, soli non possumus vivere, sed consilio, & auxilio aliorum indigemus. Verum cujus brachiis nos committamus in hoc mundo, in quo plurimi ne decipiantur, sodalem circumvenire student. Felicia sæcula Antiquorum Romanorum, quibus *ita*, & *non* habebant suum proprium significatum. Attilius Regulus, dum promitteret se Carthaginem rediturum, casu quo obtineret id, ratione cujus Romam ablegabatur, Carthaginenses certi erant potius ab eo vitam profundendam, quam fidem datam violandam. Verum hodie apud plures promissio nil aliud est, quam promissa non observare, & fidem jurejurando addicere nihil est aliud, quam illi non stare, si minimum damnum ex ejus servatione occurrat. Hodie nemo cum Carolo Audace in periculum se coniicere auderet, qui dum obsidione cinxerat Civitatem, eandem cum Rege hoste pacta icturus intrabat, nam hodie nemo intrans liber exiret, nisi ille Princeps cum Ludovico undecimo servationem fidei stabilitati coronæ præferret.

Ex comi

Plures politici neoterici in hoc puncto nullatenus sunt scrupulosi, nam de mediis, dumodo finis obtineatur, sive juste, sive iniuste, parum curant. Dumodo verba moveant, & sint efficacia nil refert, an argumenta sint rationabilia, vel non; Avertat DEUS ne regimen Herodis in Ecclesiam DEI invehatur, de quo Chrysologus *Calliditate regnabat, possidebat dolis & simulatione pollebat.*

Chry. m. 19.

Vtinam

Vtinam de nobis non verificetur, id quod de Hunnis dixit Imperator Valentianus; *Quidquid Hunnus agit, insidiis agit.* Plures pereunt per fictam prudentiam, quæ in bono linguagio vocatur nequitia, ita Augustinus. *Apparens prudentia, fallensque sui specie.* Mundum replent fabulis, argutos, & miros formant discursus, ita ut eorum Calendaria solum contradictoria, iis quæ dicunt, præsagiant.

Olaus hist. Goth. L. 1. C. 3.

L. 4. in Iulia. C. 3.

X. Absit quod ego hic damnem stratagemata. quibus in bellis sancti Principes sunt usi. Multo minus hic perstringo dissimulationes, quas suadet prudentia, iuxta rationem loci, & temporis ne negotia maxime momenti pessumeant. Non invehor, in occultationes, quibus occultantur secreta proposita, dum necdum sunt matura, solum hic verbero licentiam plusquam poeticam plurium, qua non stant pactis juratis, & infideliatem, quâ multi jurant se hoc facturos, cum interim nil tale cogitent, & similes licentias, quæ nimis frequentes sunt nostro ævo. *Domine DEVS virtutum, quis similis tibi, potens es Domine, & veritas tua in circuvitu tuo.*

Ps. 89. v. 9.

Omi Christe, & quid magis in tuis Christianis abominandum sit? A professione fidelitatis vocabantur fideles, & eandem ipso habitu profitebantur, baptizati induebantur candidis, & quamvis post occiduvum, potuerint mutare colorem, tamen monebantur, ne internum candorum deponerent. Hinc ingerebatur illis Dominica in albis illud Augustini. *Candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Ob candorem animi primi Christiani, ut refert antiquissimus Papas vocabantur infantes.

Serm. 117.

Teste Clemente Alexandrino in hoc maxime gloriabantur. *Nos sumus chorus infantium, populus novus, mystici agnelli, vituli Phrophetarum lactentes, & pulli gallinarum.* Vt hoc testarentur, non solum monachi, sed & plures sæcularium cucullum, habitum infantibus proprium portabant. *Vt simplicitatem parvulorum custodiant, etiam imitatione velaminis commonentur.* Et merito, nam scriptum sacra in Patriarchis nullam virtutem magis commendavit, quam candorem. Hic adeo gratos reddidit Apostolos Christo teste Chrysologo. Hunc adeo extulit in suo fratre Cæsarius, in suo patre Gregorius Nazianzenus qui habuerunt. *Mores doli expertes.* Hunc adeo deprædicavit in Satyro Ambrosius, de quo inquiebat, *Anima benedicta hominis simplex*; Sidonius de quæstore Liciniano inquit afferens. *Nihil in eo affectatum, simulatumque.* Ast hodie nomen simplicis injuriosum est, non est gratus, qui naturam imitatur. Pauci recte gradiuntur, sed instar serpentum gyrando, & regyrando procedunt.

Ex sanct. Marc. c. 7. de Ecclesi.

Hyera. L. 1. pedag. C. 1.

L. 1. de instit. C. 4.

Serm. 28.

XI. Fuit

XI. Fuit cum in Ecclesiis mille columbæ depingerentur, ut denotaretur puritas, quæ in frequentantibus ecclesias exigebatur. Quinimo ipsamet Eucharistia, in quibusdam aureis columbis asservabatur. Faxit Deus, ne hodie templa auiarium perdicum, quæ plura habent corda fiant. Quot sunt, qui in Ecclesia se *simulant curios*, *& bachanalia fingunt*? Quod non exterius instar Antipatris depicti à magno Alexandro. *Foris Antipater albo utitur pallio, intus vero totus est purpureus*, exterius videntur humiles, cum intus sint pleni ambitione? Hi asseclæ Diaboli, mihi in mentem revocant ursam Valentiniani Imperatoris, quæ referente Historico *Multos laniabat, & vocabatur innocentia.*

Ælianus L. 10.

Plutarch. in Apoteg.

Arumina L. 33.

Prædicet pro me Tertullianus, *Quantum à nostris disciplinis, & professionibus alienum sit faciem fictam gestare*, nam ego obmutescere cogor, dum audio negotiantem cum Barbaris, & Turcis, nec in obolo fuisse deceptum, dum autem ingentem summam, quam Christianis mutuam dedit, repetit, rejicitur, ac si schedulas finxisset, quin imoiurat super ipsa Evangelia, quibus iurando promittebat cum pensione se illam restituturum, nec obolum se vidisse. *Nunquid super his non visitabo dicit Dominus?* In malam crucem abeant tot personati è mundo, qui continuam agunt comœdiam, & bachanalia dissolutissimâ. Vates Regalis per totum Orbem vota DEI prædicet, qui non exigit nisi veritatem. *Veritatem requiret dominus.* Angeli rectores Mundi, *Aperite portas*, Quas dolosi clauserunt. *Et ingrediatur gens iusta custodiens veritatem.* Nunc vel semel apparentia cedat realitati. Apage, apage ex vinea DEI ficus, quæ foliis tantum, fructibus interim carentes ornatæ sunt. Resurgat, exeat è tumba sanctus: Paulus, & rursus primo Romanis, dein cunctis Christianis prædicet, *Convertantur in simplicitate cordis, & sinceritate DEI.* Eum adivet Chrysologus, & nobis persuadeat, id quod scripsit: *Inter cor, & linguam totum salutis humanæ versatur, & geritur sacramentum.* Si lingua cordi consonaret, multi musica consonantissima forent, interim quamdiu veritas non renascetur, DEI iustitia oculo propitio nos respicere nequibit, quia in tantum, *Iustitia de cælo prospexit*, in quantum *Veritas de terra orta est.*

De velan. Virg. C. 17.

Ierem. 5. v. 9.

Psalm. 20. 30.

Isaiæ 26.

1. ad Corinth. 1.

Serm. 17.

Ps. 88. v. 1

PARS SECUNDA.

XII. Sanctus Pachomius, qui sub se trecentos Ascetas numeravit, ut melius eorum fructui spirituali prospiceret, in tantas clasces, ut refert Sozomenus, quod litteras alphabetum numerat, ita tamen ut distributio mysterio non careret eos divisitu. Sub littera I, quæ rectissima est collocabat candidos, & simplices, sub littera Z. quæ est inflectuosissima constituebat duplices, politicos. Si vicarius

Lib. 3. C. 1

rius Christi ita Christianos distribueret, collocatos sub littera I. actutum numerare possemus. Stupore defixi sunt Anatomici, dum cor Aristodomi capillatum instar capitis invenerunt, nam revera pauci sunt, quorum cor calvum sit, & sine cortice. Ægyptij pro mysterio habebant, quod Persico non nisi unum folium linquerent, ut notarent cor cujus symbolum est persicus, non nisi unam linguam debere habere. In mensis maxime Magnatum, cum cor plures linguas habeat, quælibet persicus pluribus comis gravata est. *Prius l.35*


Adulatores sumus, & hoc sæculo sinceritas est rara. Dices, ubi omnes suo lucro inhiant per fas, & nefas, prospiciendum sibi est. Vulpes exigitur annosa, quæ tot laqueos evadat. Viam gradiens regiam facillimè incidit in latrones. Sed siste, crasse erras, nam extra viam regiam sunt nemora, & silvæ. Nemo per Mundum securius ambulat, quam qui rectè, & sine ambagibus, & involucris incedit Hinc Gregorius simplicitatem vocavit, *Arcem fortitudinis.* Ipsomet Tullio nulla via ad cælum compendiosior candore. *Compendiosa est via ad gloriam, ut qualisquisque haberi vult, talis sit.* *...12. Mo... c. 2. ...officiis.*

XIII. Politici morderni suis technis se regant, natent subtus aquam, facilius in gurgites incident. Ridet eos sanctus Isidorus Pelusiota, & fundatus dicit. Veram regulam vivendi esse simplicitatem prudentem, nullâ duplicitate mixtam. *Simplicitas cum prudentia coniuncta virtutis, ac Philosophiæ regula.* Turbent hi piscatores aquas, ne eorum retia videantur, tandem clarescent, & apparebunt, quod sunt. Erit cum hæc sepulchra dealbata aperientur. DEUS qui est veritas nullis, quam his infensior est. Caveant ne in ejus manus incidant. *Abominatio Domini est omnis illusor.* Christum infantem adorant Pastores, Hebræi, Gentiles, Plebæi, nobiles, sed non hypocrita Herodes, qui devotionem sunt verba Chrysostomi. *Promisit, & gladium acuit, & malitiam cordis depingit colore humilitatis.* Quilibet proprium gestet habitum, nam DEUS juravit per Sophoniam, *visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ.* Spiritus sanctus nullatenus admittit dealbationes, & crustationes *Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum.* Et merito inquit Philo, nam fingere nullus scit generosus animus, & fictiones *Ad servile, & minime liberale ingenium pertinent.* Sunt illi filii Dæmonis, qui *in veritate non stetit.* *...Epist. 31* *Proverb. 3.* *In Matth.* *Soph. 1.* *Sap. 15.* *Lib. de Creat.*

XIV. Ego nunquam de iis bene sensi, qui cum Simone Mago duplices sunt, ut iis dici possit cum sancto Petro; *Cor tuum non est rectum coram Domino*, & ideo supplicia effugere nequeunt. DEUS non loquitur nisi cum simplicibus, *Cum simplicibus sermocinatio eius*, eorum conversatione delectatur, *delitiæ meæ esse cum filiis hominum*, hoc est cum parvulis. Vtinam cum Ezechiâ in morte *Act. 8.* *Proverb. 32. v. 32.*

dicere possemus: *Memento quomodo* (Ibid. C 8. 3. Reg. c. 14.) *ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Nolo vos esse bardos, & stolidos, sed sincerè prudentes. Si DEO latere velitis dicam vobis illud Persij Satyrici. *Ad Populum Phaleras, ego te intus, & in cute novi.* Fateor non omnia prodenda, nunquam tamen verbis, aut factis mentiendum. Qui in via DEI vult esse incapax auxiliorum divinorum, maximis politicorum se discooperiat. Hæc hypocrisis securim ad radicem mittit, & juxta Cyprianum, (Serm. de ieiu.) *sanctitatis fundamentum evellit, & destruit.* Cur creditis lilium esse tam insignem florem? Rabbini dicunt, quia habet radicem instar cordis, e quo totaliter rectus flos exurgit. Topazius ex naturâ suâ micantissimus, nullâ eget politione, imo (In 13. apoc.) *Topazium si polis obscuras, si natura relinquis clarior est.* Non nisi deformis velamento eget, facies venusta nullis eget pigmentis, aut fucis.

Oro vos, ne cum sæculo sitis Vertumni, aut Protheii, sed ipsamet veritas, quæ juxta Senecam. (Epist, 10.) *In omnem partem sui semper est eadem.* Eo vos merita evehant quo alios fraudes, ut possitis dicere cum Innocentio 8. in suo Symbolo, *ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Oracula eritis veluti Titus Pomponius amicissimus. (Ex Corn. nepo.) Tullio, quem omnes ob sinceritatem consulturi adibant. Plato in omni etiam Republica requisivit, (Lib. 4) *ut nemo adulterinus esse videatur, sed simplex, & verus semper.* Si mihi nolitis credere, credite Venerabili Bedæ, DEUS non vult panem fermentatum Pharisæorum, quia *simulatio cujus semel animum imbuerit, totâ virtutum sinceritate, & veritate fraudabit.* Animus fictus nullam habebit veram virtutem. *O præsumptio nequissima, unde creata es, cooperire aridam malitiâ, & dolositate illius.* (Ecclesi.) Sæculum apparentiarum contrarium vobis prædicet, ego jussu Christi vobis replico, *nisi efficiamini sicut parvuli* (sinceri, & candidi,) *non intrabitis in regnum cælorum.* Quamdiu instar serpentis flexuosè vos contorquebitis, nunquam salietis è terrâ. Sitis columbæ, & nidificabitis in cælo. AMEN.



CON-

CONCIO XXV.

PRO DIE MERCVRII DOMINICÆ QUARTÆ.

Quis peccavit hic aut Parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

Verus interpres propriarum, & alienarum tribulationum.

I. Curiosum ingenium hominum, ita eos occupavit in eruendis consequentiis ex rebus, quas vident ad alia, quæ DEUS ex suâ scientiâ infinitâ occultavit, ut proprio Marte, & viribus ipsa somnia, & casus contingentes enodare, & interpretari præsumant, in iisque fundent spes vanas, & timores inanes, judiando hominem bonum, vel malum, DEUM esse propitium, vel adversum, ex eo quod hæc potius, quam illa sors illi contingat. Sanctus Augustinus irrisit superstitionem Romanorum, qui ex visceribus animalium successus irregulares, & ionrdinatos augurari solebant. Si corvus non crocitaret, vultur non volaret, gallina non glocitaret, tonitru non streperet, fulgur non micaret, senatus Aruspicum, & Augurum cum toto Collegio famosissimorum Tuscanorum arcanum patefacere non præsumebant. Irrisit illos, qui dum solveretur cacidus, dum dextrum sinistro pede induberent, gravissima infortunia præominabentur. Insanos illos vocabat, qui dum inter induendum sternutarent illo die è lecto non prosiliebant, si ad limen domus offenderent, toti consternati domi se continebant, si inter ambulandum cum amico canis, casu inter eos medius pertransiret, amicitiam dissolutam censebant. Caium Marium irrisit, qui de se actum proclamavit, dum asinus avenâ relictâ ad aquam accurrit. Milites iterum, qui Archistrategum belli Traianum occubuisse asserebant, ex eo quod muscæ eorum scyphos lamberent. Contempsit Zanuvii milites, qui dum mures scuta eorum arroderent, mille adversa ex bello contra Marsos gesto, præsagiebant. Sicut, & illos, qui Romæ totam honestatem periisse ominabantur ex eo quod in Capitolio ficus germinasset.

[Margin: ...l. 2. de ...Trin. ...ristian ...20.]

[Margin: Alex. de Angelis prof. in Astrol.]

Et revera

Et revera nostro sæculo non desunt huiuscemodi interpretes, præter enim Astrologos, qui divinationes suas colligunt ex sideribus, Geomantos, qui ex terra, Hydromantos, qui ex aqua, Chyromantos, qui ex lineis manuum, Negromantos, qui ex ossibus mortuorum, ipsi pueri, & vetulæ ex granis salis, vel foliis lauri, ex ignis exilitione, fertilitatem, aut sterilitatem, felix, infelix matrimonium prædicunt. Verum enim vero, sicut nil frequentius, & magis sentimus, & observamus, quam adversa sive in nobis, sive in aliis, ita in nullo magis quam in interpretandâ tribulatione ingenium exercemus, & quod pessimum est, nulla occurrit adversitas, quin iudicium semper pessimum formemus. Nec soli Apostoli ex miseriâ cœci nati aliquod peccatum personale, vel parentum præcessisse suspicati sunt, nam commune est malum, ex propriis, & alienis afflictionibus semper pessima ervere, cum judicemus incredibile malis oppressum esse bonum.

Dum ergo piscatores rudes interpretes agunt, mihi, & hodie id fas esse poterit, & pellem horum divitum spinosorum, à quibus non nisi puncturas aculeatas exspectes detrahendo, aruspiceo e lyceo Christi hausto veram, & non apparentem eorum substantiam prodo, inferendo, & concludendo, nullum dari in orbe meliorem interpretem, quam qui ex afflictionibus, boni aliquid producit.

PARS PRIMA.

II. Tam bonos, quam malos adversis exerceri scitis; *Commune sacramentum ferre mortalia*; inquit Seneca. *De vita beat. c. 1.* Ego tamen non concedo hac diversitate subjectorum variandas esse interpretationes quin potius defendo afflictiones vitæ præsentis in pessimo homine esse bonum omen, non quatenus poena denotat culpam, & puniri præcessisse supponit peccatum, sed quod Deus dum incidit venam, porrigitque pharmaca amarissima signum sit clarissimum, nostrum morbum non esse desperatum. *Medicus si cessaverit curare desperat*, inquit Hieronymus, medicus *Epist. 3 cast.* de infirmo actum proclamat, si eum deserat, nec remedia ulla amplius adhibeat.

DEUS Hierosolomytanos acrius perterrefacere non potuit, quam dicendo, *Iam non irascar tibi*; *zelus meus recessit a te.* *Ezech. 16 v. 42.* Boves, qui iugo subtrahuntur, & in stabulo impinguantur, macello sunt destinati inquit Petrus Damiani. Vites quæ non putantur, nec colligantur igni serviunt. *Sed ramis divagantibus, quò liberius, eo & diffusius patent.* *L. 8. e*

Tu ergo Ambrosi ex illo hospitio fuge, cujus Dominus se nescire quid esset adversitas dicebat, nam ego idem facerem, dum audio sapientem dicentem; *prosperitas stultorum perdit illos*; *Prov. 1 v. 32.* cum sint paucissimi, qui non sint peccatores, illi, qui non patiuntur, merito suspicari possunt, se veluti incorrigibiles discipulos à magistro negligi.

Porro

III. Porro quam hoc felix eſt nuntium pravis cum à DEO ſæpe caſtigantur. Vulnera eorum ſi obligentur ſanitas non eſt deſperata. Hinc Gregorius, non eſt actum de infirmo, quamdiu *internus medicus abſcindit virus putredinis ferro tribulationis.* E purgatorio ad cælum, & non ad infernum itur, nec ſibi illudere putet Tertullianum, dum dicit, *Gratulari, & gaudere vos decet dignatione divinâ caſtigationis.* Quam diu te DEUS cædit, bene ſperes. Sed cave tibi, qui vides plures fortunâ ſecundâ, ac adverſâ perire; nam ſi ad ſiniſtram cadunt decem, ad dexteram condemnantur mille. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Chryſoſtomus, id dicit, ſed nos ei credere nolumus; *Rerum ſucceſſus maiora mala facere, quam res adverſas.*

26. mor. 15.

de pænit. c. 1.

Pſal. 90.

in Pſal. 90.

Id perbelle intellexit Mauritius Imperator, quem DEUS e ſolio Regali ad cathedram tranſtulit, ut mundo utiliſſimam lectionem, ac modum vere interpretandi tribulationes traderet. Video eum è Notario in centurionem, ac præfectum equitum, è centurione in generum Tiberii, è genero ad imperium evectum pluribus Ladibus Sclavos, & Perſas deleviſſe, & profligaſſe, prolibus gratioſiſſimis, & probiſſimis decoratum. Hæreticorum acerrimum inſectatorem, Catholicorum fautorem ſummum, Baſilicas magnificentiſſimas exſtruxiſſe, unam Tharſis Apoſtolo Paulo, alteram Conſtantinopoli quadraginta Martyribus. Verum o viciſſitudinem rerum humanarum! Plurimis poſtea eum conſpicio ſceleribus contaminatum, qui dum Gregorius Magnus eius injurias perſtringeret, quibus ſe affecerat, velut idiotam eum irriſit, nimiis ex actionibus ſubditos expilavit, & dum ex nimiâ avaritiâ barbaro Caino, qui plurima millia Chriſtianorũ captivos abduxerat ſcutum pro quolibet perſolvere detrectaret, miſero eos necis genere affici permiſit. Tot mala patravit, ut ego de eius ſalute proclamaſſem, dum tot proſperis bona ab eo facta remunerata attendo.

Sed quomodo ſe ſalvavit? Nõn ſibi palpum obtruſit, ſed verum agens interpretem tribulationum, intulit ex iis ſe eſſe perverſiſſimum. Dum ex unâ parte ſe tantum peccatorem cerneret, & ex alterâ parte Imperatorem adeo felicem; calamum manibus phræhendit, ſubmiſiſſimeque per epiſtolam ab omnibus religioſis Græciæ, Paleſtinæ, Ægypti rogavit ſibi à DEO certam quandam arrham ſalutis obtinerent. DEUS hoc novum ſupplicæ genus acceptiſſimum habuit; & per ſervos rogatos ei reſpondit. *Te totamque familiam tuam Dominus collocat inter electos.*

Baron. ex Niceph. Evag. & aliis.

IV. Sed quomodo? Audite vos, & adhuc inferte, DEUM vobis male velle, dum vos caſtigat. Mauritius cælum in ſe commoveri vidit, ſcenam tragœdiæ ſibi parari, in fatalibus meteoris faces ſuæ parentationis accendit, quotquot dono prophetiæ illuſtres erant, eos ſibi minas intentantes audivit. Unus Aſcetarum modeſtior enſem evibratum geſtans, per totam urbem imperialis familiæ interitum prædicabat. In ipſo ſomno ſe ad tribunal

bunal vocari conspexit. Subditi ei antea addictissimi Æthiopem ei simillimum serto stramineo redimitum jumento imposuerunt, in eoque mille conviciis, & contumeliis Mauritium onerarunt. Phocas solio eum exuit, ludosque eo spectante dedit. Phocâ in theatro ludos spectante ad primam supplicam plebis, Mauritius compedibus vinctus in scenam adducitur, quinque innocentissimi, ac clarissimi ejus filii misere illo spectante trucidantur.

Hisce non commotus, utpote verus interpres tribulationum, sub crudelitate Phocæ divinum conspiciebat larvatum amorem. Reus Imperialis fortunam, sed non vultum mutat, & sacerdotem agit in illo sacrificio, quod ut esset undequaque perfectum holocaustum adesse voluit. Etenim dum pia nutrix propriam prolem carnifici obtruserat, ut ad minus natu minimus princeps servaretur, ille hunc astum, & fraudem detexit. Nec hic stitit, concionatorem egit, hæc ex cathedra veræ sapientiæ intonans *Iustus Domine, & rectum judicium tuum*, quousque gladius cervicem revelleret.

Ex Baron. anno ultimo Mauritii

Ps.118.v.131

Miser princeps! O pauperem principem! Verum o nos miseros, si gravibus constricti sceleribus non affligamur! E contra felicissimum illum, qui cum Mauritio meliora ex suis adversis colligit, & auguratur; nam esto ob noxas præteritas sustineat pœnas, illæ tamen sunt pignora certissima gloriæ. Tu, qui sinistra semper ex adversis ominaris, accipe regulam, quam tibi dat Augustinus. *Intellige medicum esse DEUM; & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem*; Illam intellige, & affligi te permitte. Verum vos huc adeste, qui ex afflictionibus non nisi noxas præteritas præcessisse infertis. Ne quæso tot innocentissimis, qui dicere possunt cum Job; *Multiplicabit vulnera mea etiam sine causa*, hanc injuriam irrogetis. Ubi est culpa, ibi valet illud Augustini; *Ad hoc exagitat tribulatio, ut exinaniat vas, quod plenum est malitiâ, & impleatur gratia*, Et tamen sæpius jurare audeo, quod DEUS nullatenus punire velit. Hinc Bernardus. *Non est cur à patre formides, qui & si quando feriat, nunquam vindicat.*

in ps. 26.

Iob.9.v.1[illegible]

Arg.in ps.

serm.16. Cont.

V. Non volo hic probare, quod DEUS sæpe nos affligi sinat, ut ita adversa prosperis immixta, gratiosa reddantur tam suavi vicissitudine, nam hoc modo inquit Lactantius; *Malum interpretatio boni est.* Quod ver post horridam brumam, sanitas post morbum gravem, post nebulas sol, post tenebras lux, post vincula libertas, post bella pax gratior sit, nemo dubitat. Hortulanus expertus inquit Plutarchus. *Rosas, & violas efficere se meliores putat, si allia, & cepas juxta seminet*; Potius placet ostendere, quomodo noster medicus juxta Hugonem Charensem. *Faciat de veneno theriacam.* Permittatque malum, ut evitetur, & impediatur minus.

L.1. div. Insul.

Lib.de ut. ab inim.

in ps. 51

Lanceola quâ inciditur vena, instar hastæ Achillis est, quæ ex una parte ferit ex alterâ sanat. Usum pedum Miphibos & abstulit, sed tali præcisione:

ſione infortunio eum maiori ſubduxit. Sanus miſere cum Saul, & Jonathâ, interiiſſet, ubi infirmus domi manere coactus, in eorum bona ſucceſſit. Mundus dicet illos eſſe ictus cæcæ fortunæ, quos recenſet Plutarchus, & Plinius, nempe eum, quo vel prometheus qui dum gladio alicuius latus transfixit, volens ita aperire occultum apoſtema & ita neci dare vitam ei dedit, vel quo Phalereus, qui dum infeliciter alicui venam inciderat ex qua in diſcrimen mortis eſt adductus, ita ut vitam deſperans in loco ſe pugnæ periculoſiſſimo collocavit, hac viâ vitam ſalvavit.

...de util. ...inim.

Deus, qui ſcit quid agat, quotidie hæc nobiſcum operatur. *Tam eſt enim* inquit Procopius; *Noſtræ ſalutis peritus artifex, ut vel plagas incutiens medeatur.* Vidi inquit Bonaventura Aſiſii prædicante Cardinale Hoſtienſe, qui poſtea ad ſolium Eccleſiæ fuit evectus magni lapidis ex alto decidentis ruinâ miſellæ cuiuſdam mulieris caput contuſum, quam omnes mortuam putarant, ſed falſo, quin potius ſanitati reddita, dum ante graviſſimos dolores capitis pateretur, illis liberata extitit illo lapſu. Vidi inquit Maiolus quendam Mediolani carcere novendecim annorum tolerato, podagræ, ac variis morbis ſubductum; Quibus antea domi miſere torquebatur.

...9. Iſai. ...ita S. ...ncisci c. ...lo l. dial. ...ing.

Fuit qui plangeret Seleucum à fluctibus in litus ejectum, ſed quando conſpexit, quod ejus æmuli, qui eum felicem ſolio exuerant, eius miſeriæ compatientes diadema eius capiti reſtituerunt, cognovit illi ſicut, & multis aliis unam afflictionem ſuſtuliſſe peiores.

VI. Qui conſpexiſſet uxorem Palæologi ſecundi Imperatoris marito ſuo per plures annos nec in minimo gratificatam, quinimo ſervos ei deſignaſſe ineptiſſimos, petenti panem porrexiſſe ſal, poſcenti medicum ſubmiſiſſe ſtultum, ſeu Morionem, iuraſſet eam fuiſſe Semiramidem, quæ ut ſola regnaret, non potuerit ſufferre hunc virum. Attamen illa edocta à phyſicis eum curavit hac empiricâ curatione, nam dum his irritationibus accenderet bilem, pravos omnes humores eduxit.

Egnat. in hiſt.

Illa paucis diebus hanc adhibuit medelam, Deus vero, qui illud ſcit utiliſſimum eſſe, eo utitur jam per ſexaginta ſæcula, & ultra. Lamentatur ille opifex, quod indignationem incurrevit illius, qui apud principem eſt potentiſſimus, ſed potius gauderet, ſi intelligeret, ſe pluribus calamitatibus involuendum, ſi eius gratiâ non fuiſſet exutus. Alius lecto affixus hæret cum magnâ impatientiâ, qui ignorat quod maris fluctibus hauriretur, aut à Latronibus in ſilua occideretur, ſi eſſet ſanus. Alter gemit, quia fere ad incitas eſt redactus, & dignitate privatus, quia neſcit quod ſi floreret, ut ante, ab æmulis talem ſibi calumniam appingendam fore, quæ non ſolum bona, & libertatem, ſed & vitam auferre ſufficeret.

VII. Peſſime interpretamur ea, quæ occurrunt, quia credimus id nobis officere, quod Deus juxta noſtrum velle non operatur. O mente captos,

qui non capimus prælustrissimos astus providentiæ divinæ gubernantis! O nos cæcos, qui non cognoscimus: quod tamen in mundo non est novum, sed sole clarius unam afflictionem esse alterus antitodum, quin imo unam magnam calamitatem, esse portam, per quam salimus ad grandem fortunam. *Dabo vallem Achor ad Aperiendam spem*; hoc est, *vallem tribulationis ad aperiendam spem.* Patria spei undequaque cingitur insuperabilibus asperitatibus, per unam solum vallem ad eam patet aditus, nempe tribulationem. Homines pusillanimes audite, quantūvis varientur suspiciones, & successus occurrentes, qui vos consternant, Dum Henricus Boiorum dux Ratisponæ devote veneraretur exuvias sancti Emerani, illicò à manu invisibili, charactere visibili, has solas syllabas exarari conspexit. *Post sex.* Subito ei animus ingenua concidit, & post sex horas se moriturum subintulit, *ut ipse augur securissimum omen faceret, de vicina morte credidit DEUM esse loquutum.* Pluribus lacrymis ad ultimum transitum se disposuit, & videns quod nec post sex horas, nec post sex dies; nec post sex menses moriretur, eadem inquietudine sex annis continuis agitatus fuit. Porro sex annis in continuâ meditatione mortis transactis, Electores solium, & coronam Imperialem ei detulerunt, sicque tunc intellexit, quod illa manus DEI, quæ Balthasaro fatalem sententiam exaravit, multis aliis dum minus sperant, prospera, & salutaria decernat.

Ose.2.15.

Ex Surio in vita S. Wolfgangi

VIII. Heus tu, qui adversa fugis, quomodo scis quod tibi non sint profutura, imo te forsan evectura ad dignitates? Rex Carolus Octavus, dum arcem Mediolanensem ingrediens leonem vinculis solutum in se irruentem conspexisset, gressus stitit, & de se actum putavit, sed terrorem suum vanum vidit, postquam animata illa bestia à spiritibus magni Architecti ei adstrata variis suaviationibus blandiretur, & res in risum effusum desiit. Nos proni ad sinistra prædicenta, illud Chrysostomi tantum verum esse putamus. *Ad patientiam ungit tribulatio.* Vivant porro artificia gubernantis DEI, nam verissimum est illud Richardi, quod *In tribulationibus habes gloriæ unctionem.* Misere afflictus suis lacrymis inungitur, & gloriis non vulgaribus consecratur. Ne putetis, quod vobis illudam? Quid fuit famosa Athenaides filia Leontii philosophi, antequam afflictionibus agitaretur? Fuit pulcherrima puella, & doctissima, intra cancellos plebeiæ fortunæ conclusa. Porro quid eam ex Athenaide fecit Eudoxiam, èx Gentili Christianam, ex mendicâ pedisse quam Imperatricis gloriosæ? Sola afflictio.

Chrys. l. 66. Tra. de erudi. intern. l. c.66.

Ex var. hist.

Incivilitas avarorum fratrum, qui mortuo patre ei negarunt dotem, & domo eiectam coegerunt per patrias vagari effecit, ut Athenis Constantinopolim tenderit, ubi fortunam sibi faventem nacta fuit; nam adsternata Imperatrici Pulcheriæ, levamenque miseriarum rogans, gratiosâ narratione miseriarum, aditum ad pala-

tium

tium obtinuit, & dein morum compositione, adeo cunctos devicit, ut Theodosius Junior, aliam in uxorem non voluerit.

Nunc injurii sitis Nysseno, qui dicit; *Afflictio flos bonorum, quæ exspectantur.* Prosperitates sunt fructus, sed flores, quos promittunt nihil aliud sunt, quã adversitates, unde sicut arbor, quæ non floruit nullos potest producere fructus, ita non potest frui consolationibus, qui antea nullas habuit afflictiones. An nunquam observastis inquit post Origenem Basilius, & Hieronymus, qualiter scriptura quotiescunque loquitur de prosperis, & adversis, semper adversa anteponat? En Exempla *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit, humiliat, & sublevat percutit, & sanat*; *quia at tristibus semper ceu necessariis inchoat DEUS*; Quamvis DEUS sit serius, tamen nobiscum libenter ludit, & ut bona suaviora reddantur, vult nobis illa eveniant, quæ minus fuerunt exspectata, & quando maximè sumus consternati tunc nos exaltat, & metamorphosi propriissimâ suæ naturæ, & charitati inquit Hieronymus; *Doloris magnitudo in magnitudinem vertitur gaudiorum.* Habeat quisquis velit instar paradoxi illud dictum Ecclesiastici; *De carcere, catenisque interdum ingreditur quis ad regnum.* Ego reipsâ non reperio in mundo rem veriorem, quippe occultâ Catenâ malum, secum semper bonum trahit. Qui reus abit, redit in scenam Rex, ita DEUS nobiscum jocatur, & ita in mundo agitur.

Io 5. in ars. Orig. 1. in ... ierem. ... rig. ibidem.

...iep. in ...ierem.

Eccl. c. 4.

IX. Video, quod in Ægipto Joseph imperet, non solum aulæ; Sed & ipsi Regi, quod sit oraculum supremum in dubiis, primus motor in resolutionibus. Porro si quæram; *Quomodo huc intrasti?* Respondebit per magnam tribulationem, invidia quæ me voluit annihilare, illa me evexit, cisternam aridam lacrymis implevi, honore exutus fui, & ferme vitâ ob injustam calumniam privatus, è carceribus veni in palatium, è vinculis ad solium. Conspici opuellulum Moysen factum fuisse idolum filiæ Pharaonis inter purpuras, & gemmas enutriri, & ad hanc insulam fortunatam nil aliud, quam fluctus inimicæ fortunæ in cistella vimineâ eum propulerunt. Nisi in Nilum præcipitatus fuisset, in paternis haris bubulcum, aut opilionem agere debuisset.

Ex Gen. Matt, 22, v. 12.

Ex lib. Exod

Cerno Ester ocellulum Regis Asueri obtinere quidquid vult, & invenio quod huc sit acta à suis miseriis, in patria matrimonio juncta fuerat alicui opifici, sed manceps facta, evasit Regina. Video Danielem inter satrapas & proceres præcipuum, sed e lacu Leonum ad illam dignitatem emersit; quo in maiori fuit periculo vitæ, eo magis suas glorias stabilivit. Nec est necesse, ut pluribus hæc confirmem, quia audeo dicere, me in scriptura nullum reperire, qui non ab adversis ad altiora transierit. Consolationes Annæ matris Samuelis præmiserant improperia procacis phenennæ. Sceptrum Saul habuit prodromos amissionem asinarum. Daniel e persecutionibus, & periculis, imo ipse Salomon.

ex lib. Esch.

Ex proph. Dan.

Ex lib. Reg.

mon, quem crederes hac regula exemptum, illo die de regno fuit assecuratus, quo à fratris Adonia insidiis fuit Agitatus.

Qualis ergo est nostra phrenesis, ubi communiter auroram nubilissimam sequitur serenissimus dies, ut nullum bonum e malis nostris speremus? Emendate vestras falsas aprehensiones o mortales, quia DEus ludere non cessavit: *Ludens omni tempore*; Adhuc pila mundi hodie ludit. Et hoc est, quo Soldanus adeo Regem Galliæ vinctum solabatur, nempe quod mundus sit orbis, qui movetur instar rotæ currus, cuius pars quæ modo est infra, statim volvitur supra. Hinc Augustinus: *Succedet quies labori, recedet tentatio, manebit benedictio.* Et quamvis hoc non esset verum; quod unum infortunium cohortem secum traheret felicium successuum, & multos DEVS sub oculos ponat, qui quamvis patientissimi fuerint, tamen una miseria semper excepcerit aliam, adhuc tamen defendo, ab his ipsis omne malum, non nisi in bonum explicari. Et an eminentiæ animæ, quæ sunt æternæ non debeant magis æstimari, quam evectiones corporales? Quod si quodlibet tormentum sustineamus, ut augeatur meritum, & nil magis coram DEO illustres reddat, quam id, quod nos reddit contemptibiles coram mundo caveat quilibet ne è tribulationibus suis mala ominetur, nam ego non nisi bonum præsagiam. Non est necesse ut dicat sanctus Thomas à Villanova aiens, quod *Nihil sic omnia hominis vitia, & varia desideria extinguit, sicut tribulationis acrimonia.* Nec Petrus Blessensis inquiens, quod *flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformitatem animæ iniquitas assidua congessit.* Nec Chrysostomus asserens; *Fastum contrahit Tribulatio, & humanam rerum utilitatem revelat, & multam introducit sapientiam.* Experientia mea ut aliorum hoc mihi suasit, nempe quod DEVS non habeat medium melius sublimandi aliquem ad eminentem gradum gloriæ cælestis, quam in hac vitâ nos affligere. Quid cælum replevit Confessoribus? Cilicia, quæ pungunt, jejunia quæ rodunt, vigiliæ quæ molestant, solitudines, quæ affligunt, rigores qui constringunt, infirmitates, quæ consumunt. Quid Martyres illuc introduxit? Enses, ignes, stagna congelata, metalla liquida, ahena, craticulæ, catastæ, rotæ, equuli, scorpiones, forcipes, cruces. Sane Ecclesia non tantum utilitatis hausit à Constantino, & Theodosio, quantum à Diocletiano, & Licinio; nam illi dum vellent ei prodesse illam destruxerunt, hi vero volentes eam evertere, illam stabiliverunt. Sub his afflicta fuit sancta, sub illis pacata fuit dissoluta. *In persecutionibus robur comparavimus, postquam collecti sumus defecimus*, Dixit, nec immerito Nazianzenus.

proverb. 8.
Ex variis
Ho 35. ex 5
serm. de S.
Petro Bless. ep. 31.
Chrys. Ho. 66.
Naz. orat 14. in persecutionibus esse post tanquam collect. def.

XI. Cur ergo ambabus non amplectamur ulnis adversa, quæ faciunt sanctos, dum ex damnis, quæ involuunt corpus beatitudinem animi inferimus? Nos incapaces sumus, ut hoc intelligamus. De cætero verissimum est illud Oleastri. *Nihil plus in mundinis*

cap. 21. ium. *dinis DEI valet, quam mala à DEO immissa cum patientia, qua tolerantur præsentare.* In nundinis DEI nemo melius negotiatur afflicto, qui dum iis invehit afflictiones, & lacrymas, reportat jubilos, & glorias. Nec illud in dubium trahetis, qui adverterit in cælo neminem micare gloriosius, quam qui in terrâ miserabilior fuit. Audite Valerianum.
val. ho. 2. *Quis unquam otiosius trophæa composuit?* Viden inter Episcopos Athanasium in sublimiori solio locatum. Causam ego scio. Nullum ex annis quadraginta sex, quos in Patriarcha tu transmisit pacatum, & tranquillum habuit. Ab uno concilio Arrianorum traductus fuit, ut adulter, ab alio ut veneficus. Plusquam semel proscriptus, summis miseriis confectus peragravit Europam, Africam, Asiam, quatuor mensibus delituit in sepulchro paterno, alios sex annos latens consumpsit in cisternâ.

Conspice magnum Gregorium ut inter Pontifices eminet. Scio causam. Nullius pontificatus magis agitatus fuit inundationibus fluminum, irruptionibus barbarorum, inediarum, pestilentiarum, obsidionum, ut nil dicam de fæce privatorum malorum, quæ eum incesserunt, puta podagræ, chyragræ, deliquiorum, febrium. Cerne quomodo inter maritatas rutilet Gordolena. Scio causam. Maritum habuit Tyrannum, qui eam æque habuit, ac mancipium non sodalem, plurimis annis nullo eam dignatus est verbo leni, aspectu gratioso, præterea non nisi fontanâ, & cerere eam pavit, & tandem de nocte per servos eius jussu suffocatam in flumē præcipitem dedit.

Quilibet juxta suum caput tribulationes interpretetur, quia ego lego in gestis sanctorum, neminem à DEO fuisse in delitiis habitum, nisi qui ante misere in mundo tribulationibus confectus fuisset, ita ut de omnibus possit dicere David; *Multiplicatio sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Sed cur tot discursus? Finiamus. *Disciplina tua correxit me in finem.* Certus sum mi Domine, quod me non affligas, nisi ob bonum finem, qui non est alius, quam vel ut dum patior, merear prosperitatem temporalem, vel ut des mihi æternam. Quotiescunque ego in peiorem partem traho meas tribulationes, dic, quod frustra me torqueā, & verum dices. Psal. 15. 4. psal. 11. 31.

XII. Verum eheu non omnes sic sentiunt. Dicit non nemo plura succedere in mundo, quæ non sunt trahibilia nisi in partem sinistram, quia non minus spiritualia quam temporalia sunt extreme nociva. Quæso vos cohibete talem, ne fugiat, quia ego eum docere volo, quanto fundamento dixerit Isidorus. *Per hoc quisque se juste pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cuius nunquam injusta judicia sunt.* In despectum illius, qui hoc non vult capere, successus qui nobis, & DEO videntur nocivissimi, nobis, & eidem sunt utilissimi. de summo bono l. 3.

Ah

Ah quot non murmurationibus Anno 1146. fuit DEUS proscissus! Et sane si nos illo æuo fuissemus, nostrum contulissemus. Eugenius Tertius insistens vestigiis sancti Lucii secundi sancto Bernardo commisit prædicationem cruciatæ, ut auxiliares copias submitti impetraret Christianis in Soria. Obedit ille, DEVS que ita eius verbis subvenit, ut viginti miracula quolibet die patrarit. In Gallia, & Germania matres filios, viri uxores cohibere ab illâ expeditione non valuerunt. Conradus Imperator sexaginta mille peditibus & tot equitibus sequente Friderico duce Sueviæ, Guilielmo Monferratensi, Duce Lotharingiæ, & Frisiæ, Marchione Austriæ, in illam se dederat, sicut & Ludovicus septimus cum flore nobilitatis Gallicæ.

Goffri. in vita Bern. & alii.

Sed omnis ille apparatus, in quod desivit? Historiæ adhuc hodiedum plangunt illum irridendo. Exercitus Conradi partim proditione Græcorum, qui pinsendo panes miscebant calcem, & farinam, fermentando Gypsum, partim per aggressionis Turcarum, qui per duos assiduos dies eum infestarunt, & ex centum viginti millibus, solum duodecim millibus pepercerunt. Rex etiam Ludovicus, qui frustra Damiatam obsederat, exercitu profligato, dum rediret à Græcis captus fuit, nec sine immani strage à Rogerio siculorum Rege liberatus.

Quid fecisti mi Domine? Siccine florem populi tui ad lanienam duxisti, & tuum servum Bernardum bono nomine exuisti? Sane jam Claravallensi monasterio eum pudet exire. Tot pupilli, & viduæ jam eum lapidibus impeterent, & velut Mahumetem proscindunt. Quod si hæc expeditio, tuâ fuit suscepta voluntate, cur eam non es prosecutus? Quod si non fuit talis, cur tot miraculis eam suasisti? Scio quod Bernardus id in optimum derivabit omen, & ipse id jam fatetur. *Ego plagis conscientiæ meæ nullum judico accommodatius medicamentum probris, & contumeliis.* Porro audiamus, quomodo alii hunc successum interpretentur. Plebei in illa antecamera effutiunt jam DEVM satis contestari, quod Religiosi materiis bellicis sese immiscere non debeanr. Alii sub illâ porticu in peccata superiorum causam conferunt, alii in perfidiam Græcorum, alii in dissensionem Latinorum semper fatalem.

Epist. 2. 8

At vero inquit Gaufredus hæ interpretationes, quam longissime a vero aberrant. Nullus executorum in causa est, eam DEVS pallio magnæ providentiæ involuit. *Patienter tolerat Salvator opprobrium, quod tantarum animarum salute compensat.* An tibi lucellum exiguum videtur, quod ita DEUS centum, & quinquaginta millia animarum cælo invexerit, quæ alias domi variis vitiis immersæ verosimiliter periissent? *Non peperit populo suo nec suo nomini.* Interim sancti Joannes, & Paulus frequenter religiosis monasterii Casumariensis apparent, iisque hoc ænigma reserant, significantque in nullo exercitu fuisse visam tantam contritionem, & tantam certitudinem salutis, quam in illo. Auguretur nunc quisquis velit ex suis tribulationibus

In vita Ber. l.

Bern. consul fine.

Bar. e riis.

adversa.

adversa. Sint supplicia peccatorum, interim tamen etiamsunt pignus non desperatæ emendationis eorundem. Si semper aliquod bonum sive temporale, sive spirituale secum trahant, illas fugiat qui non scit, quid sint; Ego ambabus ulnis è manu DEI amantissimi Patris illas amplectar.

PARS SECUNDA.

L.3.c.5. XIII. In scriniolo devicti Mithridatis teste Plinio Magnus Pompeius certum antidotum manu Regis scriptum contra omnia venena invenit. Componebatur porro ex duabus nucibus, & totidem ficubus siccis, viginti foliis rutæ, & grano salis. Nunc parum mea refert, an fuerit efficax, scio quippe nullum venenum Mithridati fuisse exitiale. Ego interim pharmacum omnibus porrigere volo, quod sit contra omnes malos bolos, quos necesse est in hoc vita transglutire. Mihi credite nullum esse melius, quam si cunctas adversitates in bonum trahamus. Illud applicavit David, dum imprecationes Semei à DEO provenire cognovit, hinc ori eloquentissimo Ambrosii hæc verba elicuit. *O devoranda contumelia grande inventum!* Quælibet afflictio est venenum, sed non cuilibet stomacho, cui bonum est cor, is eo impinguatur. Hac sanctus Nilus. *Quod corpori sano, valentique cibus est, idem est tentatio animo forti, & generoso*; Napellus est virulentus hominibus, non passeribus, & turdis, qui eo vescuntur. In hoc puncto sistamus. DEUS est pater, nec vice ovi dabit scorpionem. Nec credite, quod sancti absque his calcaribus viam percurrerint, nam ut inquit Augustinus. *Nullus hominum sic justitia præditus est, cui non sit necessaria,* Notate non solum utilis. *Sed necessaria tentatio tribulationis.*

bologia id. l. orat.

[Right margin: Aug. lib. in ... [illegible]]

Quod si noster Magister doceret sine virgis, jam eius lyceum otiosis scateret, nec homini animos adderet. Hinc Cassiodorus; *Latet sub otio laudabilis fortitudo, & dum se probandi non habet spatium, occulta est lux tota meritorum.* Nec leviter judicemus hanc afflictionem in his, vel illis circumstantiis, non esse nobis proficuam. Simon Salonius nullum lippitudine oculorum laborantem curare voluit, nisi eum antea perluisset balneo confecto ex alliis contusis, & aceto forti oculis adversissimis. Ita DEUS vult, ut ei fidamus, & arripiamus medicinam, quam nobis porrigit absque instantiis. Qualis est pars nostra? *Bona facere, & mala pati Christianum est*; inquit Philocarpatius.

[Right margin: L.1. ep. 14. / Metaphr. in vita. / in c.1. cont.]

Afflictiones sint huius, vel illius speciei, si eis bene utamur, omnes Martyres efficient, quia in omnibus abnegamus nostram voluntatem. Idcirco Clemens Alexandrinus. *Quamlibet tentationem, occasionem esse Martyrii.* Quod DEUS hoc, vel illud bonum nobis auferat, sit benedictus, quia melius nobis elargiri vult. Quia si mihi illa permittebat, forsan ego ipse illa perdidissem: *Pereant bona*, dicebat ille Anglicus Catholicus, quando omnibus spoliabatur. *Pereant bona*, quæ si non perirent, forsitan Dominum perderent. At vero hoc discursu concludo. Et conclusionem pro me faciet Chrysostomus. *Hoc continuo recordamini,*

[Right margin: L.4. strom. / Franc. Tregianus usfuit Rhedepat.]

Ho. … ep. *mini, ut ob peccatum tantum doleatis nullam autem ob rem praeterea.* Peccatum est unicum malum, quod deflere debemus. Omnia alia sunt bona, & quod si talia non forent, DEUS qui est ipsa bonitas, illa suis dilectis velle non posset. Haec via est tutissima, ad nostrum finem, & quamvis sit spinosa, & difficilis, vires tamen sumite, quia eo ipso, quod vos affligat, cum culpas diluatis, futurae gloriae vobis pignus est:

XIV. Quid vos angit, quod miseriae vestrae crescant? Magno vestro damno cruciamini. Omnes in diarium DEI relati sumus, ac ad tot, & non plures afflictiones destinati, adeoque non augentur, sed minuuntur. Tandem, momentaneum est quod cruciat & afflictiones venturas potestis praescindere, nam juxta Aristotelem nil nisi praesens cruciat, vel solatur.

L. 1. Reth. c. de iucundo

Praesens itaque jam non est amplius, quam momentum. Culpa igitur in memoriam derivanda est, quae miserias toleratas praesentes efficit; culpa est phantasiae, quae futuras jam praesentes statuit. Emendemus vel semel tam crassum errorem. Praeteritum manet praeteritum, nec illum rideamus, qui tustuatus excussione levi pallii supposuit se non fuisse tactum. Magni est animi vulnera inflicta animo pellere cicatricibus adhuc recentibus. Talem se exhibuit Christus in discursu, quem habuit cum peregrinis concedentibus in Emaus. *Quae?* Et sane summo mihi dignus est Encomio Ludovicus Legionensis Augustinianus summae eminentiae vir, & lumen Universitatis Complutensis. Hic cathedrâ exutus duos annos in carcere Inquisitionis combusserat, verum ut ejus innocentia, & praelustris patientia cognita fuit, publico applausu cathedrae restitutus fuit, & Lectionem hoc exordio est orsus. *Dicebamus hesterno die.* Significare voluit omnium toleratorum se oblitum, nec illos viginti quatuor menses inter dies vitae suae se numerare.

P. Rho de pat.

Quaeso vos vel semel reliquias toleratarum afflictionum excutiamus, nec tam faciliter suspicionem subsequentium admittamus. Non infrequenter vane arma timemus. In celebri illo conventu, quem Paulus Tertius habuit Niceae cum Carolo Quinto, & Francisco Primo, uti narrat Jovius, tum Imperator cum suâ aulâ quiesceret in Villa Franca, vox resonuit de omnibus actum proclamans.

Iovius in trist.

Fundamentum hoc erat. Turris vicini montis è qua vesperi sclopeti explosione naves praeternavigantes produntur, iam trigesies sexties detonuerat, denuntians tot triremium adventum & jam fumum sparserant. Interpretes tribulationis subito opinabãtur advenire Pyratã celebrem Ariadenum, qui illam insignem occasionem nactus, principes Christianos veniret irritaturus. Arma corripiuntur, Marchio Vascus stationes occupat. Verum dum explorator ad turrim ablegatus revertitur, recenset quendam rusticum fabas eventilasse, pulveremque in aerem sublatum, illos fumos concitasse, & ita metus desivit in risum,

ſum, & e monte viſæ ſunt rates fabarum, non triremium.

Nunc credite ſemper, quod eſt pejus. Quin potius januas ſpei pandamus. *Sæpe* inquiebat Curtius *calamitatis ſolatium eſt noſſe ſortem ſuam.* Si DEO nos committamus, ſors noſtra contentiſſima erit.

Curt. l. 4.

Utinam parum lucis ſanctorum haberemus, quomodo non videremus paupertatem, miſerias, morbos non eſſe mala, uti nos fingimus? Beata Magdalena de Parri jam animam agebat, & DEO grates referebat. Sed ob quid? An quod in ecſtaſes quatuor, vel octo dierum fuerit rapta? An quod maiora arcana ei DEUS communicaſſet? An quod coronam, & ſuam corei DEUS dediſſet? An quod donata fuiſſet, donis, gratiis, miraculis? An quod tam crebro familiariſſime cum DEO, DEIpara, ſancto Auguſtino, Alberto, Ignatio converſata fuiſſet? Non ſane. Gratias egit, quod uſque ad illud momentum tribulationibus agitata fuerit. Vel ſemel mores mutemus, nec amplius credamus afflictiones eſſe nobis nocivas. Dicamus ſæpe cum ſancto Ludovico Rege: *Da nobis Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla eius adverſa formidare.* Nemo audiatur, utinam eſſem ditior, ſanior, robuſtior, felicior, quia contentus forem. Si mihi nolitis credere, credite experientiæ claræ, nam non afflicti peſſimi eritis. Non crederem vos ſalvos fore, nunc autem cum DEUS non *Iudicet bis in idipſum*, magnum argumentum habeo vos ſalvandos, dum miſeriis temporalibus affligendo, æternas condonare vult:

...eius vita

Sur. in vita.



CONCIO XXVI.

PRO DIE IOVIS DOMINICÆ QVARTAE.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ, Lucæ septimo.

Quodlibet momentum vitæ nostræ est articulus mortis.

1. ERgone mors suâ falce demetat non solum fruges maturas, sed & segetes antequam frugescant? Ergone non solum boves decrepiti inferantur macello, sed & iuvenci, antequam colla iugo submittant? Ergone DEus perticâ non solum excutiat ex arboribus nostrarum familiarum fructus maturos & dulces, sed & acerbos, & immaturos? Ergone mors O juvenes supra vos jurisdictionem habeat? Ergone cum ab eâ citamini, non poteritis appellare? Ergone esto haberetis manus Herculis, illius unicæ motioni non poteritis resistere? An vos toti ignei nescitis vos redigendos in cineres? Adeo estis subtiles, & non animadvertitis, quod *morimur*, & *orimur* unicâ solum syllabâ differant? Quatuor seniculi huius urbis sufficiunt ut vobis centum annos vitæ promittant cum tamen plures vix nati compareant instar fulguris, mox interituri. Videte an non plures in prologo tragœdiæ pereant? Videte quantis in meridie sol occumbat, & quantos dum oriuntur, vesper ingruens tollit.

An crederetis, quod Adolescens lugente totâ urbe Naim efferatur ad sepulchrum? An crederetis, eum qui paulo ante saltabat instar hoeduli, currebat instar cervi, instar hinnuli lasciviebat, totus animosus, totus robustus, totus generosus, destitutus flatu non amplius respiret, oculis clausis non amplius videat, non amplius ambulet, sed portetur, horror obviantibus, dolor comitantibus, totus pallidus, totus putor, & foetor? Quid? Nonne is est ille, qui habebat vocem Stentoris, brachium Achyllis, dentes tam benè obfirmatos, ossa tam bene compaginata, cartilagines tam solidas, stomachum struthionis, frontem Leonis, oculos aquilæ? Quomodo ergo mortuus? An non is est ille, cui magnus Astrologus, non prædixit morbum, nisi ante septuagesimum annum, & Chyromanticus, qui manum lustravit, videns lineas vitæ diutinæ, fortis, sanæ, annos Nestoris promisit? Quomodo ergo est mortuus?

Ille velut unicus ocellus Matris optime erat educatus, in eius morbo non defuit aurum potabile, gemmæ liquidæ, potiones, theriaca, Medici, Chirurgi peritissimi. Quomodo ergo mortuus? Quomodo hoc sit possibile? O stulti filii Adam! Quomodo miramini? Adeo sumus vicini morti, ut mirandum sit, si quolibet momento nos non invadat. Videbitis quam longe ego & vos hodie differamus. Vos miramini, quod moriatur adolescens, & ego magis obstupeo, qui fieri possit, ut aliqui fiant senes. Inter vos sunt, qui cum illo (de quo Drexelius) monumento adolescentis his verbis. *Mortuus est* signum interrogationis adiecit. Ego econtra vobis adducam tot mortuos, ut sicut miraremini si in horto amœnissimo densissime grandinaret, nec ullum papaver, aut flos læderetur, nec protereretur, ita incipietis in portento habere, quod tam multi vivi remaneant; nec quolibet momento à morte perdantur.

Prodromo

PARS PRIMA.

II. Subtilissimus Augustinus sancto Zelo percitus dicit nos esse stupidos Grammaticos, qui verbum. *Morior* instar alia verba conjugare volumus. Est nimis Anomalum, nec regulam servat. A præsenti *morior* valde differt præteritum *Mortuus*, & ab hoc futurum. *Moriturus. Convenienter enim factum, ut quemadmodum idquod significat non potest agendo, ita ipsum verbum declinari loquendo non possit.* Nos existimamus, quod tunc simus in articulo mortis, quando oculi Venis nigris maculati emittunt ultimam lacrymam, quando halitus debilitatus animam fugitivam ultimo impulsu propellit, quando tempora deflectuntur, nasus pallescit, vultus deformatur, sudor eliquatur, frigida labra, palpebræ, narices, ungues sunt lividi, pedes congelati, aures duræ, frons corrugata, quando nil audimus, videmus, nullum usum sensuum habemus. Attamen si rem penitius intro spicere velimus, nec semper à Diabolo circumveniri, hora mortis est vicinissima, cominus eam videmus, eiusque articulum in quolibet momento vitæ nostræ cernimus. Audiamus Job. *Nescio enim quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.* Dum eximus ex carcere uteri materni, jam ad supplicium tendimus, & ut solebat dicere Thomas Morus, carnificem nobiscum habemus, quamvis ubi necandi sumus nesciamus. Et quamvis tardet, semper tamen est verum illud Senecæ. *Nemo ad id sero veniet, unde nunquam, cum semel venit potuit reverti.*

l. 15. de Civ. c. 11.

Iob. 10. v. 31.

Seneca in Her: Fur:

III. Nunc credamus, quod solum homines senes moriantur, nam senum mors est rarissima, nos mortem exspectamus ad januam, & illa intrat per fenestras, inde venit, quo minus expectamus, & ut dixit Christus. *Non venit regnum Dei cum observatione.* O sancta mater Ecclesiæ, an tibi sumus stulti, dum aspersione cinerum memoriam mortis nobis obiicis? Ergone sub oculos nobis ponas rem tam claram, & palpabilem? Nonne verissimum est, quocunque nos vertamus, quod *Præsentem intendant omnia mortem*? Vos mihi dicitis, cælum esse omnis generatio-

Lucæ 17. v. 5

nis principium. Sed cur tacetis, quod etiam sit omnis corruptionis radix. Revolutionibus suis mensurat annos nostros, sed & suis influxibus eos inficit, totus luminosus, & serenus ridet, sed sub veste mille nobis neces intentans, suam lucidã militiam contra nos armabit. Nos amamus stellas velut mammillas, quæ nos lactant, vigiles qui nos custodiunt, flores qui ornant, sed si ab Astrologo quæram, quid sint, dicet eas esse faces, quæ nos funeralium nostrorum admonent. Nec est verum, quod Planetæ Venus, & Jupiter adeo nobis sint boni, quam sint noxii Saturnus, & Mars. Luna, & Mercurius sunt indifferentes, sed infinitis excessibus plures occidunt. Ipsemet Sol (quis id crederet) radiis suis nos impedit, infirmis est noxius, dum malignas qualitates auget, sanisque non est tam bonus, ut putatur dum eorum temperiem turbat. Nec mihi dicatis animalia, quæ in cælestibus campis pascuantur, esse ficta; nam iis instrumenta nocendi non desunt Proh dolor! Cornua Arietis nimis sentimus in vere, morsus rabidæ Caniculæ in æstate, puncturas venenosi Scorpionis in Autumno, furias Capricorni in hieme. Cælum est magna Catablega, quæ suis aspectib⁹ occidit. Ex duodecim domibus, in quas dividitur sola prima est hospitium vitæ, reliquæ sub diversis titulis continent mortem. Medici exploratum habent cælum esse radicem nostrorum morborum, ei attribuunt alterationes mortales annorum clymactericorum, & dierum criticorum, & dũ illi non fidunt bene advertunt ne corpus evacuent dũ sol est in Leone attendunt ne medicinas præbeant, dũ est in ascensu stellarum adustarum Arturii, Reguli, Herculis, Pegasi, Hirci, ne venam incidant. Dum luna sub Geminis, aut aliã domo est male collocata sciunt omnẽ ictum esse fatalẽ, quem cælum in nos influit. Nos interim delusi putamus illa corpora cęlestia solum ad conservationem nostrã concurrere, cũ tamen sit verissimum, quod communiter principaliter ad nostram destructionem operentur.

IV. Vestras suppetias petimus o elementa, dum cælum noster hostis infensissimus est. Vobis arctissimâ consanguinitate sumus juncti. Sumus partim ignei, aquei, terrei, aerei. Sed eheu. Illud pauxillum, quod ex vestro habemus repetitis, ut illud destruatis. Interrogate Ambrosiũ Auditores, quinam fuerint hodierni vespillones, & respondebit: *Materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis.* Ignem satius reliquissemus in suo elemento; cum enim sit venenum in Cometa, fulmen in nube, Dæmon in cuniculo, quot non occidit? Plurimi dum eiicitur ex bombardis, sclopetis, machinis æneis, pyriis globis, improviso ab eodẽ obruuntur. Haurimus ubertim aerem, sed & cum eo mortem, nimis densus suffocat, nimis subtilis inficit, corruptus est totus fatalis, & pestilens, raro hauritu & mutatur, qui nõ vitæ fatales insidias struat. Venti, qui aerem animant, infinitos è medio tollunt. Eurus in æstate bilem accendit febribus acutis, in hyeme, & vere tormentat corpus defluxionibus, flegma-

lib. 5 in L

flegmatibus. Subsolanus causat ebullitiones sanguinis, tumores, carbunculos, pustulas. Venti occidentales producunt Plevriidites, extuberationes colli. Auster epilepsias, apoplexias, vertigines, resolutiones humorum, putrefactiones corporum.

Valde laudamus aquam, cum tamen in tot fructibus gustata venenatis plures inficiat, in tot fluminibus, & torrentibus sulcata hauriat, navigata in tot gurgitibus, voraginibus mergat. Sed quid dicam de terra? Tu quamvis mater nostra sis, & plurima vitæ subministres alimenta; attamen mille modis mortem germinas. Quot non sunt, qui conquassantur in tuis præcipitiis, in tuis nivibus consumuntur, in tuis lacubus sepeliuntur, in tuis labyrinthis perduntur. Non sola cicuta inficit, nec flavum arsenicum occidit, plura ex tuis animalibus solo tactu, plura solo visu enecant. Plura habent venenum in unguibus, plura in aculeis, plura in dentibus, plura in capite, plura in cauda, nullibi sumus liberi, à leonibus, tigridibus, viperis, scorpionibus, serpentibus.

Utinam ad minus vos homines arte vestiâ vobis opitularemini, cum tota natura contra vos conspiret. Audite Augustinum, & edicet vobis, an non sitis continuo in articulo mortis. *A frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluvionibus, corruscatione tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibusque terrarum, oppressionibus, ruinarum, ab offensione, & pavore, vel etiam malitiâ jumentorum, à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, bestiarum, à ferarum, vel tantummodo molestiis, vel etiam mortiferis morsibus.* Sed quid ego video? O quam estis infelices? Vos ut mortem procul pellatis, dum non contenti morte, quam natura vobis præparavit, omnes nervos adhibetis, ut alias mortes vobis fabricetis. *Sic gens hominum fertur rapidis obviam fatis incerta suis.* Ne te vexes o mors, ut ad nos contendas, nam ultrò te nobis accersimus. *Parce venturis, tibi mors paramur, sis licet segnis properamus ipsi.* Nil magis in votis habemus, quam vitam prolixam, & tamen omnibus viribus media quærimus, ut cito moriamur. Subtiliores nesciunt qualiter vertiginem contraherent, ideo Grammattici speculantur super nomina, & verba. Humanistæ super prosas, & versus, Rethores super amplificationes, & periodos. Logici super propositiones, & syllogismos, Physici super causas, & principia, Methaphisici super entia, & propositiones, Mathematici super figuras, & numeros. Legistæ super pandectas, & digesta, Theologi super attributa, & relationes.

L. 22. de C. c. 22.

Sen. in Herc. furioso.

VI. Quinimo robustiores, ut debilitentur, ad ignem torrentur conflandis vitris ferro temperando, metallis poliendis, alii insudant circa ligna, ut ea securibus findant, ferris scindant, asciis poliant. Alii sese impendunt saxis, ut illa cuneis rumpant, scalpris planent, arenis illustrent. Ne quæso mihi dicatis artes mechanicas esse inventas, ut vivamus; Mihi nil aliud sunt, quam ductores ad mortem celerrimi. Nulla ars addiscitur, & exercetur sine notabili debilitatione spirituum. Ipsamet medi-

medicina, quæ profitetur conservationem nostræ vitæ, quotidie plurimos occidit, pharmacis suo tempore non porrectis, malagmatibus suo loco non applicatis, incisione venæ impertinenter factâ. Poetæ non immerito Parcis forfices denegassent, nam nos ipsi inventionibus nostris stamina nostræ vitæ decidimus, acuimus enim gladios, mucrones cuspidamus, sagittas paramus, laqueos, scuticas, compedes, ergastula, equuleos cudimus, ignes, pices, olea, sulphura, salnitra aptamus, ut comburamur.

Et videte quæso an non dum mortem impatienter in terrâ expectamus eam in aere consciscamus? Ille funambulus funibus insitiens, ille epibata in antenna ioculatur, in scalis ludens, rusticus ille super arborem, tegularius in climate turrium eam quærit. Imo multi sunt, qui sibi sepulchra faciunt, puteos effodiendo, mineras evacuando, cuniculos agendo. Alii ut mortem in mari piscentur, quas non naves, triremes, scaphas, celoces, lintria invenerunt? Peteraremnos pernicius ad metam nostram non cursuros, si currere celerius possemus.

VII. Quatuor obolos nulli confidimus nisi mille singraphis, apochis, chyrographis sese nobis obliget, dum interim vitam adeo nobis charam instabilissimo vento, infidelissimo mari, fragilissimo ligno, coquo, qui ebrius nos intoxicet, medico ignoranti, qui nos occidat, servo rebelli, qui nos prodat comissimus. An nõ ergo sit miraculũ quod homo vivat dum omnia mortem ei consciscunt? Tu vides per Europã tot florentissimos exercitus ordinatissime dispositos, armis, annonâ militari, hastis, bombardis, equitib⁹, peditibus optime instructos, circumquaque agitari vexilla, volare cristas, ferra micare. Sed quid de his dicis? An crederes his mortem quæri? Ut illa è somno excitetur, hinnitus equorum excitantur, tubæ resonant, tympana reboant. Vt illi via paratur, infiniti proditores, & apparitores conscribuntur, hic quærit gladium, quo transfodiat, hic sclopetum, quo transfigat, hic equum, ut pedibus conculcet, hic flumen, ut mergat, hic noctem, ut in lectum deiiciat, hic insultum, ut in foveâ sepeliat, hic obsidionem, ut fame enecet, hic velitationem aliquam, ut morti obiiciat.

Videsne aulicos adeo anxios, & ambitiosos? Quid credis eos expectare ad illam januam? Nil nisi mortem. Noctes vertere in dies, nulla certâ comedere horâ, somnum ducere brevissimum, quid est aliud, nisi abbreviare vitam?

Radiis malignus sol occidit rusticos, sed aulicos torvus aspectus Principis, aulicos non occidit ligo, sed calumnia, verbum durum, epistola sicca, unica audientia negata iis est venenũ. Hæc interim quærunt aulici. Videsne mercatores cum tantis periculis peragrare Orbem? Domi plurimos soles comburere possent, sed avaritiâ adacti mortem quærunt. Tot navigationibus, & itineribus se exponunt discrimini incidendi in Pyratas, qui eos mergant, tempestates, quæ eos hauriant, damna, quæ eos expilent, latrones, qui opibus, & vitâ exuant.

VIII. O

VIII. O Mortales, o mortales, siccine creditis producere vitam, dum natura vos non permittit vivere, & ars mortuos vos esse vult? Si possitis, contra utriusque furores, & insidias vos defendite. Quantumcunque fueritis oculatissimi, ut fugiatis sinistros influxus naturæ, & noxias occultationes artis, inopinatissimo casu obruemini & sepulchro inferemini. Quis unquam dixisset Achillo, quod in campo aerem hausturus occisus fuisset à bufone, quem aquila volans casu in eius caput demisit? Quis credidisset Anacreontem suffocatum ab acino vuæ, quæ in eius jugulo transversa fuit. Baldum Juristam eximium catellus, quem sinu fovebat interemit, dum morsu eius labiis venenum instillavit. Hi viri doctissimi phthisin studendo effugerunt, non tamen fataliâ pericula. Bibulus ille, qui mille præliis salvus exierat, millenisque imminentibus periculis ereptus, nunc inter alas venenatissimorum telorum, nunc inter lapides ferocissimorum fundarum persuadere sibi poterat se nunquam moriturum. Veruntamen in tot conflictibus morte superatâ, in ipso triumpho occubuit; Curru quippe triumphali, dum in Capitolium veheretur, tegula capitis cerebrum, non diadema excussit.

Viginti annis Asclypeus frater Pompei mare sulcarat, millenis tempestatib⁹ ereptus evaserat Charybdim, Scyllam, Pelorum, Maleam, sed tandem is, qui toties mare superarat, aquâ putei exigui mersus, vitâ est functus. Alexander, Pompeius, Cæsar in conflictu belli, expugnatione Civitatis, nunquam hac vitâ exturbandi videbantur, sed primus telo præfocatus obiit in lecto, secundus ab homuncione fuit decapitatus, tertius in nidulo pacis transfossus.

Quod si mihi dixeritis hos non esse ictus fortunæ, cæcæ, sed humanæ malitiæ, novos mihi cuniculos mortis ostenditis. Quot non interimit Zelotipia, invidia, ira. Umbra unius mali centum alia secum trahit. Hæc venena suo tempore ingerunt, dum fictâ defluxione, cahtarri suffocationem excusant. Non solum occidunt latrone, & inimici, sed & charissimi amicis altero verbo mordaci pugionē, & Sclopetum præbent. Quod si itaque natura, ars, fortuna, malitia tam pertinaciter conspirent contra nostram vitam, vobis pensandum relinquo, an prudenter possimus credere nos esse extra periculum mille mortum. Quod si cum uno, vel altero ex his tibi confligendum foret, aliquatenus effugere posses, sed quod per tot annos omnibus his resistere te posse putes, miraculum videtur.

IX. Verum sistite, Auditores; Mortes quas hactenus descripsi nobis extrinsecæ sunt. Esto nulla harum occideret, & adveniret, tamen tot mortes intrinsecas germinamus, ut si attendam texturam nostram, summo pere mirer, quomodo aliquis nostrū possit vivere, non dico quinquaginta annis, sed quadraginta horis. Quamvis vos cæli vestris malis aspectibus, nos non peteretis, nec vestris alterationibus, nos turbaretis vos elementa, nec vos animalia vestris violentiis nos persequeremini, quamvis

nullum venenum nos inficeret, nullum pondus nos opprimeret, nullus casus nos præcipitaret, nullus Dæmon præfocaret, nullus latro occideret, attamen ob intemperiem partium necessariraum ad vitam, cum spiritus vitales tam levi negotio conficiant, sanguis congelescat, chatarri defluant, cholera inficiat, melancholia furiat, adhuc in articulo mortis essemus. Navem recens constructam, dum in altum solvere vides, diceres igne non hauriendam, fluctibus non mergendam, sed esse æternam. Interim audi Tertullianum.

Lib. de ani. C. 52.

Vis est, & illa navigiis cum longè à Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis adulante flatu, labente cursu, latante comitatu, intestino repente perculsu cum totâ severitate desidunt. Eodem modo sciatis, quod, *Naufragia sunt vitæ etiam tranquillæ mortis eventus.*

X. Sis juvenis, complexio tibi sit ferrea, nisi pestis, aut globus te occidat, credis quod sis immortalis. Tantum non exigitur. Non sit pestis, bellum, mundus sit quietissimus intra te habebis mortem, unus catharrus te neci dare potest. Hanc gratiam solam à DEO poscerem, ut vel momento instar crystalli corda vestra essent diaphana. vel ut mihi, aut vobis oculos illuminaret, quatenus tot centena ossium, musculorum, nervorum, venarum, arteriarum distinguere possemus, nam statim videremus quam citò, mori possemus. Vos ridetis illum, qui credens se totum vitreum, in plumis mollissimis sese distendit, nulli sui tactum permittens, ego autem ploro quod nos qui sumus vitrum fragile, credamus nos esse æneos. Iuxta medicos vita nostra à tribus dependit, nempe à spiritibus, humoribus, & partibus solidis.

Nunc quæso videte, an diu mortem effugere possimus? Spiritus deficiunt non solum in senectute, sed & in qualibet magnâ evacuatione utilis, vel inutilis materiæ, in dolore, vel gaudio excessivo, in Syncope, nimio risu superabundante, vel dum arteriæ rumpuntur suffocant, aut si humori putrido misceantur occidunt, quod tamen facillimè fieri potest in tantâ conjunctione partium, vel dum impediuntur, ne libere currant, hoc fit in apoplexiis, morbis pulmonis, diaframate, congelationibus, & aliis accidentibus hipocondriacis. In his si ordo motus eorum disturbetur, dumque à corde defunduntur ad partes exteriores, & ab hac in illam recedant, ut fit in excessivo timore vita irremediabiliter evanescet, & abibit.

Quod si præterea humores accendantur, tu vade, & eos tempera, si putrefiant, vade, & illos cura, vade, & febres auctas pelle, impete illas fractiones vasorum, si minuantur, succurre illis siccitatibus, & soliditatibus, si agitentur, cura illa apostemata, & carbunculos.

XI. Quod si prædominetur bilis, Eheu! quot non nascuntur ulcera in ventre, tormenta cordis, varices, diarrhoreriæ. Vincat phlegma, & quales non videbis, convulsiones, Lethargos, epilepsias, paralises, Hydropes

dropes? Excedat melancholia, quales non videbis carcinomas, ceu cancros, furores, defectiones, dysenterias, hypocondrias. Antecellat sanguis, & statim videbis febres acutissimas, pleuritides, dolores renũ, infectiones jecoris, turbationes corporis. Quod si partes solidæ in minimo turbentur statim deliquia animi, aut aliqua mala inopinato mortem adferunt. Præterea dicite quæso præter hac, quæ non sit passio, quæ nos non occidere sufficiat. Lætitia, quæ nostræ vitæ magis propitia videtur, duabus mulieribus Romanis qui filios vivos videbant, quos mortuos credebant vitam abstulit, & insuper Lacedæmonem Chilonem, Tragicum Sophoclem, Rhodiottum, Diageram, Dionysium Syracusanum interemit. Nec sola Halpalices præ amore est mortua. Cum tamen hæc passio iis dulcis sit, quos invadit. Nec solum Diodotum, Homerum verecundia interemit. Marius, Theodoricus, Ludovicus pius, metu exanimati sunt. Nervam, Matthiam Hungarum, Wenceslaum Bohemum cholera extinxit. Quælibet turbatio animi corpori fatalis est. Quod si mihi non credatis, credite experientiæ, quæ hoc quotidie ostendit, quod alter dixit. *Eripere vitam nemo non homini potest, at nemo mortem, mille ad hanc aditus patent.* Nec hic ullæ speculationes sunt necessariæ, inquiebat Bernardus Eugenio scribens: *Ipsi te prædecessores tui, tuæ certissimæ, & citissimæ mortis admoneant.*

in ...b. 2.

...l. 237.

XII. Numera omnes, qui in mundo vixerunt. Vbi est maxima pars? Illa erat in culmine honorum, altera in acervo voluptatum, alius in convivio recenti, alius divitiis opimus, sed ut loquar cum sancto Ephrem. *Subito rapti sunt sicuti passerculi ab accipitre.* Ita mi DEUS, scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. Optimè intelligo illud sancti Sixti, *Mors incerta metuenda est, quia tam ex eo quisque mori potest, quod cœpit vivere.* Quamvis Poeta id mihi non dicat, tamen credo, quod. *Ortum quidquid habet finem timet, ibimus omnes.*

Orat. de mortuis. *Iob. 30.* *Lib. de cast.* *Sat. Lib. 2. Sylv.*

Verum enim vero, ita mortis obliti vivimus, ac si nunquam essemus morituri. Tot peragravi urbes, & ante omnia mortuum obvium habui. Tot, & tantis oculos clausi, tot consanguinei, condiscipuli, consodales me reliquerunt. Aliis prædico mortem, & ego minus de illâ cogito. Quale est hoc fascinum Auditores? Iuvenes, senes, sani, infirmi quotidie sumus in articulo mortis, & tamen hoc non apprehendimus. An credatis illam considerationem, quæ Xerxi lacrymas elicuit, eas mihi elicituram? Exercitum videns numerosissimum flevit. Video ego ex hoc pulpito tot clarissimos Iuristas, expertissimos medicos, generosissimos milites, sedulissimos mercatores, architectos ingeniosissimos, tot venerandas matronas, honestas puellas, robustos adolescentes, & audio illud Isaiæ. *Erunt quasi terebinthus dicidentibus foliis.* Terebinthus juxta Basilium frondosa, est arbor pulcherrima, sed comis exuta, est deformissimus truncus. Ita erit vobiscum, genæ

Isaiæ. c. 1. ex Lect. 70.

quadam die pallescet, & qui estis formosi, deformes eritis, & cum oculos deflectetis, dicetis illud Chrysostomi ad Eutrepium. *Omnia illa nihil nisi nocturnum somnium fuerunt apparente die evanescens; flores fuerunt verni, vere exacto emarcuerunt, omnia umbra erant, & præterierunt, fumus erant, & soluta sunt, bullæ erant, & disrupta sunt, araneæ erant, & lacerata sunt.* Tibi loquor, qui tuos dies das diabolo, ac si multos expendendos haberes. Non potes dicere, quod non sis moriturus, hoc enim in mundo certissimum est. Inquit Augustinus. *Respice omnia ubique est forte erit, forte non erit, nunquid potes dicere forte moriar, forte non moriar?* Tantum te crucias, ut res incertissimæ felicem sortiantur exitum, cum tamen in negotio maximi momenti nullam curam adhibeas. Convictus es, quod hodie possis mori, & in crastinum dispositionem reiicis. *Non est crede mihi sapientis dicere, vivam; Sera nimis vita est crastina, vive hodie.* Et quia operatio est signum vitæ, largâ eleemosinâ ostende, quod non sis mortuus.

Tom 5. hom. in utrea.

serm. 21. de verb. Domi.

Martial Lib 1 epigram.

PARS SECUNDA.

XIV. Et quamvis omnes simus in articulo mortis, nemo tamen id credit. Senes, qui tot annos transigerunt, adhuc plures sese numeraturos putant. Juvenes, qui hanc processionem ordinatissimam esse judicant, quamdiu senes non præcedunt, se non morituros credunt. Omnes quantumvis certi simus nos morituros, attamen prius morimur, quam nos mortales esse sciamus. Audite Blessensem: *Hæc philosophia frequenter in scholis describitur, sed frequentius proscribitur.* Quotidie prædicatur mors, sed quia eam adversamur, non cogitamus diem futuram, quâ moriemur. Unum interim advertite: Quamvis sint infinitæ mortes, nos tamen unam timemus. Miles non timet nisi vulnus, & moritur febri, alter timet phthisin & moritur equeo, & communiter solum timemus mortē præ senectute. Sumopere mihi placet insigne epiphonema Lucani. Hic dum recensuisset prælium navale inter Massilienses, & Cæsarianos, narrat pluribus navibus aquâ haustis, & igne succensis classiarios milites, ut aquis sese eriperent, pernicissime in naves flagrantes exiliisse, illos vero, qui in navibus flagrantibus erant, ut flammis se subducerent in aquas sese præcipitasse. *Mille modos inter Lethi mors sola timore est, qua coepere mori, & hoc est verissimum.* Sunt plures, qui instar illius, de quo refert ipsemet Lucanus, qui non contenti unâ morte eligunt duas, nam pugione transfodiendo ipse cor, in mare præcipitem se dedit, & sic; *Festinantem animam morti non credidit uni.*

Petr. Bl. Ep. 6.

Lucani lib. 3. in

Moriendum est, & hoc antecedens est verissimum; En ergo consequentiam. *Ergo vivamus dum licet esse bene.* Neque hoc carmen Sumi volo eo sensu, quo illud usurpavit minister ille, qui apud antiquos, ut reperietis in Plutarcho, & Petronio pocillator erat, nam hic in principio, & fine mensæ apportabat quasdam imagunculas

arte

arte fictili laboratas, quas Græci vocabant *Stromalia*, Latini *Oscilla*, iisque significabat hilariter biberent, post mortem quippe non fore tempus bibendi, juxta illud Martialis? *Frange thoros, pete vina, rosas cape, Cingere nardo, ipse jubet mortis te meminisse Deus.* Ego alio longè diverso sensu aio. *Ergo vivamus dum licet esse bene.*

aym: de irtut Lib. n 87.

ib. 2. Epig. 3.

XV. Moriendum est, ergo ita vivamus, ut semper vivamus. Vivens semper morere, ut mortuus semper vivas. Hoc fuit monitum in cubiculo illius scriptum, qui sanctam vitam auspicari volebat. Ille alter Caietæ sepultus beatus fuit, & hoc Epitaphium promeruit. *Sylvius Palladius ut moriens viveret vixit ut moriturus.* Ars bene moriendi est vivere, ac si moreremur. Nec his vos cruciare volo, ut semper mortem sub oculos habeatis. Mortuus est Christus, mortua Deipara, cur ergo vos angat mors? Stultus est, qui affligitur re, quam non potest emendare. Sanctus Augustinus, cum à Medicis esset morti addictus, hæc solum est effatus: *Non erit magnus, qui magnum putat, quod cadunt ligna, & lapides & mortales moriuntur.*

Maiolus in ne colloq: 3.

Possid: in ius vita.

Vivamus bene, & de cætero læti moriamur, sed non eo modo, quo ille Doctor Parisiensis. Hic ut ostenderet alacritatem, quâ ad sepulchrum efferebatur, testamento cavit, ne religiosi atris induti funeralibus interessent, sed funus deducerent duodecim puellæ nubiles viridibus indutæ, phonasci, & saltatores, nam hæc est lætitia histrionum, & non Christianorum, volo ut moriamini resignatissimi in voluntate divina, ita ut ultima vestra verba sint, vel illa sancti Cypriani quibus vitam finivit. *Deo gratias.* Vel illa sancti Chrysostomi, quibus huic vitæ valedixit: *Gloria tibi domine de omnibus.* Hæc est ars artium. Nec volo, ut cum Seneca hanc non addiscatis nisi in senectute: *Ante senectutem curavi, ut bene viverem, in senectute ut bene morerer.* Cum enim quotidie possimus mori, quotidie hæc ars addiscenda est: *Superuacaneum forsitan putes edis- cere, quo semel utendum est.* De rebus, quæ unâ fiunt vice non datur ars in mundo, & de singularibus non datur scientia; Ast in nostro casu cum semel sit moriendum; *Hoc est ipsum quare meditari debeamus, semper discendum est, quod an sciamus experiri non possumus, qui mori didicit, servire dedidicit.* Illum diem, qui de præteritis judicabit, semper ante oculos habeamus, imitemur Senecam de se scribentem: *Ego certe velut appropinquet experimentum, & ille laturus sententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me observo, & alloquor, quid profecerim morti crediturus sum.* Vivo totus mundus adulatur, sola mors prodit, quis sim: *Mors sola fatetur quantula sint hominum corpuscula.*

Ex Niceph. lib. 3. c. 33. Sen. Ep. 61.

Idem Ep. 26.

Ibid.

Ergo mi frater inquit Basilius: *Quid expectas tempus, quo incertum est, an cogitationum tuarum dominus sis futurus?* Visne expectare, ut tuum spiritum commendes Deo, quando destitutus eris sensibus, & affectibus? Cur modo non dicis mecum cum sancto

Orat. de mort:

Segon. in Chron. cto Dionysio : *Ultimum verbum Domini mei in cruce, sit & mihi ultimum in hac luce, in manus tuas commendo spiritum meum?* Dulcissime Iesu meam sortem tuis sanctis manibus committo, suscipe me ubi, quando, & quomodo vis : *Suscipe servum tuum in bonum, & non calumnientur me superbi non sis tu mihi formidini spes mea in die afflictionis.* Cum ab omnibus deserer, tu mihi adsis : *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Testamentum jam feci, carnes libenter linquo vermibus, ut tu spiritum meum tanquam heres suscipias : *Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & praecipe in pace recipi spiritum meum.* Tob. 3. Illâ horâ mihi, & omnibus praesentibus unicum actum contritionis largire; De caetero : *In pace in idipsum dormiam, & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me,* Psal. 4. v. 9.

Ierm. 17.

AMEN.

CONCIO XXVII.

PRO DIE VENERIS DOMINICAE QUARTAE.

Infremuit spiritu, & turbavit semetipsum, & dixit, ubi posuistis eum? Ioan. 11.

Planctus ad feretrum peccatoris annihilati.

1. Ergone sapientia divina hodie sit facta ignorans? O sancta fides ad tua principia recurro, tu mihi hoc dubium solve. Christus non ignorat, quot guttae sint mari, arenae terrae, atomi soli, scintillae igni. Christus videt quemlibet affectum, qui in corde celatur, cogitationem, quae in cerebro effingitur, ideam, quae in phantasia efformatur. Quaelibet obscuritas est ei lux, quaelibet confusio ordo, quaelibet contingentia ab ipso praeordinata, ipse quodlibet pondus librat, & examinat, quamlibet quantitatem parvitatem rerum comprehendit, quaelibet futura praevidet, mere possibilia cognoscit, omnes subtilitates artis penetrat, omnia monstra naturae perspicit, omnia adversa naturae cernit. Omnia ipse fecit in pondere, numero, & mensura, oculi eius perspicacissimi omnia distinguunt Quomodo ergo unus lapis adeo occultet Laza-

azitum, ut ab astantibus interroget, *Vbi posuistis eum*? Ac si ipse hoc nesciret? Nonne tu ille es, qui adeo dissitus à tuo amico, animo semper ei adstitisti, ita ut discipulos tuos certiores reddideris de eius morbo, & morte?

Quomodo ergo ab aliis exquiris, ubi jaceat? Audi tuum Augustinum, *Scisti quia mortuus sit, & ubi sit sepultus ignoras, Mysterium, mysterium.* Clamant omnes sancti, & quamvis inter se non conveniant, quale hoc sit mysterium Theodorus Mopsestenus, Ciryllus, Theophilactus, attamen conveniunt, te ita interrogasse, ne in illo miraculo vane ostentares tuam potentiam, sed temetipsum humiliares imitando ignorantiam humanam, antequam opus patrares, quod Deo attribuendum erat.

hunc lo-
m.

Sanctus Chrysostomus vult Christum interrogasse, ut tolleret occasionem suspicionis, quâ plures suspicari poterant ex condicto Lazarum ficte mortuum in certo loco reconditum. Theodorus Heracleodes, Leontius, Andræas Cretensis autumant Christum plures voluisse habuisse testes miraculi, dum sepulchrum aperiri debebat. Am-Philochius censet eam interrogationem factam, ut luctui, & opinioni Judæorum se conformaret. Euthimius econtra Christum interrogasse dicit, *ut utramque naturam, & humanam interrogando, & divinam mortuum suscitando demonstraret.*

d Mal
tù inio.

Interim hodie omnium veniâ liceat audire eximium Ecclesiæ Doctorem Augustinum, qui consentientem sibi habens Bedam docet, quod sicut Lazarus Symbolum peccatoris, ita mysteriosa ignorantia, quam Christus præ se fert nil aliud probet, quam quod homo per peccatum annihiletur, ita ut DEUS dicere debeat, *Adam, Adam ubi est*? Ac si hoc nesciret, quin imo ac si non esset in eius libro notatus dicit: *Nescio vos.* Hæc est causa cur hodie cum Christo in lacrymas me resolvam, & deplorem annihilationem cuiuscunque hominis, qui dum se vivere putat, in tumbâ ignominiosâ peccati sepultus jacet. Vos Auditores huic pietatis officio non solum aures, sed oculos præbete. Et revera hic omnibus plorandum est. Et sane mirum esset quod aliquis in exeqiis, quæ tam multos tangunt non plangeret.

Gen. 3. v. 9.

PARS PRIMA

II. Nemo inficias ivit quin DEUS, in tela divinarum litterarum suo penicillo, variis, & quidem vivacissimis coloribus delineare conatus fuerit Monstruositatem peccati. In uno loco describit peccatum velut muscipulam, laqueum, cultrum dæmonis, qua capit, suffocat, transfodit animas. Alibi illud exhibet velut stimulum, stipendium, condimentum ciborum, quo inimica mors nostris damnis stimulatur, pascitur, impinguatur. In alio loco describit illud tanquam aggref-

aggressorem, latronem, carnificem omnis bonitatis, ita ut omnem bonitatem invadat, furetur, destruat. Albi asserit peccatum esse mineram, ex quâ cunctæ miseriæ eluuntur, officinam, telonium in quo omnes miseriæ cuduntur, & asservantur.

Quod si amas libertatem inquit peccatum esse catenam, si tranquillitatem, peccatum esse tempestatem, si pulchritudinem, peccatum esse deformitatem. Quod si desideres amœnitatem, peccatum est horrendum desertum, si harmoniam, est bestialis dissonantia, si sanitatem est contagiosus morbus. Vos peccatores in hoc mari non habetis aliud naufragium, quod timeatis, vos inermes aviculæ alium non habetis vulturem, quem in hoc aere metuatis, vobis agniculis malè custoditis in his desertis, non est alius formidandus lupus, vobis viatoribus ignorantibus in hoc itinere nullum aliud periculum est pertimescendum.

III. Scio vos amare lucem, & tamen non videtis, quod peccatum sit tenebræ crassiores tenebris Ægyptiis, vos exoptatis dulcia, & tamen non gustatis peccatum esse fel, quod plus quam vos intoxicat, vos percupitis incedere exonorati, nec tamen sentitis peccatum esse onus, quod plusquam plumbum vos deprimit. Desideratis vigorem æternum, nō tamen probatis peccatum esse teredinem, qui quò occultius, eò sævius vos consumit. Et quamvis hæc sint verissimâ Auditores mei, attamen hæc parietibus dicta sunt, nam tam parum æstimamus damnum, quod suâ corrosione hæc tinea inferre potest, hoc pondus, quod potest opprimere, hanc amaritudinem, quæ potest palatum lædere, has tenebras, quæ possunt excæcare. Hos lupos, & vultures nos quærimus, his naufragiis delectamur, his morbis libenter afficimur. Has catenas censemus libertatem, hanc deformitatem adoramus velut venustatem. Veritates, quæ fulminantur contra peccatum asserimus esse fabulas, ita ut mendacia nihil ducantur in eius descriptione, dumodo peccatum odibile reddatur. Verum dum oculi corporis claudentur, & oculi animi aperientur, rei veritatem conspiciemus. Tunc intelligemus DEUM non fuisse locutum hyperbolicè, sed veritatem nudam proposuisse. Id confirmat Eusebius Gallicanus asserens, quod quam primum iurisdictioni temporis subtracti fuerimus, & intraverimus æternitatem, quod tunc ante omnia quilibet nostrum mirabitur, quomodo flagitiis acquiescere potuerit. Imo tunc quando videbimus illud nihil esse, quod omnia fuisse putabamus, conqueremur: *Ubi estis concupiscentiæ, ubi estis illecebræ?* Ergone *ad horam mihi momentaneas, & fugitivas ingessistis delectationes, ut æternas postmodum inferretis angustias.* Interim si hodie mihi DEUS suo lumine assistat forsan peccatores aliquatenus vestram miseriam cognosceretis, ita ut adhuc satis opportune in bonum vestrum confundi possitis.

IV. Nec

IV. Nec ego vos deploro velut filios à veſtro patre DEO exhereditatos., nec tanquam diſcolos è cælo patriâ veſtrâ ſemper proſcriptos, nec tanquam carbones æternis flammis paratos, nec tanquam eſcas crudelibus belluis objectas. Sitis talpæ, aſini, cadavera, plangat quis vos velut mortuos, ego vos lugebo tanquam annihilatos. Nec ſanè in hoc opere vos judices eſſe debetis, cum enim juxta Philoſophum : *Omnis peccator ſit ignorans*, hoc officium vobis deferri non debet. Patres me docueruntante omnia per peccatum judicium deſtrui. Dum Dæmon furari vult, lumen rationis extinguit, in hoc eſt totus, ut propriam miſeriam tibi celet, apprimè ſciens te nec per momentum in eâ manſurum, ſi illam cognoſceres. Ego nullatenus dubitem, quod nullus peccatorum ſe non credat eſſe annihilatum. Vnus quippe tanquam nobilis ſuum ſtemma iactat, alter extollit ſuam doctrinam, alius ſe vendit tanquam Triſmegiſtum horum temporum. Illa puella ſe vendit tanquam alteram Helenam, Mercator ſe aſſerit magiſtrum Mercurii, miles ſe in nullo inferiorem Marte putat.

Aſt enim vero, niſi falſum ſit axioma Seraphini Aſſiſinatis Francilci, quod tamen veriſſimum eſt, nempe hominem id tantum eſſe, quod revera eſt in oculis DEI, iuxta loquendi modum ſcripturæ quæ rem magnam vel parvam vocare conſuevit, reſpectu æſtimotionis divinæ: *Coram Domino hic hic erit magnus coram Domino, & fuit peccator coram Domino.*

V. Vos omnes, qui rei peccati mortalis eſtis, hac vice patienter ferre debetis, ut ego vobis exequias ſervem tamquam annihilatis ; Nam quantumvis alias magnam de vobis exiſtimationem habeam, attamen dum vos intueor tanquam peccatores, invenio quod coram DEO, hoc eſt in tribunali veritatis, in quo ſolum iuſtiſſimæ feruntur ſententiæ, ubique res pro merito æſtimantur, repetio, quod minus, quam nihil æſtimemini. Et revera nil dico, quod probare non poſſim. Certum eſt quodlibet exiſtens habere ſuum eſſe per participationem eſſe divini. Hoc ſuppoſito audiamus Paulum. *Quæ participatio* 2. ad Corint.
juſtitiæ ad iniquitatem? Totum eſſe DEI 6. v. 14.
eſt bonitas, ergo malitia nil ex eo participare poterit. Enim vero ſcio vos peccatores mihi poſſe replicare. *In iſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* Act. 17. v.
17.

Sed audite quid reponam. Vos non poteſtis eſſe in DEO, tenebræ quippe non poſſunt eſſe in luce, is qui eſt culpa, non poteſt eſſe in innocentia, qui eſt miſeria, non poteſt eſſe in felicitate. DEUS eſt ignis, vos gelu, DEUS charitas, vos odium, DEUS perfectio, vos defectus, DEUS totus gratia, vos toti macula, DEUS ſpiritus, vos caro. Cum ergo nullum habeatis eſſe, niſi quod participatis à DEO, nemo poteſt in dubium trahere, quin ſitis nihil. Ne amplius inquit Nyſſenus DEUM vo- Niſſen. in
cetis veſtrum patrem ; cum enim in expoſ. litteræ
vobis nil ex ſuo videat, hoc titulo ei injurii eſtis. Dum DEUS non habeat complacentiam niſi in rebus bonis, oculos in vos conycere nequit. *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1.
Audiamus Prophetam Habacuc. *Ad* Cap. 1.

iniquitatem respicere non potes. Quodsi aliquid esses, DEUS sciret quid esses, cum ergo declaret, sic id non scire, consequitur, quod nil realiter sis.

VI. DEUS Catalogum eorum habet, quæ produxit, in eo tu annotatus fuisti, sed à tempore, quo peccasti te ex eo delevit juxta minas quas audivit Moyses: *Qui peccaverit delebo eum ex libro meo.* Iuxta Chrysostomum DEUS non magis æstimat peccatores, quam si non essent. *Peccatores non numerantur, ut qu sque ex ipsis pereat, perire non sentiat, iis caret DEUS, quasi de non numeratis.* Obruant igitur te quantumvis velint adversitates, elementa in te sæviant, Dæmones te occupent, cum nil habeas divini, non est quod tibi DEUS condoleat. Cum omnes perditi sitis, ipsi nihil periit. Habeat vos quis velit, non reputat, quod sitis ejus. Hinc postquam populus in idololatriam fuisset prolapsus dixit Moysi, *peccavit populus tuus & non amplius populus meus.* Quidquid habet aliquid esse divini, hoc DEUS possidet; vos autē cum sitis merum nihil, exploratum est à DEO vos non possideri.

Exod. 32. v. 34.

Homil. 23 in Matt.

Exodi. 32.

Et profectò cum peccatum nihil sit, uti illud definiunt Patres, optimè dixi, peccatorem esse annihilatum. Nam ut benè inquit Nissenus: *Dicimus cibum in carnem receptum carnem fieri sic & is, qui ad nihil defluxit, in nihilum quoque converti rectè dicitur.* Ast enim vero, video quod necdum discursui meo subscribatis, quinimo plures me redarguunt, quod meam Rethoricam eorum metaphysicæ non adaptem.

Audiamus quid dicant. Quæso te mi Pater, vel hac vice has propositiones miras, & elegantes scholis linquamus; Nam quamvis delectent, dum videntur novæ, nil tamen efficiunt, quamdiu non probantur veræ. Deerat adhuc aliquis, qui licentiâ plusquam poeticâ oratorum modernorum sibi persuadendum assumeret, hominem quem videmus robustissimum, comedentem, ridentem, dolentem, gaudentem, saltantem nihil esse postquam peccavit.

IX. Sed sistite oro Auditores, nec ego hodie omnem reverentiam exui, quam tam venerando auditorio debeo. Suppono me loqui iis, qui intelligunt quid dicam, quiq; rationibus, & non scommatibus moveantur, & profectò quantum possum, cavere debeo ne tot veritatibus, quas vobis proposui, quasq; efficaciter probare possum derogem. Vobis dixi, quod peccator qui nobis videtur is esse, qui antea fuit, post peccatum DEO æquè, ac nihil sit. Porro quod DEUS ita sentiat, non dependet à meo, vel tuo iudicio, sed ex ejus mente, quam nobis declarare dignatus est per suas sacras scripturas, quæ ita mihi favent ut iam magis quam unquam ante hominem peccatorem coram DEO esse annihilatum sentiam. Ego peccatorem adeo deprimam, ut in abysso nihili eum sitis vix agnituri. Quod si præsumatis dicere Chrysostomo, peccatorem esse hominem, ab eo distinctionem vobis forsan novam dari audietis. Verum quidem est inquit sanctus pater, quod juxta Philosophum ad esse hominis sufficiat, quod quis sit animal rationæ mortæ, at coram DEO definitio hominis longè alia est: *Divina enim scriptura*

In c. in Iob. ap.

ptura eum definit esse hominem, quid id quod DEI similitudinem imitatur custodit. Postquam divinam in te imaginē destruxisti, es homo secundum quid. Nos ita perversi, & cæci sumus, ut res juxta id quod sunt non contueamur. Nos in pluribus aliis judiciis erramus, sicut erramus dum conspicimus lunam, quam tunc solum lumine divitem censemus, quando minimo est prædita. Solum enim judicamus res juxta exteriorem apparentiam, secundum quam luna est luminosa, ut interim pars, quæ respicit te propter interpositionem solis sit obscura.

X. Nos videmus Pharaonem solio insidentem, & videtur nobis rex; nam superficiem, quæ nos respicit, & non DEUM intuemur; interim est mancipium vilissimum inquit Chrysostomus *Quia qui facit peccatum, servus est peccati, etiamsi decem millia coronarum habeat in capite.* Quin imo sæpe pictura affabrè facta vivus homo judicari potest, oculi scintillant, labia loquuntur, manus gestus eliciunt, pedes moventur. Quod si interim picturam vertas, non invenies tergum illius, cujus faciem vidisti, sed telam laceram, sordidam, & araneis obductam. Parumper juxta monitum sapientis verte peccatores: *Verte impios, & non erunt.* An credas peccatorem esse aliquid? Verte eum, respice partem, versus Deum, & clare videbis eum non esse illum, qui esse videbatur, nam ut inquit Tertullianus: *Infamat superficie vocabuli veritatem.* Sane ei potest dici, id quod Episcopo Sardicensi olim dictum est: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.*

[Marginal notes: ...rv. Lib. 5. ...mil. 5 de ...bis Isaiæ ...ph. — ...overb. 1. ... v. 7. — ...b. 1. C. 5. — ...poc. 3 v. 1.]

Sancti Patres in catenâ summopere admirantur modum loquendi scripturæ dum ait: *Vir erat in terra Hus, & erat verus ille.* Sed qui? An reliqui forsan non erant veri homines? Quinimo, ut enim ait Chrysostomus: *Improbi sunt falsi homines non secus acpicti* Porro rationem audite: *Neque enim à figura, sed ab actione quod est, unum quodque intelligitur.* Illi qui in delitiosis suis villis æmulari solent antiquam magnificentiam Romanorum solent in principali viâ alicuius horti ad pedem arboris canē latrantē, in ære, vel lapide exprimere. Quod si aliquē eò venire contingat, qui arcanum nescit, statim ad conspectum illius bestiæ gressus figit, & illuc accedere non audet. Frustillum ei objicit panis, nec tamen canis se movet, eū excitat, vellicat, trudit, sed cū videt quod nil moveatur, lapide ejus caput petit, cernensq; quod immotus maneat inquit, non potest esse canis, qui instar canis non operatur. Idem dico ego de peccatore, qui opera hominum non exercet, homo esse nequit. Estne hic aliquis peccator? Sanctus Ioannes Chrysostomus ei loqui vult: *Vnde te humanâ animâ præditum esse intelligere queam?* Quomodo toto die vivis? Comedis, bibis, dormis, ambulas, irasceris, furis. Sed hæc tuus equus facit. Vltra tuum equum solum loqueris, & revera si equus articulatas posset formare voces, non credo, quod magis bestiales proferre posset, quam eas quas tu eructas. An unquam mentem tuam ad Deum elevas? An unquam recogitas præterita, ut poeniteas, præsentia ut te emendes, futura ut de iis disponas? Et sane adhuc Diogenus, dum per forum hominibus confertum cursitat, homines lucer-

[Marginal notes: Iob. 1. v. 1. — Hom. 16. in epist. 2. ad Corin.]

lucernam manibus gestans quærit, te hominē agnoscere non vult. Quomodo ergo possis probare quod sis homo, dum nec es similis DEO, nec rationabiliter operaris, in quo hominis esse consistit?

XI. Quid ergo eris, lego tibi id dicere nolo, dicent tamen sancti, qui à peccatoribus nil sibi metuunt. Quod si beatus Laurentius Iustinianus tibi nimium severus videatur, dum liberè inquit. *Ferocitate factus es Leo, levitate*
In psal. 72. *avis, sus libidinis sorde, torpore asi-*
Homil. 12. *nus*, Te mittam ad Chrysostomum.
in Genesin. Hic collegit varia nomina belluarum, quibus DEUS peccatorem per contemptum vocat. Eum nominat ca-
Isai. 46. nem ob suam impudentiam apud I-
Ierem. 5. saiam, apud, Ieremiam equum ob la-
Psalm. 48. sciviam, apud Psalmistam iumentum
Ose. 15. ob stoliditatem, Leopardum ob rapacitatem apud Oseam, viperam ob ingratitudinem, Lupum ob ferocitatem, scorpionem ob venenum, corvū
Hom. 23. ob voracitatē aliis millenis locis. Attamen tu Chrysostome pejus eum tractas, dum alio loco eundem bestiis deteriorem proclamas. Scorpio non nisi se irritantem mordet; ast peccator offendit DEUM, qui eum suaviatur. Lupus rapit, sed non nisi vitæ necessaria, ast peccator nec superfluis permittit, quod alii fruantur; Leo hosti prostrato ignoscit, sed peccator adhuc mortuum infamat. Vna bestia hoc vitium, alia aliud, sed peccator omnia habet.

Reverea formica DEO gratior est, quæ utiliter semper occupatur, nec ullum momentum temporis perdit: quam ille adolescens, qui integris diebus ludit, & per plateas ambulat sine viatico, navigat sine pane biscocto. DEUS magis æstimat ranam, quæ contenta suo loco Factorem suum prout potest laudat, quam illum perversum, qui vix duo verba profert, quin diabolicâ malitiâ eum non blasphemet. DEO acceptior est musca, quæ nullum molestat nisi DEUS id permittat, quam ille dissolutus, qui nil aliud curat, quam quomodo sibi præscripta turbet. Et sane nisi hæc ita se haberent
profecto Psalmista adeo illustratus in *Chrys. Homil. quam*
suo hymno, quo DEUM laudavit, *præsbyt. ej*
peccatores etiam invitasset, dum Dra- *designatu:*
cones vocarat. *Laudate Dominum de* *psal.* 148.
cælis. In hoc choro eum non quæratis, qui in solâ abysso nidificat. Ast enim in alio choro forsan peccatorem reperiemus; *Laudate Dominum de terra.* Sed decipimur, nam hic sunt vocati. *Dracones, & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* An ergo non dicetis peccatorem esse bestiis viliorem, dum ille non invitatur. Me Herculè hæc ponderatio quemcunque convertere sufficeret. Et mihi quidem id contigit, quod sancto Chrysostomo: *Haud fru-* *ead hom.*
stra, neque temerè dum hæc loquor intersilvi, quid enim miserabilius? Sane nil clarius dici posset. Quid? Scorpiones, serpentes, & dracones invitantur ad laudandum DEUM, solum peccator ab hac sacrâ choreâ submotus est. Dicendum est quod sit pejor bestiâ: *Mala bestia peccator est, eoque peccatorem tanquam è sacra patriâ abegit Propheta; ac ultra fines, ac pomæria submovit.* David in suâ musicâ hanc dissonantiam noluit: *Optimus musicus est cithara modulata,*

lata, chorda ne dissona resonet, nec reliquarum vocum harmonia vitietur. Quid huic tam claro argumento vos peccatores replicare poteritis? Quæ hactenus dixi verissima sunt, & non exaggerationes.

XII. Bestiæ ad quemlibet nutum DEI naturam mutant, vos autem quantumvis DEUS clamet, mores non emendatis. Bestiæ à fine præfixo non aberrant, vos autem nunquam in finem vestrum tenditis. Bestia quantumvis ferox paulatim cicuratur, DEUS autem plurimo tempore maximis industriis adhibitis, vos domare nequivit. Ex quo conficio vos nil plus esse, quam nihil. Sanctus Ambrosius asserit, quod sitis fœtida sepulchra: *Quid sunt perfidorum corpora, nisi quadam defunctorum sepulchra?* DEUS pejus loquitur per Isaiam: *Ne formides à duabus caudis titionum fumigantium istorum ex ira furoris Rasin Regis Syriæ, & filii Romeliæ.* Hic vides quomodo duo sertata capita vocentur titiones fumigantes, qui peccatores erant. Credatis nil esse in mundo adeo vile, quod Deus non magis æstimet, quam vos. Ex vobis ipsis argumentum formate. Dic sodes, quanti æstimas illud domi tuæ quod ineptum est ad finem, ad quem factum est? Quanti æstimas vas fractum, clavem, quæ non aperit, clavum, qui non figit? Nihil. Quamdiu ergo nos in domo DEI inepti sumus ad finem, ob quem sumus creati, Deus æquè, ac nihil nos habet, & quasi non essemus. Audi Oratorem Græcum: *Peccat res nescit DEVS, non quia non cognoscat, sed quia suos illos non cognoscit: Omne enim malum æternum est ab eo.*

[Ambr. L. 6. ... c.] [Isaiæ C. 7. 4.] [...y. hom. in Matt.]

Quod si ulterius tendam, & dicam peccatorem non esse plus quam Dæmonem, vos aures obturabitis, sed quæso eas aperiatis, nam ante me id dixit ipsamet veritas ad Iudæos: *Vos ex patre Diabolo estis, Et unus vestrum Diabolus est.* Mi JEsu ego nil hodie aliud à te postulo, quam ut oculos animæ aperias omnibus iis, qui eas habent clausas, nam videremus Dæmones multo deformiores, quam eos pictor Archangelus Michael unquam in telâ expressit. Quantum ego prævideo quilibet à me exspectat, ut recenseam casum, quem Thomas refert Cantipratanus, & revera non erratis. Nobilis quidam Germanus enormissimum quoddam, sed nescio quale patrarat peccatum. Dum Domum rediret, vidit omnes ad sui aspectum fugientes Vxor, & proles crucibus repetitis se signabant, nomina sanctissima IEsu, & Mariæ inclamabant, aquâ lustrali se aspergebant, coronam recitabant, reliquias sanctorum appendebant, unde suspicans turpitudinem animæ, quæ in corpus redundabat, ab iis in horrore habitam, ad Ecclesiam, ut eam confessione elueret accessit. Dum ad eam veniret, parochus qui casu ante eam consedebat, & horas suas recitabat, ejus contuitu terrefactus, breviario abjecto, fores occlusit, stolâ, & reliquiis sanctorum se armavit, exorcismos potentissimos adhibuit, & quamvis nobilis iuraret se non esse Dæmonem, sed peccatorem; Attamen non nisi post multum tempus illud credidit, Plures sunt, qui vestibus, & cincinnis

[Iois. 8. v. 44. Iona. 6. v. 7.] [L. 2. apum. C. 3.]

egregie comptis exterius se exhibent Angelos, & tamen intus sunt Dæmones.

XIII. Ast revera sanctus Joannes Chrysostomus bilem in me effundit, quod peccatores non æstimem viliores Dæmonibus. Tu peccator superbi quantum vis velis, naturâ pessimus Dæmon es, ille quippe est spiritus tu materialis, & tam enormia patras, ad quæ ille per suam obstinationem non attingit. *Dæmon neque ventris servit tyrannidi, neque pecunias amat* Tu autem pro vili lucello facis, quod dicere non ausim. Equidem scio, quod Dæmon in Ecclesiâ easdem sit irreverentias comissurus quas tu, quod nomen DEI sit blasphematurus sicut tu, quod verbis scripturæ sacræ sit abusurus, sicut tu, sed tu adhuc Dæmone vilior es; nam Petrus Chrysologus te vocat Venatorem Dæmonis, Joannes Chrysostomus te appellat Equum ejus vectorem. Cum ergo sis inferior spiritibus adeo malis, perversis, immundis, cur ego te non plangam, velut annihilatum? Tu non es homo, nam operationes tuæ humanæ non sunt, nec habes amplius similitudinem DEI, quæ est forma dans esse homini; ego te inveni pejorem bestiis, Dæmonibus, imo rebus insensibilibus; quod si ergo apud logicos valeat argumentum ab exclusione partium, si sit aliquid quod sit plus nihil, quam nihil, tu illud eris.

Hom. 23. ad popul.

Chrysol. serm. 6. Chrysost. hom. 37. in Matth.

Sed quid ego dico plus quam nihil? Si aliquid minus nihilo daretur, hoc esset Peccator. Nullum est dubium, quin servus sit minor Domino; hoc admisso argumentor: *Qui facit peccatum servus est peccati*; à qui peccatum juxta August. Gregorium, Basilium, & alios Patres est nihil, ergo servus peccati est minor nihilo. Hæc verissima sunt, & quomodo ergo Ego siccis illa oculis proferam?

Ioann. 8. v. 34.

XIV. Tu Sancte Hieremia mecum plora: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ Populi mei.* Convici vos esse annihilatos per peccatum, & tamen ut inquit Chrysostomus, *Nec tam malè dispositi animæ nostræ deformitatem cogitamus*. Mi JEsu, ne deplores Lazarum, quia nos potius, qui non solum sumus mortui, sed & annihilati, deplorandi sumus. Ergone hoc modo plurimi adolescentes robustissimi, gratiosissimi, qui eximiis naturæ dotibus spem præbent, Civitatibus, Provinciis, Familiis; ergonè tot Viri, quorum plurimi judicio pollent maximo, & aptissimi sunt ad regimen, quorum alii experientiâ, & animo præstantes digni sunt, ut præficiantur militiæ quorum alii ob eminentem doctrinam sunt Oracula sui ævi, alii ob artem eximiam sunt invidia Apostolorum, ergone inquam per peccatum luxuriei, iniustitiæ, odii, Officii malè administrati coram DEO in cujus oculis quodlibet apparet quale est in se, non sint tantum quantum una aranea, lignum, lapis, Dæmon, quin imo unum vilissimum, & turpissimum Nihil? Ergonè sit possibile, quod quam diu hæres in peccato DEUS nil in suum librum referat, quod sit meritorium vitæ æternæ, quin imò Angeli te magis abominentur, quam unum olentissimum cadaver, ita ut si nobilissimus hominum, & quidem

Ierem. 4. v. 9.

Hom. 23. ad popul.

Mater

Mater DEI, cum illâ maculâ cælum intraret, præ horrore: quis id crederet: fugaret omnes Hierarchyas cælestes? Hoc non fingo, sed iam dudum id monstravit Angelus, dum transiret juvenem libidinosum, quod non egerat, dum transiret cadaver, quod suo fœtore fermè occiderat quendam Anachoretam. Verissimè quondam dixit Socrates *Neminem scienter peccare.* Si sciremus quid ageremus, dum peccamus non indigeremus aliâ remorâ, ne peccaremus.

Rochig. Lib. 9. C. 13.

Verùm dum apprehendimus odium fovere fatale esse nobilis animi, alterius detrahere famæ esse animi astuti, aliena rapere industrii, pravæ assuescere societati animosi, non est mirum, quod non videamus illa, quæ deberemus. Age sis ò David, qui nam sunt ij de quibus dixisti: *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens?* Nulli alii, nisi quidam proprii cerebri, qui instar aquæ ad imum percipitantur, ubi annihilabuntur. Falleris, utinam non essent Christiani. Vtinam illi, qui melius cognoscunt quid sit peccatum, non peccarent gravius aliis. Videant paulisper quid agant nostri adolescentes, ut cupitis amplexibus fruantur. Eheu, *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Vide, quam exiguæ simus fidei in contractibus, quàm proni ad fraudes, ad negotiationes impediendas, hostes dicipiendos. Eheu *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Ergonè viri adeo effrenes, & præcipitosi currant Ad nihilum? Desinam hæc prædicare, nam ut video non creduntur, & si credantur, ea non ponderamus.

Psal. 57. v. 8

PARS SECUNDA.

XV. Auditores mei, si vobis proponam falsa eijcite me ex hoc pulpito, nam causam habetis. Ast si prædicem veritates æternas, permittite, ut hac alterâ parte non solum eas retractem, sed melius declarem. Quod si indagetis, cur Christus ad tumbam Lazari planxerit? Respondebit Cyrillus Alexandrinus, ab eo deploratam communeum miseriam mortalium ad extremum per peccatum reductam. Theodorus Heracleota dicit eum planxisse potius præ compassione ob circumstantes, quam ob miseriam Lazari. S. Augustinus docet eum luxisse, ut significaret quidem lacrymas spargi posse in morte charorum, sed cum modestiâ. Isidoro Pelusiotæ doluit, quia mortuum ad miserias vitæ præsentis revocare debebat. Euthymio lacrymatus est, ut se hominem ostenderet, sicut miraculo se devarareat DEUM.

apud Mald. in hunc locum. Ioan. 11.

Ast enim si ego meum sensum proferre debeam credo cum Andreâ Cretensi, quod potius luxerit Judæos astantes, quam Lazarum, secumque sic discurrit. Oculos parumper in eos conjice, lugent mortem corporis, de quâ parum prefert, nec in minimo mortem animæ plangunt. Omnes illi sunt magis putridi, quam Lazarus defunctus, Ejus quidem sentiunt putorem sed non suum. Deploratur tot lacrymis unus mortuus, & tamen nemo ad mortem millenarum animarum, quæ quotidiè moriuntur movetur, & plangit. Et an non hæc sit sufficiens causa, ut lapidea corda in lacrymas resolvantur. Anima per peccatum moritur

moritur divinæ gratiæ, quæ est nostra vita, nec tamen est, qui eam lugeat, aut atris induatur. Audite Cyprianum. *Si quem de tuis perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres, animam tuam perdidisti spiritualiter mortuam, funus tuum portare cœpisti, & non iugiter ingemiscis?*

Lib. de lapsis

XVI. Sancti, quibus perspecta fuit vilitas, ad quam reducitur homo per peccatum, non solum amarè deplorarunt propria, sed & aliena peccata. Hinc sanctus Ambrosius, Hugo Episcopus Gratianopolitanus, Eustachius Abbas, & milleni alii pœnitentibus tam teneras lacrymas, & fervidam contritionem instillabant, ut jucundum id fuerit videre. Et quamvis ego non sim adeo illustratus, tamen quando ponderare incipio ex unâ parte malum, quod infert unicum peccatum, & ex alterâ me reflecto ad facilitatem, quâ peccamus, magis miror, quam si viderem vos tecta adscendere, ut vos præcipites in terram detis. Et profectò quamvis nos non involveret poenis temporalibus in hac vitâ, & æternis in alterâ, quamvis nos non debilitaret, deprimeret, annihilaret, sane nō peccaremus liberius, nec in peccatis hæreremus diutius. Qualiter distinguunt plures peccatū mortale ab actu indifferenti? In nihilo. Peccato commisso ita rident, jocantur, pergræcantur, ac si insigne edidissent specimen. An tales credant, quod peccatum annihilet? Vtinam nulli essent, qui hunc discursum censerent esse exaggerationem, & non veritatem Ecclesiæ. Mi dilectissime si ad primum peccatum deberes minui genu, ad secundum brachio, ad tertium oculo, ad quartum aure, & ita per quodlibet peccatum, deberes destitui aliquo membro corporis, & nullâ affici poenâ æternâ, jurarem te nec cogitatione peccatum versaturum, ne ita aliquo membro privareris. Quomodo ergo adhuc peccas, dum fides docet te per peccatum annihilari? Audi parumper. Quomodo sit Christianus hæc non credens? Si hæc credas, & nihilominus pecces, quis non dicat te esse stultum?

Dauraut. in catechismo.

Quæ cum ita sint Cur non incalescam? Non ne ipsi lapides perstringunt talem indignitatem? Si hactenus à me probata non sint vera, delete ex libris Boetij: *Qui mali sunt eos malos esse non abnuo, sed eosdem esse pure, ac simpliciter nego.* Ex libris sancti Augustini *Ab eo qui verè est qui in contrarium pergit ad non esse pergit.* Ex psalmis David *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Ex orationibus Esther. *Ne tradas Domine sceptrum iis qui non sunt,* Tollite expropositionibus Christi: *Melius erat ei si natus non fuisset homo ille*

Lib. 5. de consolatio.
Ps 72. v.
Hester. 1
Matt. 2

XVII. Sed quid dicitis? Cum hæc vera sint, uti & nos credimus, cur tam parum hoc apprehendimus? Aristoteles causam assignat; Quærens enim cur compatiamur homini dum amittit brachium, ei autem non compatiamur, dum videmus eum peccare, quod tamen multo gravius malum est, quam amissio brachii, respondet, hoc esse damnum sensibile, peccatum autem damnum spirituale, quod nos parum æstimamus. Quam diu in corpore degimus non nisi bona, & mala-

Cap. de miseria.
2. Rhe 3. de misericor.

mala corporea sentimus, sed erit, cum oculos aperiemus, & videbimus, quod nobis multo satius fuerit amittere bona, famam, vitam, quam gratiam Dei.

De reliquo Peccatores Christus ad tumbam vestram annihilationem luget, nec vos tamen plangere vultis. Vobis quidem pereuntibus nil perit Deo, attamen, cum habeatis potentiam, per quam ex nihilo emergere possitis, vellet vobis vestro esse restituere. Et nonne hoc argumentum satis efficax est, ut de peccatis doleatis? Nonne hoc argumentum validum est, ut moveamini, quod nempe DEUS curam habeat vestri, quando vos eum non curatis? Revera non adeo obstinatus fuit ille asceta, de quo memorat vita Patrum. Hic vitam monasticam pertæsus ad quendam Pagum in Ægypto se contulit, ubi dum deperiret quandam filiam cuiusdam Idolorum Sacrificuli, eandem sibi matrimonio tradi postulabat. Parens priusquam eius votis annueret, dæmonem consuluit, qui suasit filiam non traderet, nisi deum, baptismum, vitam religiosam abnegaret. Infamis Apostata conditioni acquievit. Ast enim verò dum sacrificulus summo stupore defixus hæreret, eo quod spiritum divinum in formâ columbæ ex eius ore versus cœlum avolasse vidisset, ad idolum rediit, à quo monitus fuit, ne filiam ei daret: *Quia Deus eius non recessit ab eo, sed adhuc adjuvabit eum.* Adeo perculit hoc responsum Monachum, ut confusus sic secum discurrerit: *Si tantam bonitatem ostendit Deus in me, cum ego infelix negaverim ipsum, & Baptismum, cur ego recedam ab eo?*

[Sp]eculo exemplorum. [Di]st. 2. ex[em]plo 107.

Ergone Deus post tot scelera me adhuc æstimet? Cur ergo ad eum non revertor. Hæc consideratio eum in Eremum relegavit, culpamque tam amare deflevit, ut optatam columbam post tres hebdomadas redeuntem viderit. Huc, huc omnes, qui diu promeriti sumus, quod DEUS nos desereret. Fateamur cum Augustino: *O Domine agnosco, cum fui sine te, non fui, sed nihil fui. Inimici mei fecerunt de me quæcunque voluerunt, percusserunt, nudaverunt polluerunt, vulneraverunt, & occiderunt me, quia recessi à te; & factus sum nihil sine te.* Non nego, quod me sepeliverint; *Adhæream ergo tibi verbum, ut conserves me, quia ubi à te recessi perii in me.* O mi dilectissime Redemptor, da gratiam, ut deinceps te bene intelligamus. *Quia quod nihil est non est, & quod non est bonum non est, quia nihil est.*

Soliloq. Cap. 6.



CONCIO XXVIII.

PRO DOMINICA PASSIONIS

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Ioan. 8.

Ostenditur esse miraculum, quod homines non ament Christum.

I. SIccine ergo Innocentia lapidibus, sanctitas blasphemiis, amabilitas odiis impetatur? Siccinè divinitas in ipso suo templo conculcatur? Reverâ homines contra filium Dei nimium sæviunt. Judæi furiosi evaserunt, quia inter eos fuit natus, eum vocarunt Præstigiatorem, quia patravit miracula, seditiosum, quia allexit Populum, impostorem, quia tradidit dogmata, potatorem, quia intererat Conviviis. Nunquam jucundum celebrarunt Pascha, nisi eum victimam immolarent, eum fustuando, ligando, lacerando, pugnis, calcibus, ferris, funibus, sentibus, clavis excipiendo. Vident quidem eum mortuum, & tamen plus quam unquam odia eorum vegeta sunt. Nulli alteri rei studuerunt, quam ut eum diffamarent. Ipsorum Thalmud eos obligat ut quotidiè ternis vicibus sequestrati Christo maledicant. In sacris imaginibus, & hostiis, nempe Romæ, Parisiis, Vratislaviæ, In Bohemiâ, Franconiâ, & alibi pugionibus eum foderunt ad sanguinē usq;.

Sixtus Senensis. L. 2. Bibliothec.

Nec sanè Gentiles mitiores Judæis erga Christum fuerunt, nam ejus asseclis pedes clavis transfixerunt, eum nominantibus linguas pro'ciderunt, eum amantibus, cor discerpserunt, ei adgeniculantibus, genua absciderunt, ejus discipulos, doctrinæq; Professores dignitatibus exverunt, facultatibus privarunt, hastis transfixerunt, pelle exverunt, aquis submerserunt, ad ignem assarunt, ungulis ferreis lacerarunt, ipsiusque mundi eversione, eius memoriam delere voluerunt.

Ex Bar. & aliis

Et quod mireris, inter Christianos fuerunt Sammosateni, qui ei æternitatem ademerunt, temporalem eum proclamando. Gnoitæ ei scientiam negarunt, & ignorantem propugnarunt, Calvinistæ inficiantur ejus impeccabilitatem, eum tanquam peccatorem censurando. Arriani nolunt eum esse consubstantialem Patri, Eunomiani eum Patri dissimilem statuunt, Ebionitæ ejus sustulerunt Matrem, Sabelliani Mariam non admittunt esse Virginem. Monothelitæ unam ei suffurati sunt voluntatem, Eutichiani unam naturam. Setheani eum voluerunt esse Seth, Apellitæ merū eum esse credunt phantasma. Æriani eum faciunt cæcū, utpote qui Deum non videat, quod etiam docent Novatiani, Originistæ, & tandem Apollinaristæ, Donatistæ, Bonfiniani.

Sed quid dicemus de Catholicis? Fateor, quod sis inventurus plures, qui e-

jus mandatis obediunt, consiliis parent, inspirationibus respondent, sed & millenos invenies, qui de eo non cogitant, ac si non esset, eum non cœmunt, ac si nihil haberent, nunquam ei loquuntur in Conversationibus, quin eum blasphement, Nunquam visitant eum in Ecclesiis, qūin eum irreverentiis afficiant. Ast ego hodie, summoperè scire perciperem, in quonam fundetur tam enormis aversio hominem erga filium Dei. Agedum adsitis huc Auditores mei, & oculos advertite, quia ego hodie Christum tam interius, quā exterius explorare volo, & quasi anatomiam circa eum cum Medicis instituere, ut dum ita vobis ostendero, nil in eo latere, quod odium mereatur, summo stupore defigamini, quomodo quis eum odio prosequi possit. Et sanè quantum ad me, non capio, quomodo tanta amabilitas possit esse objectum odii, & quomodo homines, qui nil magis, quam bonitatem ex appetitu innato concupiscunt, possint bonitatem adeò immensam, amabilem, utilem non amare, non æstimare, sed potius abominari, malè habere, & crucifigere.

PARS PRIMA.

II. Quodsi aliquis fundum humanarum passionum attigerit, is sanè fuit Aristoteles, qui secundo Rhetorices medullā suæ Philosophiæ contrahens, tam sublimiter discurrit circa alteratio- nes Microcosmi, ut eruditio, & scientia, quam habuit de mundo maiori, plurimum debeat cedere speculationibus circa fomites, & incentiva iræ, misericordiæ, spei, timoris, invidiæ, amicitiæ. Quamvis ille hodie coram me audiret, perciperetq;, quomodo ego admirationem cum irâ confunderem, non tamen admiraretur; quum enim clarissimis rationibus probaverit, admirationē ante omnia alia sibi devincire animos hominum sincerorū, & non vafrorum, grandium, & non elatorum, sublimium, sed non superborum, amicorū eorū à quibus amantur, inimicorum à quibus odio impetuntur, promptorū ad petitiones concedendas, priusquam rogentur, ad condonandū offendentib[9], in moribus compositorū, gratiosorū, & non dicacium, acutorū, & non pungentium, nihilominus inveniret quomodo Christus in operibus exactissimus, gratiosissimus, liberalissimus, omnibus numeris amabilissimus, adhuc motivum possit habere odiorū.

L. de gra. & ami- tia.

O æterne Deus! Quandoquidem ingens excellentia semper apud homines fuerit fundamentū magnæ æstimationis, & magna æstimatio fundamentum magni amoris, adeoq; levi brachio ab admiratione ad amorem transeant, dum omnes haberi velint ij, qui suos affectus benè impendant, & ex amore, quo aliquam, rem prosequuntur, persuadere volunt eâ se perfectione pollere, quam in aliis a[illegible]ant, si contrariū faciant, naturā mutare debuerunt.

III. Hæc cum ita sint, quam amabò bonitatem, pulchritudinem possunt appetere Creaturæ, quæ non sit perfectio in Christo? Audiamus Paulum. *In quo recapitulavit DEUS omnia, & quæ in cælis, & quæ in terris.* De illo potiori jure dixerim id, quod de Româ scripsit Cassiodorus: *Septem sunt in orbe miracula, sed omne Roma miraculum est.* In ordine naturæ sint prodigium, dotes Angelorum, motus cælorum, claritas solis, influxus stellarum, pulchritudo Iridis, cantus phi- *Ephes. 1.*

lomelæ. Sint miraculum in ordine fidei, fides Petri, spes Pauli, Charitas Ignatii, humilitas Francisci, eruditio Hieronymi, subtilitas Augustini, Patientia Job, magnanimitas Agnetis, fervor Agathæ, puritas Mariæ. *Sed totus Christus miraculum est.*

Et profectò nil eò amabilius DEUS producere potest, nec consequenter aliquid eo amabilius fingi. Porrò dum nomino Christum, quas non eloquor perfectiones? Nomino illum, filium, qui dum est verbum non habet linguam, brachium illius, qui caret membris, coæternus, & coætaneus suo Patri, secunda Persona sed ejusdem naturæ cum primâ, in nullo inferior Patri, & tamen ei obedientissimus, à DEO procedens, sed semper idem cum eo. Dico intellectum illius, qui omnia disponit, vitam ejus, qui omnia operatur, oculum ejus, qui omnia intuetur, librum ejus, qui omnia annotat. Nomino nobilissimum sine Majoribus, ditissimum sine fratribus, hæreditatem, quæ nunquam interit, quæque omnem substantiam pacifice possidet, emancipatum, ab eo cum quo tamen omnia communia habet, ita ut sine illo non esset DEUS, nec nos etiam essemus, ut enim inquit Cyrillus: *Non potest esse perfecta deitas, nisi filium habeat, & fructum ex se pariat.* Nec nos essemus, quia juxta Chrysostomum: *Omnia nostra à Christo habemus, & quod sumus, & vitam, & lucem, & spiritum, & aërem, & terram.*

Lib. 2. Thes. c. 1.
Hom. 10. in ep. ad c. r.

Dico illum hominem, qui est caput, & corona hominum, magister Capellæ, & Monarcha Angelorum, caussa exemplaris, meritoria, & finalis omnium prædestinatorum, adeò acceptus in operibus suis, ut minimum opus ab eo elicitum, quamvis de facto non promerverit tantum, quantum DEUS potest præmiare, meretur tamen quodlibet præmium sive creatum, sive increatum, quin imo infinitum. Absque eo nulla est gratia sanctificans, nulla gloria beatificans nullum antidotum contra morbos præservans, nullum lytrum à captivitate redimens, nullum consilium in dubiis dirigens, nullus navarchus contra scopulos defendens, nullum lumen tenebras pellens, nulla vita mortē abigens.

LV. Christus est agniculus pro nobis victima factus, Leo nos defendens, monoceros, qui aquis venenum abstulit, mus ponticus, qui nullam unquam maculam admisit, pelicanus, qui se cruentat, ut pullos nutriat, cetus, qui nos intrà se recondit, ut contra fluctus muniat, Principium, medium, & finis vitæ nostræ, fons, flumen, mare nostrarum gratiarum. Fundamentum, basis, tectum nostræ, fabricæ, scutum, ensis victoria nostri belli. Est desiderium collium æternorum, spes gentium, quæ perierunt, magister, & interpres Prophetarum, radix, & fructus Patriarcharum, sponsus virginum, patrinus Martyrum, socius Eremitarum, dux peregrinorum. Intellectus, qui nihil ignorat, memoria, quæ nullius obliviscitur, voluntas, quæ omnia amat.

An non ergo sit res monstruosa, quod homines qui sese ob alias excellentias fatigant, in vili habeant eum, qui omnes perfectiones continet, non admirentur, nec ament potentiam adeo sapientem, sapientiam adeò bonam, bonitatem adeò perfectam, po-

tentiam, quæ sola potest supplere nostras egestates, sapientiam, quæ sola potest nostros tollere errores, bonitatem, quæ sola nostros potest satiare affectus, potentiam semper actvatam, semper paratam ad concurrendum cum operantibus, semper vigilantem, ut responsa det interrogantibus, bonitatem semper applicatam, ut Eleemosynam largiatur invocantibus? Verbo, sicut Opalus juxta Plinium est lapis pretiositatē omnium aliorū lapidum continens: *Etenim in eo carbunculi tenuior ignis, & Amethysti fulgens purpura, & Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mistura lucentia.* Ita qui dicit Christum, nominat omne bonum, omnem perfectionem, sanctitatem, pulchritudinem, gratiam.

[Plin. lib 37. cap. 6.]

Sed vos dicetis Verbum DEI esse ænigma ab hominibus non intellectum, & paucissimos intrinsecas perfectiones Christi penetrare, adeoque non esse mirum, quod non ametur, cum voluntas non feratur in incognitum. Assentior vobis, sed audite quid reponam. Negare mihi nequibitis plures perfectiones Christi esse à multis cognitas, explicatas, adeoque testimonium horum, cum non sint impostores, sed potius sanctissimi, cum non fallantur ut pote subtilissimi, Christum omnibus numeris amabilissimum reddere deberet. Ego eorum plures, & quidem septem Græciæ sapientioribus præstantiores in campum adducam, & quid de Christo sentiant, promant rogabo. *Apex totius sanctitatis est IEsus* ita eum definit sanctus Dionysius. *Recapitulatio omnium bonorum, quæ à DEO facta sunt.* Iuxta Irenæum. *Est DEIficatio carnis nostræ.* Iuxta Athanasium. *Admiratio, & homo faciens Deos.* Iuxta Damascenum. *Virtus divina inclusa in corpore.* Iuxta Originem: Victima generis humani Iuxta Eusebium. *Legatus DEI Patris & pontifex noster.* Iuxta Didimum: *Infinita Dei clementia.* Iuxta Ciryllum: *Restitutor pristinæ pulchritudinis.* Iuxta Nyssenum: *Solutio omnium difficultatum.* Iuxta Euthimium: *Vnctio patris, filii, & spiritus sancti.* Iuxta Hesichium: *Ineffabilis Dei descensus.* Iuxta Cosmam Hierosolomytanum.

[...eccles. Hie... rch. c. 4.]

[Lib. 3. c. 18. serm. 4. orat. seman. Lib. de fid. C. 22. Tract. 33 in Matt. l. 10. in præfat. l. 2. de spiritu sancto.]

V Sed sistite quæso, nam Latinos offenderemus, si de Christo loquentes solos Patres Græcos audiremus. Porro ante omnes prodeat Tertullianus: *Quid est Christus? Est caro portans Deum est fons divinarum suavitatum, & emanationum in nos.* Sequitur Hieronymus: *Est excellentia Dei Patris.* Accinit Gregorius: *Est Respublica omnium gratiarum, horoscopus sanctorum, amoris decalogus.* Accedit Anselmus: *Est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Bernardus: *Est effusio divinitatis, sanctæ spei seminarium, & summi amoris incentivum.* Rupertus: *Est ferculum divinitatis, psalterium, & cithara Dei patris.* Et vos adhuc parum dicitis, replicant patres Græci: *Homo iste ex hominibus ultra homines, supra hominem* Ita Dionysius: *Est tabernaculum Deitatis.* Sic Nissenus: *Est unio sublimium, & humilium.* Ita Procopius: *Est aspectus habens excellentiam divinitatis.* Ita Theophilactus. Latini insuper addunt. *Est disciplinæ arbiter & magister, illuminator, & deductor generis humani.* Ita Tertullianus. *Est armatura Dei, & sagitta Patris.* Ita Hieronymus: *Est paradisus terrestris Dei.* Ita Petrus Damiani.

[Apud Binet. de Christo in vita Moysis. Comment in Matt. comment. in levit.]

[Apud Binetum de Iesu c. 14.]

Quod si alios adducere vellem totum diem impenderem, nam necdum, quid de amabilitate Christi iudicent, expressit Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, & ex latinis Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Magnus Leo, Thomas Aquinas, Et hic revera meus stupor augetur, cum enim multo pauciora de Christo sint scripta, quam in se sit, capere non possum, quomodo mortales non ament hominem adeo divinum, Deum adeo humanum, paradysum deliriarum, armaturam debilitatum, solem in tenebris, rempublicam gratiarum, fontem consolationum, seminarium spei, restauratorem venustatum amissarum, arrham gloriæ, fortunam, & robur sanctorum, refugium, & tutelam pauperum, & peccatorum hostiam, victimam, sacerdotem, amicum fidelissimum, optimum socium, & magistrum oppignoratum, vulneratum, mortuum pro nobis. Deum omnis consolationis, nostræ carnis deificationem, omnis boni epitomen, & effusionem. Quod si ex infinitis perfectionibus Christi unicam, eamque minimam alicui infunderes, sane totum post se facinatum traheret mundum.

VI. Is, qui ejus solum polleret ingenio, cunctarum nationum foret oraculum, qui ejus haberet vultum, omnium amorum foret idolum. Quî ergo fieri possit, quod illæ qualitates amabilissimæ, ac in reliquis divisæ, adeoque imperfectæ, in Christo unitæ non amentur? Nec mihi respondeatis id provenire ab ignorantiâ, quâ mortales perfectiones divinas ignorant, nam esto concesserim, quod non omnes penetrarint, tot tamen, & quidem adeo attractivas cognoscunt, ut quò diutius id pondero, eò minus capiam, quomodo animi rationales aversari potuerint eum, in quo omnes perfectiones gratiosissimæ, & maximè attractivæ continentur. Quod Deum non amarint, quamdiu in se ipso mansit, nec per capillum miror. Tunc quippe non loquebatur quin mugiret tonando, non relucebat quin fulminaret. Nunc celabatur sub rubis, nunc sub nubibus, nunc sub fumo, nunc sub turbinibus.

Sed postquam in stabulo majestatem posuit, inter pastores agniculus comparvit, totus, est formosus, totus gratiosus & omnium oscula provocat, ita ut verissimè possit dicere. *Si non venissem, & locutus eis fuissem peccatum non haberent, nunc vero excusationem non habent.* Quamvis Christus non esset *Ioh 15.*
DEUS, sed purus homo, attamen *v. 22.*
quodlibet cor ei summè affici deberet, si non propter id quod est, saltem propter id quod videtur. Et revera adhuc minus capio, nunc quam ante, quomodo mortales non potuerint bene velle suo fratri tot virtutibus singularibus, singularitatibus adeo amabilibus, amabilitatibus adeo proficuis prædito.

Huc, huc adeste filii Adam, nam mansuetissimus meus Nazarenus vestris censuris expositus, vult omnibus iis satisfacere, qui de eo conqueruntur. Ille certissimus de

suâ

ſuâ innocentiâ clamat, & ego pro ipſo. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis eſt, quem Chriſtus parvi duxerit, læſerit damnificarit, tœdio, injuriis affecerit, aut exiguis beneficiis donarit? Magnates Chriſtum abominantur, & cur quæſo? Ille quippe eſt, qui tam exactè iis ſoluit tributa, qui ad nutum eorum decretis obedit.

Is eſt, qui eorum miniſtros ſummè reveretur. Quamvis fuerit Rex, non tamen hujus mundi; ne quempiam offenderet. Ad coronam invitatus fugit, ſolo ſerto ſpineo contentus, quod nemo ei invidit. Manſuefecit gentes, ut regibus eſſent magis ſubjectæ, & minus rebelles. Docuit eos politiam, quâ moriendo á regno temporali ad æternum tranſire poſſunt, adeo veneratus eſt proſapiam regalem, ut quamvis eſſet humillimus, tamen ex regali voluerit naſci ſanguine, ut ita ejusdem eſſet genii cum iis.

VII. Chriſtum non amant ſacerdotes, & pontifices. Sed cur quæſo? Ille quippè is eſt, qui quamtumvis peſſimos vult honorari, hinc Petrum in horto objurgavit, quod in Malcho ſervo Caiphæ, ſacerdotalem non veneraretur dignitatem. Illi tam gratæ ſunt eorum conſolationes, ut dum Dæmones audiret, in rabiem agi, eo quod illos Deos vocaret, Dæmones compeſcuit, ut ſibi gloriam, & ſacerdotibus invidiam tolleret. Chriſtum vilipendunt plebæi, ſed cur? Ille eſt, qui eos tam tenaciter amavit, ut ſine iis vivere non potuerit, eorum lavit pedes, eos ad dignitatem evexit cæleſtem, eos fratres Angelorum effecit, ille eos dedit mundo Magiſtros, ſuæ Eccleſiæ Principes, ſuis tribunalibus judices. Ille eos à retibus abſtractos collocavit in ſolio, à gabellis avocatos fecit theſaurarios, à ſcaphis piſcatoriis amotos capita Romæ conſtituit. Videte, an non hæc ſit res portentoſa?

Totus mundus adverſatur Chriſto, nec eſt ſexus conditio, ætas quæ in minimo Chriſto condoleat. Non mulieres, quæ jactant ſe eſſe reſtauratrices mundi, cum una earum ſit facta mater DEI. Non Infantes, quos tamen tam tenerè amavit, ut dicere fuerit ſolitus, *Sinite parvulos venire ad me.* Non *Marci 10. v. 14.* ſenes, quorum tamen curam adeo commendavit Adoleſcentibus, ut contra edicta Phariſæorum munera è templis abigeret, quæ alendis parentibus impendi debebant. An forſan Chriſto condoleant avari? Nequaquam, nec tamen expilavit eorum ſcriniola, cenſus ſubſtraxit, agros deſtruxit, ædes evertit, quin potius lacerâ contentus tunicâ ſine cenſu, prædiis, aliis linquens argentum, aurum, gemmas, purpuras, palatia, thermas, in viliſſimâ casâ morari voluit.

An

An forsan ambitiosi meritò eũ aversentur? Non, nam eorum titulos non usurpavit, eorum applausus non tulit, eorum jurisdictioni se non intrusit, eorum regna non invasit, quin potius humillimus, nulli voluit æquari, & ne eius prædicatio applausum raperet prædicationibus Joannis, à prædicatione destitit, nec pulpitum ascendit, nisi Joanne ab Herode capite minuto. Et summe miror, quod egeni Christum non ament, cum tamen ut animos aliorum ad succurrendum iis stimularet, centum promiserit ei, qui unum teruncium daret, ut visitanti infirmos, peregrinos sub tectum admittenti, famelicos pascenti, sitibundos potanti, afflictos consolanti, mortuos sepelienti largissimum addixerit præmium. Quod si tantâ nostri philautiâ ducamur, ut inter omnia bona non nisi bonum utile nobis quærere sciamus, valde demiror, quod Christum non amemus, cum tamen talis amor nobis utilissimus sit. Quod si eum nolimus diligere velut regem gloriæ, & collatorem gratiæ, ad minus eum amemus, quia reddere nobis potest sanitatem quam infirmi desideramus, felicitatem, quando miseri eam rogabimus, vitam quâ carebimus mortui. Dicite sodes, quo evanuit vestrum cerebrum? Infinitæ miseriæ in caput nostrum conspirarunt, præcipitia in terrâ, naufragia in mari, incendia ignis, pestes aeris, quî ergo fieri possit, ut eum aversemini, qui non rogatus nil aliud vobis soluit, quam affectus benevolentissimos, eum qui in omnibus vestrum vult esse antitodum, & in omnibus malis remedium. O prodigium nostræ stoliditatis, & quanto non stupore me defigis? Reperio Poetas finxisse quendam Phaonem, tam affabrè eformatum, ut Dii concertarint quisnam in eum plus contulisset. Tam fuit gratiosus, ut moribus suis omne cor rapuerit, & eum qui vel semel in illum obtutus fixerat libertate exueret, ne in alium oculos coniicere posset.

Ex Lucia & aliis.

VIII. Verum enim vero, quod si nulla unquam fuit in mundo forma, quæ componi posset formæ speciosi inter filios hominum, ita ut testante sanctâ Brigittâ desolati eius aspectu statim recrearentur, & Lentulus præses Romanus, qui eum cognovit scripserit omnes Charites gratiarum ita in eius genis micasse, ut visus apparuerit ille, qui erat. *Erat enim quiddam divinum in oculis IESV* inquit Hieronymus, imo *erat statua virtutis*, repetit Chrysostomus; & si Simeon, qui eum ulnis infantalum portavit, conspectum aliorum objectorum in vili postea habuit, si ipsi cæci Gentiles allecti à longinquis partibus dixerint: *Volumus Iesum videre*; Quomodò mortales si non adeo incomprehensibili bonitati, ad minus speciositati tam manifestæ potuerunt non se subiicere?

In Lib. r vel.
Ex ipso a Passion . 1. in M c.9 Hom Laud. P.
Iois 17. 2

Propter eloquentiam plures in mundo adorati sunt. Propter hanc Demosthenes fuit omnipotens Athenis, & Tullius Romæ, & plures alii tantum retulerunt applausum ab Auditoribus, ut fabula de Hercule Gallitio, qui catenis aureis ex eius ore prodeuntibus, populorum aures alligavit,

vit, & post se trahebat in historiam abierit. Sed qualis facundia possit componi cum facundiâ illius, quæ ex naturâ suâ est Verbum? Cui alteri unquam
nn.15. fuit in veritate dictum : *Et verba vitæ*
68. *æternæ habes, & diffusa est gratia in labiis*
l.44.v.3. *tuis : & rursus Favus distillans labia tua?*
nt. 4.
1.

Quid adhoc dicetis Auditores? Quod si per magnam satisfactionem, quam oculis dedit non rapuit corda hominum, ad minus per summam consolationem, quam auribus instillavit ei subjugari debuerunt. Fama sanctitatis adeo immensum aliquibus extorsit affectum, ut referente Theodoreto non solum diversæ nationes concurrerint ad columnam Stilitæ, sed & piaculi duceretur Romæ, si aliquis mercator, vel opifex imaginem tanti viri suæ officinæ custodem non præfecisset. Quomodo ergo sanctus sanctorum tot testimoniis Dæmonum sanctus proclamatus, tot claris cæli confessionibus canonizatus, tot evidentibus demonstrationibus virtutum, & miraculis sanctificatus ab omnibus relinquitur, ita ut merito eum quis de-
l. 68. beat lugere ? *Quæsivi qui simul mecum*
21. *contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inveni.*

IX. Et sane nonne hæc est res monstruosa? Christus nobis mortalibus adeo honorificus, & proficuus fuit, ut quamvis Deus sub gravissimis pœnis Vetuisset, ne eum amaremus, adhuc nihilominus ei non obedire non potuissemus, dũ nobis impossibile est odisse objectum, in quo omnia nostra bona continentur. Enim vero ubi ipse ante omnes nobis dedit exemplum, & præceptum, ut eum supra omnia amemus, an non est miraculum iniquitatis, quod eum amore non prosequamur? *O mendaces filij hominum in stateris.* Quælibet bonitas extra Christum vos trahit, captivat, & incantat, ea tamen quæ est in Christo, ac si esset pestifera vos abigit, & non allicit, vos pellit, & non trahit, vobis invisa est, & non grata; ego autem hunc effectum cuius causam non scio valde demiror. Psal. 68. v. 10.

Heus, hic compello vos, & dicite quæso, an formam Deus assumere debeat ut vestra corda rapiat? Ego in Christo quamcunque video amabilissimam quia ipse est : *Angelus faciei eius.* Isa. 63. Quod si eum velitis conspicere omnipotentem, en omnem suam potentiam Deus in ipso demonstravit, dum virginitatem coniuxit cum maternitate, æternitatem cum tempore, immensitatem cum loco dum ex aquis eduxit gratias ex pane carnem, ex vino sanguinem dum solo nutu maria tranquillavit, sine annonâ populos pavit, morbos contra omnes regulas sanavit, mortuos suscitavit, vitam emendavit, corda convertit.

Vultis eum in forma sapientis? En omnem in Christo contentam habetis. Quælibet eius actio est mysterium, quodlibet verbum oraculum, mediis nunquam prævisis fines obtinuit inopinatos, mortales in novam Hierarchiam distinxit, per ignominias conducit ad gloriam, per peccata ad gratiam, per contradictionem ad quietẽ. An forsan vultis vultum liberalitatis? Per eũ Deus suos thesauros elargitur, per eum distribuit lucem nocti, pacem tempestatibus, conscientiam publicanis, innocentiam meretricibus suos

ſudores, ſanguines, corpus, ſpiritum omnibus. *Angelus eſt faciem tuam Dei.* Mille induit formas ut amaretur, formam agnelli per manſuetudinem, quâ nos ſupportat, gallinæ per ſollicitudinem, quâ nos ſub alis tegit, paſtoris per vigilantiam, quâ nos contra lupos infernales defendit, nutritiis per affectionem, quâ nos per proprium ſanguinem lactat, patris per providentiam, quâ nos educat, ſponſi per ſuaviationes, quibus nos deſponſat, & tamen his omnibus ita ſe habentibus, mortales ei non afficiuntur. Quî ergo fiat Auditores, quod mecum in ſtuporem non rapiamini? Vos tot, & tantos legiſtis in hiſtoriis, qui nec minimum opus præſtiterunt mundo, quod præſtitit Chriſtus, & tamen ii in omnium amore fuerunt quantumvis mille imperfectionibus coinquinati. Pompeius dum conſulatum abdicaret, à Romanis inſtar Patris fuit adoratus.

Plutarch in pompeio.

Germanicus per ſuam ingenuitatem omnium animos adeo ſibi conciliavit, ut omnes eum ſequerentur, ita ut ferme non raro in oppreſſionis periculo fuerit. Titum ob ſuam clementiam fuit honoratus tanquam voluptas generis humani. Antonius Verus, quia totum ſe impendit bono communi hominum, animos adeo ſibi conciliavit, ut piaculi ducerent, ſi ejus imaginem non aſſervarent. Abſit ne ita Chriſto injurius ſim, ut eum talibus componam. Proficui quidem exiſtimati ſunt mundo, ſed tales non fuerunt, ex beneficiis apparentibus animos ſibi devinxerunt.

Sueton. & Ioſeph.

Cuſpinian, & Dio.

X. Aſt enim vero Chriſtus, ſine minimo proprio comodo, tam gratioſis mediis omnes ſuos ſudores, cruores, ſpiritus, attributa, talenta, merita impendit, ut temporalibus malis diminutis, æterna compararet, tenebras pelleret, clades reſtauraret, bella componeret, ita ut juxta Paulum: *Factus ſit nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & Redemptio*, & ſecundum Clementem Alexandrinum: *Et ut eſſemus, & ut bene eſſemus, cauſa fuit*, & tamen ac ſi nobis nihil egiſſet, nihil vel parũ ei afficimur. Chriſtum odio proſequimur, nec cauſam reperio, adeoq; obſtupeo. Ergone gratioſi in horrore ſint? Abominemur contentioſos. Et jam myſteriũ capio, cũ enim Chriſtus non ſe velit opponere noſtris moliminibus, oſtendere videtur quod nos parum curet.

1. Cor. 1. v. 30.

In exhort. ad gentes.

Aſt vero quod ille non ametur, qui felle potatus melliloquus eſt, qui exagitatus nullum laceſſivit, adeo gratioſus, obſequioſus, ego non capio, nam ut obſervavit Tertullianus. *Nullum volentem ſibi adhærere non ſuſcepit, nullius menſam, tectumve deſpexit.* Quod abominemur illos, qui cum noſtris inimicis fœdere coaluerunt, intelligo, quia *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.* Quod illi non afficiamur, qui nunquam ab hoſtibus noſtris ſtetit, nec pacem cum iis coluit, ſed mortem exarmavit, Dæmones vinxit, infernum obturavit, non capio. Quod ſuperbi, & elati ſint nobis inviſi, quantumvis alias præcellentes ſint, non miror, quia flamma denſum ſpirans fumũ, nunquam fuit grata. Sed quod ille inviſus nobis ſit, qui nec minimam in ullo verbo, vel facto præ ſe tulit jactantiam, qui præcedentiâ ſuâ miſsâ omnibus ſe poſtpoſuit, qui non rogatus gratias largitur, qui viliſſimis affabiliſſimus erat, & hiſce verbis alloquebatur: *Quid vis*

Lib. de p.

Lucæ. 11 v. 23.

ut fa-

ut faciam tibi? Fiat tibi sicut vis, petite, & accipietis: usq; modo non petistis quidquam, ego veniam, & curabo eum, quod ille inquam invisus sit, qui adeo invidiã horrens, ut ne solus referret applausum, nec solus auctoritatem haberet patrandi miracula, aliis majorem concessit: *Qui credit in me, opera quæ ego facio faciet, & majora horum faciet.* Quò diutius considero, eò magis admiror.

.14. v. 12.

O infelices Judæi, ponite illos lapides. Ergone unquam fieri possit, ut homo vobis, & toti mundo adeo proficuus, honorificus, admirabilis, amabilis, gratiosus, lapidetur? Video quod veritatem odio habeatis, nam quantumvis Deus civiliter vobis eam porrigat, eam tamen non admittitis. Sed quid loquor Judæis, qui me non audiunt? Vos Christianos merito criminor, qui postquam tot sæculis ejus suavissimos mores probastis, adhuc nil minus eum amatis. Dicam cum Arnobio: *O ingratum, & impium sæculum, o inprivatam pernitiem pectoris obstinatione pronum.* Ergone possibile sit, quod agnoscentes Christum vestrum Dominum, Patrem, Deum, eum qui in suis dogmatibus est irreprehensibilis, qui tot millenis sanctis se præbuit affabilem, quod eum agnoscentes lumen vestrorum oculorum, vitam vestrorum cordiũ, solutorem vestrorum debitorum, unicam spem vestrorum præmiorum, ita vivatis ac si ille non esset? Permittite ut concludam cum Bernardo: *Dignus plane est morte, qui tibi Christe recusat vivere.* Excommunicet vos sanctus Paulus, nam habet causam. Cum sitis convicti, quod Christus sit objectum amabilissimum totius mundi, & quod tamen alii magis ament pellicem, alii vindictam, hæc sint talia, quæ præ stupore me nõ elinguẽ reddant, cogite me quia sum contentus. Quo ad me fateor, quod tam vivua consideratio, verba in labris meis enecet, & lacrymas oculis excutiat.

de... . 1 contra ...entes. ...ca. 11. ...13. ...n Cant.

PARS SECUNDA.

XI. In comperto est Christum adeo esse amabilem, nec tamen amatur. causam inquisivi, nec eam hucusq; reperi, & ideo adhuc stupore defixus hæreo. Et quidem ex parte objecti nullam dari conclusissimum est, defectus provenit ex parte potentiæ. Multi considerant Christum, sed transeunter & obiter, & ideo eum non mirantur, nec eum redamant. Judæi eo die, quo ipsum cruci affixerunt, optimã habuerunt commoditatem illius amicitiæ sese insinuandi. Totus mundus eum proclamabat Deum, sol suos radios subducendo, terra sepulchra aperiendo, latro lucro acquisitus, centurio emptus, & tamen plusquam unquam eum risarunt. Vultisne causam scire? *Prætereuntes, & moventes capita sua blasphemabant.* En caussam cur eum non amarint, per transennam eum intuebantur, nec attentè considerabant. Mi dulcissime JEsu, si ego te velut fasciculum Myrrhæ semper manibus gestarem, extra dubium foret, quin te solum amarem, sed quia nunquam de te cogito, sicut es mihi remotissimus à mente, ita & à corde. Te amabant, tibi condolebant Maria, & Joannes, & causam scio: *Stabant juxta crucem*, nec transibant uti alii.

Matth. 27. v. 39.

Iois. 19. v. 25.

Audite aliam causam, cur mundus Christum non amet, quam in sancto Joanne inveni. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia ejus opera sunt.* Vbicunque reperitur Christus, ibi perstringit peccatorem. Hic aperit librum, & Christus in eo velut in speculo, sub oculos ejus ponit ejus fœditates, vadit ad concionem, & Christus in ea illum confundit, & diffringit. Vnde instar phrenetici, dum deberet odisse propria scelera, odit medium, qui eum vult curare. Sane nos curare non deberet. Audite Augustinum: *Quid enim tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam mineris ingentes miserias? Parvane est ipsa miseria, si non amem te?* Non profecto, nam sine salvatore nemo salutem speret. Ego fugio à te meum bonum, & tu me insequeris, ut redeam, *Et vix audivi propter tumultum meorum peccatorum.* Adeo amo meam perditionem, ut nullum affectum erga meam salutem habeam. Bonum est Christo, quod non possit affligi, nam valde torqueretur etiam hodie, dũ videret, se tam vili æstimari.

Ioan. 7. v. 7.

in Confes.

XII. Porro ut hoc appareat esse verum narrat Cantripatensis Christum in Belgio totum desolatum, & plangentem apparvisse alicui Religioso Cistercienfi in formâ Pueruli, & hujus luctus caussam interrogatum respondisse. *Heu me, heu me, quare non fleam? Ecce* videns quod *egens sum, solus, & in frigore sedeo & non est qui colligat me, & hospitium præstet.* Nos in affectibus nostris erga Deum congelati sumus, qui est ignis, & cum eo gerimus bellum. Vbi nunc sunt Pauli, qui dicunt: *Mihi vivere Christus est?* Vbi Ignatii, qui clamant: Omnia tormenta Diaboli in me veniant, dumodo Christo fruar? Vbi illa Virgo, quæ cum interrogata fuisset à Puerulo Jesu, num se amaret, plusquam cor respondit: Dicat hoc ipsumet cor, quo dicto disruptum est, & illa expiravit? Revera non cogitamus de Christo, ac si pro nobis mortuus non fuisset. Et quamvis hac ingratitudo reliquo anni tempore tolerari posset, his tamen sacris diebus permitti non potest. Gentiles teste Augustino depingebant Iovem cum uberibus. Sed & juxta Hebræos DEUS Pater ubera habet, ideo eum vocant: *Saddai hoc est mammeum.* Quod si hoc nesciatis, ediscite id à Clemente Alexandrino dicente: *Christus mamilla est Dei Patris.* Id etiam confirmat sancta Agnes asserens: *Mel & lac ex ejus ore suscepi.* Sane, errares; si consolationes Dei alibi quæreres, quam inter passiones Christi. Suaretz censet esse probabile, nec ego de hoc dubitem, quod Deus nullum præstet mortalibus beneficium, nisi per Christum, tanquam instrumentum. Pellite errorem, loquor cum mellifluo; *Nam incassum laborat in acquisitione virtutum, qui eas alibi, quam in Christo quærit.* Non vos terreant ejus dolores, & afflictiones, quia si ad eum accedetis dicetis: *Quam mihi decorus es Domine mi in ipsa tui hujus positione decorus.* Interim non putetis vos amare Christum, quamdiu peccatum instar Antichristi non abominamini.

Lib. 1. apum C. 1.

Nierenberg de amore Iesu cap. 8. 8.

Lib. 4. de Civi. c.

Pædagogi c. 6.

Serm. 22 Cant.

CON-

CONCIO XXIX.

PRO DIE LVNAE PASSIONIS.

Quæretis me, & non invenietis. Ioan. 7.

Monstruosa insensibilitas eorum, qui parum curant, quod perdant DEUM.

I. NUnquam lego in libris Theodoreti, aut aliis Ecclesiasticis historiis innocentes crudelitates eorum, qui dum in nullo alio tribunali, quam conscientiæ, condemnati sunt rei, quò obligatiores erga divinam misericordiam, eo magis intenti ad divinam placandam justitiam, sufferendo infernum temporalem, æternum evadere studuerunt; dumque nil aliud hominis retinuerunt, quam quod recordarentur se esse lapsos, in se acrius sævierunt, quam contra Ægyptum Busirides, contra Agrigentum Phalarides, Tyrrhenos Mezentius, Syracusanos Dionysius. Facti sunt venatores poenarum in Silvis Arabiæ, aquæductus lacrymarum in eremis Libyæ, animæ ignis in nivibus Scythiæ, Salamandræ gelu in flammis Æthyopiæ, ita ut in persecutione, quam animus movit corpori, adhoc ut melius confiterentur Deum, & se ipsos abnegarent, novo genere martyrii cælum expugnarint. Nunquam inquam incido in illos horrendos modos, quibus poenitentes Eremicolæ minimam culpam extremis suppliciis expiarunt, quin tantis excessibus consternatus gemens exclamen. Siccine ergo ô cælum tam carò constas iis, qui te volunt? Ergone mi Deus tam formidandus es iis, qui te cominus conspiciunt? Profectò mi homo potentissima est in te gratia, dum opprimere potest tuam naturam.

Vos Græci amoenissimo donati fuistis ingenio, & tamen poenas non intellixistis, dum tormenta quæ finxistis dari in inferno, non sunt componenda iis quibus in se sævierunt Eremitæ. Æacus, Rhadamantus, Minoes non adeo in aliis sævierunt, quam in se ipsis Onuphrui, Hilariones, Arsenii. Me Herculè tormenta nostrarum historiarum valde abeunt à vestris figmentis. Ego Prometheo, quem ablegastis ad Caucasum millenos opponam, qui catenis propositi insolubilis, ad scopulum quendam alligatio generositatem propriam, pinguiore quaslibet aqualâ alverunt cũ damno proprii cordis. Quid sit diuturna inedia Tantali respectu rigorosæ abstinentiæ, vel Eusebii,

ſebii, qui ad tantam macilentiam fuit redactus, ut zonâ, quæ erat balteum quod milites monaſtici geſtare ſolebant, ſeſe amplius præcingere non poſſet, Aut Sabini, qui nil guſtavit præter panem bis coctum, farinam madefactam, quamque non ſumebat niſi per menſem in aqua acida facta fuiſſet, ita ut virtutem attraxerit potius affligendi ſenſus, quam ſtomachum paſcendi, vel Juliani, qui in qualitate ciborum ſeſe tractabat ut beſtia, in quantitate inſtar avis veſcebatur hordeo, & avenâ, & hoc ſemel in ſeptimana, ita ut nil aliud guſtaret.

Enceladi quidem Ætna exiguum fuit pondus, ſed minus onus fuerunt Euſebio ducenta quinquaginta pondo chalybis, quibus per plures annos levitatem, & laſciviam compreſſit. Exigua fuit poena Belidi portatio aquæ. Parvus eſt labor Siſyphi, quod ſemper voluat ſuum ſaxum, ſed magnus fuit labor Pachomio, quod ſemper intermiſſis operibus laboraret. Magnus ei fuit labor, quod lingua concineret pſalmos, manus texerent, anima contemplaretur, oculi legerent. An forſan rota Ixionis æquivaleat Thaleo, qui dum ſe centrum mille punctcurarum per horrendos aculeos ferrorum conſtitueret ſomnum arcebat, Non credo quod vultur acutioribus morſibus petierit cor Titii, quam experta fuerit Maria Ægyptiaca aut Thais à dolore habito. Virgæ Megeræ, & Alectonis non ſunt comparandæ diſciplinis & flagris contritæ Pelagiæ, quibus membris aliis ſanguinem elicuit, ut ita oculos lacrymantes imitarentur.

Quid ſint carceres Tulliani Romæ, aut Latimii Syracuſis ſi comparentur carceri, ad quem per annos ſexaginta neminem videns, â nemine viſus ſe condemnavit Acepſema, aut alteri carceri in quo adeo anguſto, ut in eo nec erectus ſtare, nec ſe extendere poſſet delitvit plurimis annis Martianus? O bone DEUS qualia non legimus de hominibus nobis ſimilibus? De Zenone, qui ut à mortuis artem bene vivendi diſceret ſepulchrum pro manſione elegit, de Piore perfecto Stoico in Academiâ Chriſti, qui poſtquam reperiit, aquam amariſſimam, nullam aliam guſtavit, de Macedonio Gymnoſophiſta Evangelico, qui ut ſemper cælũ contueretur per quinquaginta, & quinque annos in quadam foſsâ ſub Iove ſepultus jacuit, de Euſebio, qui exiguam diſtractionem dum ſcriptura legeretur expiavit curſtuitate viginti annorum, ita ut nec caput erexerit, de Baradate, qui velut theſaurum aſſervandum à DEO ſe in quadam arcâ recondidit, & in ea omnes injurias ventorum, grandium, pluviarum, de Simeone Stylita, qui erigens columnam patientiæ humanæ non plus ultra quadraginta cubitis altam, per totidem annos in eà continuo perſtitit.

Verum enim vero Auditores mei aliquid ſtuporis ſervate alteri objecto quod vobis proponam, nam ſi vos ſtupeatis

stupeatis ob poenitentiam adeo austeram justorum, ego præ stupore deficio videns Securitatem tam stolidam peccatorum. Quod si vos admiremini, quod homines fuerint, adeo in se desævientes, ego demiror, quod omnes non simus tales, quod si animus vos linquat, dum animas videtis sanctas post tantas arrhas, & pignora æternæ beatitudinis plangere ego potius deficio, dnm video eos ridere, qui ob tot scelera æternis flammis sunt addicti.

Audite peccatores insignia miracula, quæ DEUS & non vos operatur. Admiremini vos ipsos, qui postquam mortali culpâ occisi estis, adhuc animum habetis, ut vivatis, facetias ut jocemini: bacchanalia, ut vos recreetis, oculos quos somno claudatis, labra quæ discursibus aperiatis. Ego vobis hodie denuntio, quod vestra pax magis miranda sit, quam bellâ quæ sibi intulerunt omnes sancti. Dum enim amisistis Deum per peccatum id tamen in vili habetis, & nil hoc curatis, quamvis audiatis quod vobis sit futurum difficile, si non impossibile, ut eum denuo reperiatis. *Quæretis me, & non invenietis.*

Angele scholarum Thoma, qui DEI, & mysteriorum magis sublimium notitiam adeo perfectam assecutus es, & sæpius protestatus, fuisti, quod capere non potueris, quomodo homo sensatus, convictus ad credendum doctrinis Christi, à propriâ conscientia proclamatus hostis DEI possit gustare cibum, oblectamentis se recreare, somnum capere. Nunc est tempus, ut tuos conceptus in meum intellectum transfundas, & vires addas, ut ostendam magnas caussas, ob quas peccato mortali obstrictus sese cruciet, nisi factus sit insensibilis, & ut adjuvando aggressionem, quæ te agnoscit auctorem, ita me ducas ut meus discursus quanto est futurus minus gratus audientibus, tanto utilior evadat intelligentibus.

PARS PRIMA.

II. Infelix ille Rex Henricus, qui Angliam iam situ divisam â reliquis mundi partibus, etiam publicus latro factus eandem ab ecclesiâ divisit, cujus quondam fuerat defensor, tanquam modernus Sardanapalus finivit, & epilogum egit, tragœdiarum bellissimorum Principum, qui supra coronam gestarunt crucem; dum venisset ad occasum suorum ultimorum dierum, manu scyphum apprehendens cum eodem bibiturus iram DEI, advocans jam fugientem animam ad linguam, conversus ad suos proceres ultimum iis valè dixit: Inquiens: *Amici omnia perdidimus.* Siccine Epicuree sensate, ut flammis sacrificium offerres, adhuc bibere voluisti? An non jam in comperto habebas, quod mundo toti innotuerat, te nempe per bestiale caput omnia lusisse, famam, & nomen quia minimũ, quod de te spargebatur erat, quod repudii libellũ dederis sanctæ, ut nuberes pellici infami, imo forsan tuæ filiæ, affectionem subditorum, qui mille modis à te malè habiti; Deo se rebelles credebant si tibi obedientiam præstarent: Aurum & argentum quia quantum altaribus subtraxisti, tantum quotidie impostor in monetis falsificasti.

Sanderus de schism angl.

Quan-

Quandoquidem te ipsum perdidisti, quid tibi remansit? Non eris amplius Henricus, qui æquali laude Sceptrum, & calamum ducens, excellentius, & eruditius, quam ullus regnum duxerit, applausum totius Europæ tulit. Vt veritatem fatear, solum nomen retines. Spiritus tuus migravit in carnem, tu transformatus es in Bachum, & quò immensior fuisti mole, eò fuisti ineptior ad motum. Porro pro eo quod majestate in subditis excitares reverentiam, morum tuorum insolentiâ iis indidisti dissolutionem. Non regis, sed nec hominis habuisti formam. Et ut dicam quod res est filium te exhibuisti prodigum omnia absumentem: *Omnia perdidimus.*

Ast enim vero peccatores, quæso vos illam condolentiam vobis servate, quâ condoletis Henrico; nam si rem bene capitis ejus miseriæ vestræ sunt, & quotiescunque mortaliter peccatis etiam dicere potestis: *Omnia perdidimus. Perdidimus* capitale gratiæ, pignus gloriæ, decorem animæ, pacem conscientia. *Perdidimus* veram formam hominum, nobilem fraternitatem Angelorum, gloriosam filiationem Dei. *Perdidimus* nos ipsos, & quod pejus est eum, qui nobis pupillis erat tutor, nobis proscriptis patria, nobis peregrinis dux, sublevatorem nostrorum onerum, exactorem nostrorum debitorum, nostrarum egestatum provisorem, contra nostros inimicos defensorem, contra dolores efficacissimam medicinam, contra adversarios advocatum eloquentem, contra tempestates nauclerum, contra morbos medicum, contra ignorantias magistrum. *Omnia predidimus.*

III. O maledictum peccatum, tu negatio, & privatio pessima es. Quidquid aggrederis annihilas. Quilibet videt te summum esse malum, cum tecum nullum bonum compatiaris. Veh animæ, quæ tibi locum cedit, nam ejus fronti inscribi potest quod: *Egressus est à filia Sion omnis decor ejus.* Et quidē ô Auditores mei, nolo quod ponderetis gravitatem cujuscunq; amissionis. Ego vos proclamo omnes annihilatos, & faxit Deus, ut cognoscatis quid sit peccatum. Vtinam, utinam hic adessetis animæ peccatrices, qui manducatis peccata, & ea bibitis velut aquam. Hic optarem vos adesse, qui prævenitis Diabolū antequā ab eo tentemini, & omnē legē conculcantes pro interjectionib⁹ habetis periuria, pro oblectamentis murmurationes, pro amœnitatibus lascivias, pro generositate vindictas. Hic optarē vos adesse, ut examinarem vos quid ageretis peccando. Thren. 1

Supponamus per peccatum non claudi paradysum, aperiri infernum, insignem consonantiam animi turbari, bonam dispositionem corporis tolli, lumen intellectus nō obscurari, partus voluntatis non suffocari, si solum dicatur, quod peccaverim, Dei gratiā amiserim, & sim certus, quod sit meus hostis; nonne hoc objectū sufficiens est, ut mihi arrigat capillos, spiritus stupefaciat, affectus induret? Ergone ille Deus sit meus hostis, cujus terrā calco, cujus aerem haurio, cujus aquā bibo, cujus igne calefio, meum principium, finis, hereditas, merces, procurator, judex, corrector, pater?

IV. Ille

IV. Ille, inquam, qui nullas habet passiones, quæ eum irritent, nullum nævum, qui eum maculet, æternum sine tempore, quod eum determinet, infinitum sine loco, qui eum circumscribat? Ergone hic sit meus hostis? Ergone ille Deus, cujus sunt cæli, qui tam velociter currunt pro meo bono, cujus sunt Angeli, qui adeò sunt prompti, ut meas supplicas porrigant, cujus sunt illa elementa, quæ adeò contraria servant pacem, cujus sunt illa animalia, quæ mei gratiâ incolunt silvas, sit meus inimicus? Siccine ille Deus, cujus cognitio est mea vita, cujus participatio mea gratia, cujus conjunctio mea gloria, cujus vita caret afflictionibus, cuius gratia est dives meritis, cuius gloria est cornucopia præmiorum, cuius vita me conservans mortem semper arcet, cuius gratia mihi assistens spem addit, cuius gloria me absorbens sublevat ad gaudia, ille sit meus inimicus?

Siccine ille Deus, quo non existente, ego non essem, quo mihi favente, nulla foret vis, quæ me deiiceret, nulla infamia, quæ me confunderet, nulla penuria, quæ me affligeret, nulla tempestas, quæ me mergeret, à quo in omni perplexitate haberem consilium, in morbis remedium, in paupertate alimentum, in persecutionibus auxilium; ille, contra cuius protectionem nulla aliquid valet calumnia æmuli ad accusandum, nulla severitas iudicis ad condemnandum, nulla austeritas Principis ad opprimendum, nullus astus inferni ad destruendum, is inquam, sit mihi hostis? Itane ille Deus, qui, dum me vult mori, nil est, quod me liberet, qui, dum vult me extorrem, nil est, quod me admittat, dum me vult Famâ exutum, nil est, quod illam restituat, qui dum me vult perditum, nil est, quod me conservet, ille inquam, contra quem nil potest subtilitas ingenii ad prævenienda pericula, nulla securitas ad effugienda adversa, nulla vafrities ad evadenda supplicia; ille, cuius iurisdictioni nullum potest me subducere tempus, cum semper duret, à quo nullus me potest eximere locus, cum in omnibus sit præsens, contra quem nullum me potest defendere medium, cum omnia habeat, à quo nullum me potest meritum propugnare, cum omnia supergrediatur, ille inquam, sit meus inimicus?

Valete prædia, valete negotia, valete studia, valete proles, valete omnia mea, Deo amisso omnia perdidi. Dum eum mihi adversum habeo, qui agris meis est Flora, Pomona, Ceres, quas ego messes ex iis possim sperare? Si ille meus sit hostis, cuius sunt stellæ, quæ semina producunt, ros, qui germina lactat, pluviæ, quæ prata irrigant, auræ serenæ, quæ messem ad maturitatem producunt, an aliquid exspectare queam? Si Deus maris non sit mihi propitius, quomodo meæ naves possint securè maria sulcare? Quilibet ventus iis fluctus concitabit, quodlibet promontorium erit iis Pelorus, aut Mallea, in qualibet ora reperiet Scyllas, & Charybdes, in quolibet portu inveniet Orcades, & Sympleiades. Si illum habeam inimicum, qui solus potest mihi dare subtilitatem ad penetrandum, capacitatem ad comprehendendum, iudicium ad examinandum, sagacitatem ad deducendum, quem successum mea studia possint sperare? Sine eo nulla

ſunt ſtudia humaniora, quæ me reddant eruditum, nulla Rhetorica, quæ facundum, nulla Philoſophia, quæ ingenium acuat, Jurisprudentia, quæ affectus componat.

V. Quomodo mihi poſſim promittere filios ſi is mihi ſit contrarius, à quo debent impetrari, quod naſcantur, nutriantur, creſcant, matureſcant, vivant, qui iis dat proportionem corporis, ne ſint monſtra, agilitatem membris, ut dextrè moveantur, vigorem ſpiritibus, ut ſint ingenioſi, & induſtrii, ſine quo ſtupefacti non ſe poſſunt regere, feroces non ſe ſinunt domari, aut indocibiles, ut nullam poſſint admittere culturam, diſcolos, ut nullam poſſint imbibere morum integritatem. Deinceps nullam amplius ſpero ſanitatem, dum is mihi hoſtis eſt, qui ſolus poteſt purgare aerem, qui me ferculis optimè diſtentum circumdat, qui qualitates mihi contrarias attemperat, qui omnes hoſtes mihi adverſos componit.

Verbo, qui velut alter Cain, fugiens à facie Dei, certò ſcio id de me verificari: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Poſt illam fugam notatus ſum in libro divinæ juſtitiæ, & carbone atro tinctus, adeoque omnes creaturæ, ut ejus gratiam acquirant, qui mihi infenſus eſt, adverſus me conſpirant, & audio eas dicentes: *Qui quærunt animam meam, conſilium fecerunt, in unum dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat* Non eſt neceſſe, mi Deus, ut gladium ſtringas, quo me transfodias, fulmina manibus ejaculeris, ut me transfigas; nam ſufficit, quod meus hoſtis ſis, quippe eo ipſo nullæ vindictæ deerunt. Et ſanè omnes creaturæ, poſtquam ab Adamo fuerunt offenſæ, gemunt, & dolent, quod mihi parcas, ſed quamprimum ſciverint te meum eſſe hoſtem, & te meam protectionem abjeciſſe, jam actutum omnem militem conſcribunt in mei perniciem, Sol, & ſtellæ fulmina evibrabunt, ut me annihilent, terra me non amplius tolerabit, aer turbinibus ſuis me involvet, mare ſuis fluctibus me hauriet, & nihil eſt, quod non meis auribus inſonet: *Deus dereliquit eum, perſequimini, quia non eſt, qui eripiat.* Tune, peccator, intelligis, quid dicam? Capiſne, quid Deus tibi poſſit nocere, dum te non defendit? Et quidem ego credo, quod id non capias, uti clarè video. Adſis huc, ego te in theatrum ducam, in quo id clarè videbis.

Gen. 4. v. 15.

Pſ. 70. v. 11.

VI. Quando Deus elegit populum, in quo volebat, neſcio, an magis exercere ſuam patientiam, eum ſufferendo, quam beneficentiam oſtendere, illi benefaciendo, levi brachio ſtatim veſtræ memoriæ occurret, quod eo ipſo quo declaratus fuit ex Abrahamo deſcendere, omnes creaturæ certarint, quomodo gratificaturæ genio Dei noſtri, illi magis ſuccurrerent. Omnes cæli, tanquam omnium creaturarum præſtantiores, iis omnem obedientiam jurarunt, nunc fixi ſtiterunt Solem, nunc eum ad aliquot gradus repulerunt; manna pluerunt tanquam rorem, coturnices tanquam pluviam, noctu fuerunt ei inſtar facis, de die vices ei præbuerunt Solis.

Ignes Prophetis fuere triumphalis currus, & puerorum Prophetarum innocentiam

centiam

centiam contestaturi, lumen suum dederunt. Mare nunc fuit iis fossa liquida, nunc vallum validum. Animalia eorum egerunt advocatos, lapides iis condolentes luxerunt, ex gutture leonum elicuerunt mel quo pascebantur, ex mandibula asinorum fontes, ut sitim restaurarent. Eorum ministelli potuerunt gigantes consternare, ancillæ profligare exercitus. In eorum bonum ferrum amisit suum pondus, flumina liquiditatem, corvus suam voracitatem. Aquæ nunc induerunt colorem sangvineum, nunc amaror transivit in dulcedinem.

VII. Muscæ sese in eorum defensionem accinxerunt, culices suos aculeos, leænæ, & crabrones suos morsus in eorum propugnationem acuendo. Mandarunt virgæ in DEI caussa, nec aliquid fuit subtus Cælum, terram, mare, quod iis non pensitaverit tributum. Ast eheu! tu mi popule electe, ad quosnam fines es redactus? Quis tibi virgam, & sceptrum ademit? Quis Deum tibi abstulit? Dic amabò, Dominator omnium creaturarum, quis te omnium fecit mancipium, quid sibi id denotat, quod nullus in te sit amplius Propheta? Ergone illi quatuor errones, qui suo fœtore inficiunt mundum, suâ avaritiâ mundum inquierant, suis spurcitiis eum maculant, qui omni carent civilitate, comitate, doctrina, sed sunt conditione viles, moribus agrestes, vagabundi, instar leporum meticulosi, mercinarii Principum, qui eos tolerant, beneficis ingrati, sceptro, jurisdictione, politia, robore sint destituti? Ergone illi elati Rabbini, posteri Sãsonis adeò potentis, Davidis omnium devictoris, Salomonis omnia scientis, ad eas sint miserias redacti? Profectò magnæ sunt hæ metamorphoses. Quis harum fuit caussa? An eam scitis? Nihil aliud, quam illud Christi: *Ego vado.*

O magnam rem! Nunquam iis est minitatus tenebras Ægyptias, pluvias Sodomitarum, non eos voluit hiatu terræ haurire, aut fulminibus icere. Quid dicitis? An fuit illis mansvetus, quos proscribebat? Nonne maximâ pœnâ eos involvebat: *Ego vado, quæretis me, & non invenietis?* Quod si interrogemus Chrysostomum, is dicet decem mille infernos, non potuisse iis pejora minitari: *Decem millia quis ponat gehennas, nil tale dicet.* Porro ea, quæ Christus iis minitatus est, executioni fuerunt mandata anno primo Vespasiani, in festo Scenopegiæ; nam Deus in Templo, discessionem cogitans, Angelos revocavit hisce verbis formidandis: *Surgite, migremus hinc.* Hæc potuerunt audire, sed non effugere.

Hom. 23. in Matth.

Ex Josepho & Ægisippo.

VIII. Deus per unam portam exivit, & infernus totus per aliam intravit. In locum Tisiphonis successit Megera, Alecto unius in locum, Joannis Zelatoris, & Eleazari, Simonis Sicarii, qui, dum in hostes irent, mille adversitates in fratres derivarunt, dum essent inter se discordes. Et in hoc solum concordes fuerunt, ut facerent Sacerdotes victimas suorum furorum, virgines oblectamentum lasciviarum, plateas theatra crudelitatum, homines privarent fide, quâ obligarentur, lege, quâ constringerentur, compassione, quâ moverentur, quâ redderentur marmora ipsis lapidibus, quos calcabant, duriores, &

magis ferreos ferro illo, quod minabant, infensiores erga civitatem iis ipsis, qui eam obsidebant, qui, ubi non poterant prædam agere, conspirabant in neces, flammis omnia vastabant, quę fames non fuerat depopulata, animas perdebant, ubi corporibus erant abusi.

VIII. Consolamini Pantheræ Æthyopiæ, leones Tartariæ, tigrides Armeniæ; nam ubi voluero describere monstrum crudele, tacebo de vobis, & loquar de istis. An tu Græcia, unquam somniasti tales tragœdias? An vos cæli unquam spectastis tales miserias? An tu terra unquam sustinuisti talia pondera? Exhauriamus probaticam Siloe aquis, & eam impleamus sangvine. Mons olivarum vertatur in montem Calvariæ, ut habeamus ligna crucibus parandis.

Obstupuit Sion, dum struem mortuorum altiorem vidit suo cacumine. Fames atroces, quas legimus in historiis, sunt delitiæ, si comparentur inedię, quam passi sunt Judæi. Voluptas est fames Spartanorum, qui comederunt serpentes, Casilinorum, qui mures, Atheniensium, qui roserunt corium, Hunnorum, qui devorarunt canes. Ipsamet fabula Erisichthonis illis diebus in Veritatem transiit, & cœnæ Thyestis, Lycaonis, Tantali ipsis ordinariæ fuère. Qui potuit vesci filio, habuit invidentes, non punientes. Quæ ibi non sunt violatæ leges, dum nec lex naturæ servata est? Victimis defuerunt sacrificia, sacerdotes obmutescentes tacuerunt, boves generarunt oves, ostia ex cardinibus exsilierunt, soli homines sine animo deiecti, sine consilio prostrati inconsiderati ad omnia, præterquam ad delirandum, muti in omnibus, præterquam ad blasphemias, immobiles in omnibus, præterquam ad furias, si poscebant panem, dabatur sangvis, si potum, dabantur lacrymæ, si quietem, eam obtinebant morte. Miselli pueri, qui à parentibus pro torquibus habuerunt laqueos, patres infelices, qui fuerunt fecundi, ut nutrirent flammas, filii miseri, qui fuerunt educati pro furca. O bone Deus, quis fuit sensus, qui non habuit suum proprium tormentum? Quos habuerunt suffitus narices? Olentiam sanorum famelicorum, infirmos ulceribus scatentes, mortuos tumulo carentes. Quænam fuit musica auribus? Præter lamenta horrenda, quæ ubique reboabant, continuò fundæ fremebant, currus horrendè stridebant, tympana crudeliter insonabant, tubæ horrendũ tonabant, oppressi lugebant, derelicti suspirabant, orphani singultiebant, moribundi gemebant.

IX. Quinam aspectus oculorum? In Cælo videbatur gladius igneus, qui per annum integrum ardebat, extra mœnia funestum theatrum, in quo chariores, & quidem quotidie quingenti in crucem agebantur. In civitate non videbantur, nisi confusiones, homicidia, stupra, ardere ignes, metalla liquefieri, muri deiici, Magistratum pessundari, cives opprimi, hic unus transfigebatur, illic alter pelle exuebatur, hic unus discerpebatur, ibi alter comburebatur, nemo compatiebatur, & omnes cruciabant, & nullo relicto herede animam diabolo, corpus corvis linquebant.

Misera

Misera Sion, non permittebant, quod tuas miserias effugeres. Circumquaque cingebaris densa sepe gladiorum, quos in te evibrabant Idumæi, Ægyptii, Romani. Supra te consistebant phalanges cælestes, & exercitus volantes, horridis armati flammis, sola via ad infernum tibi non erat clausa, omnes reliquæ stationes iam occupatæ erant. Eheu, quæ non enormitates, crudelitates, rapinæ, oppressiones, violentiæ, iniuriæ, macella, carnificinæ illis diebus non prodibant in scenam? Nulla amplius erat Pietas; nam ipsæmet matres contra proles erant crudeles. Nulla amplius restabat Misericordia, quia ipsæmet olivæ Misericordiæ symbola furcæ vices subibant, nullus erat, qui abusus tolleret; nam nemo fuit, qui eos nō augeret, nemo erat, qui supplicia arceret, quia omnes Dei amici, ab eo moniti, nec in minimo pro iis orarunt. Et quale oro, elementum iis non fuit adversum?

X. Aqua corrupta est, ne eorum sitim extingveret, terra fructibus privata, ne eorum famem sedaret, aer fuit infectus, ne eorum vitam nutriret, ignis exarsit, ut mortem iis acceleraret. Venti, ne movendo aerem eos iuvarent, non sufflarunt, stellæ ne eos lætificarent, non splenduerunt, eorum fumus sustulit Solem, eorum statio miserias auxit. Quæ domus non fuit deserta? Quæ platea non fuit cruore tincta? Quæ auctoritas non fuit contempta? Quæ nobilitas non mendicavit? Quot matronæ sibi non præciderunt cincinnos, ut struerent laqueos, non ut aliorum corda raperent, sed ut propria præfocarent? Quot non ventrem sibi ferro aperuerunt, dum amplius cibo non potuerunt saturari? Quot non adsciscentes mortem, quam fugiebant, Fortunæ duxerunt invenire præcipitia, ex quibus se præcipitarent, venena, quibus se occiderent, cultrum, quo se transfigerent, fossam, intra quam se sepelirent?

Titus quidem, ne Templum incenderetur, poterat adhibere minas, & industrias; attamen flammis correptum fuit, nescitur cuius interventu, poterat Clementiam velle exercere erga eos, qui fame adacti eum fugiebant, attamen experiebantur tandem eam pietatem fuisse crudelem; nam ipsimet cibi iis mortem inferebant. Potuit iurare, quod ipse non esset auctor tantæ cladis, cum clarum sit potentiam Imperatoris non pertingere usque ad *Migremus Dei*, *& ego vado Christi*, qui hæc omnia fecerunt.

Misera Sion, ultimam passa es ruinam, cecidisti, ne amplius resurgeres, solum, quia Deus, qui à te recessit, tibi manum non porrexit, quia, si tecum mansisset, punivisset Titum, uti Sennacherib, & effecisset, ut inimicos tuos sors tua involuisset, sal fuisset satum in solo, quod magis fuisset insipidum, quam tuum, ubi tamen iam una nocte occubuerunt duo millia, & uno die occisi sunt nonaginta mille, & extra unam portam sepulta centum, & quindecim millia, nonaginta, & plura millia sunt vendita, & quidem triginta viri pro solido. Si numerem illos qui igne, ferro, fame, veneno, præcipitio perierunt, habebimus millionem, & centum mille.

XI. *Me ergo non timebitis ait Dominus?*

ximus? Ergone me non timeatis, qui, postquam à vobis discessero, non habebitis cibum, qui vos pascat, propugnacula, quæ vos muniant, stellæ, quæ vos illustrent, elementum, quod vobis serviat? Ergone me non timeatis, sine quo muri cadent, ut vos hostium prædam faciant, sine quo discordiæ suscitabuntur, ut fratres discordes faciant, sine quo flammæ exardescent, ut vobis omne effugium interdicant, sine quo creaturæ conspirabunt, ut vos omni delectatione privent.

Profectò estis valde improvidi, qui, ut habeatis amicitiā alterius cuiuscunque, meam spernitis; sciatis, quod ego, qui possum maiori ratione illud Græci Biantis dicere: *Omnia bona mea mecum porto*; Sicut omnia bona vobis darem, si essem vobiscum, ita, si discedā, omnia mecum absportabo. Quod si, Auditores mei, hæc sit infallibilis veritas, quomodo ita vivimus? Hæc veritas quò asseverantius prædicatur, eò minus practicatur. Ergo vel semel capiamus, quod Deus maxima possit inferre damna, nec credamus esse exiguum, quod nobis imminet, si peccemus.

Laert. in eius vita.

PARS SECUNDA.

XII. Utinam non orsus fuissem discursum, qui dum penetratur, à subtili ingenio me audientium, potest oculis elicere omnes lacrymas, quas servavimus plurimis occasionibus huius ævi. Misera Christianitas, quomodo tua spes possit subsistere, cum mortua sit Charitas, & Fides adeò sit infirma? Siccine apud nos sint illi, qui quotidie in plateis nostris nomen Dei blasphemant, & pedibus conculcant, & tamen adhuc rideant? Ergone sint inter nos aliqui, qui instar Epicureorum collo tenus luto sensuum immersi hæreant, & adhuc suis facetiis conversationes delectent? Siccine inter nos sint ii, qui dum pascuntur damnis aliorum, ita, ut nec famam, nec vitam habeant, nisi, quando furantur, & adhuc tamen semper rideant, iocentur, cantent? Quod tales iisque similes, qui tam audacter offendant Deum, non sint Athei, qui Deum dari non credunt, aut si hoc credant, nihilominus stultè existiment eum non sentire iniurias sibi illatas, contra quos scripsit Lactantius in libro de ira Dei, sed sint gens sensata; quæ profitetur vitam debere profundi pro defensione huius veritatis, nempe quod ille, qui peccat, se Dei hostem declaret, non solum, quia id dixit Chrysostomus: *Peccata separant à nobis Deum, constituuntque nobis illum inimicum*; Sed & quia Scriptura id passim deprædicat, in Exodo signanter, ubi Deus dixit ad Moysen: *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Et tamē quod illa nil minus curet, quā offensionem Dei, & plus doleat ob iacturam teruncii, quam ob Deum amissum, sine quo non vivimus, nec movemur, nec lucramur, qui solum potest damnis nostras opes auferre, sanitatem morbis, animam morte; à quo possumus inter duas stragulas lecto affigi, ad insulam mille miseriarum relegari, inter mille tormenta ad infernum præcipitari, res est portentosa.

Lib. de Providentia.

Exod. 32.

Et sanè hæc miracula sunt plus quam authentica, quibus nostra stoliditas confunditur, nec frustra ea intellexit S. Thomas. Qui subtilior est, ille minus penetrat caussam. Quid? Ergone cognoscamus, & quidem cognitione fidei

dei certissima, Deum per peccatum nostrum fieri hostem, & tamen tantâ audaciâ eũ irrideamus? Et à quo tempore homines nomen mutarunt? Meo iudicio Aristoteles instituens anatomiam affectuum humanorum docuit, quod illud præ omnibus metuerint, quod summè iis poterat nocere; cum enim hoc omnia media haberet, & id, quod efficaciter vellet, possit, graviter timebant, ne tale offenderent. Ergone credant, quod Deus non possit lædere? Nequaquam; nam sciunt, *quod in ipso vivimus, movemur & sumus*, & quod quilibet possit dicere: *Manus Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

lib. 2. Rhet.

An dubitent eum non velle, dum potest? Minimè. Sciunt quippe esse scriptum: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Perbellè sciunt, quid egerit cum Angelis rebellibus, & hominibus inobedientibus; Calamitates horum infelicium temporum sufficienter iis significant, quod non velit peccata manere impunita. Cur ergo tam parum eum timent? Ego hoc non capio Magna res. Publius Rutilius à Consulatu repulsus, præ dolore obiit. Quomodo ergo nos non doleamus, quod à regno cælesti simus exclusi? Terentius, dum ex Græcia rediens in mari amisisset centum, & octo fabulas Menandri, ab eo Latinitate donatas, pię dolore extinctus est. Quomodo ergo nos rideamus, qui omne bonum cum Deo amisimus? Quod si quidam Romanus desperans sibi necem intulerit, eo, quod solum Tullium adversantem haberet suæ caussæ, quæ in Senatu agitabatur; quomodo nos tam parum curamus Deum nobis reddi infensum, qui decisurus est litem animæ nostræ, quæ controvertitur in tribunali divino?

[illegible] Ps. v. 7.

Ignoscite mihi sancti pœnitentes, si vos in theatrum revocem; nam videtis, quod caussam habeam. Ergo vos Silentiarii, Critophagi, Calibitæ, Trichini, Loricati, Stilitæ, condonate, si dicam, quod non adeò admirer vestras extremas austeritates, quam securitatem unius, qui vivit, ac si non esset Deus, vel tanquam Judex universalis non deberet nocentes punire. Utinam in mundo reviviscerent Chrysostomi, de quibus posset dici: *Frustra illum hominem terres. Nihil enim ille, nisi peccata, timet!* Utinam & tu, ô peccator, qui non es Christianus, sed stultus, talis fores.

Mataphrast. in ejus vita.

Quod si non credas per peccatum Deum offendi, apage ex hac Ecclesia, recede ab his Sacramentis, vade Genevam, aut ad fana Turcorum. Quod si hoc credas, & nihilominus pecces non tam ex fragilitate naturæ, aut vehementia tentationis sed ex mera malitia & pro nihilo, stultior es quam ille qui leonem irritat dilacerare potentem. Audi, tu pondera tibi [illegible]onquiris quibus opprimaris, fl[illegible]mis ministras pulverem, qui te in cineres redig[illegible]r. Tu unum credis futur[illegible]m & fiet al[illegible]ud *Quoniam omnia [illegible]on subvertuntur. Stetisti contemnens Deum, [illegible] olera emas, & calceamenta.* Toties offendisti Deum, ut id non sit rarum. Sed cave, ne id tibi dicatur, quod alteri dictum est: *Ne existimes impunè tibi futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris.* Nam quamvis sit articulus fidei, quod Deus sit misericors, attamen etiam est articulus, quod sit æquè iustus, adeoque non deerit, quin te puniat, qui tot peccata commisisti.

Chrysost. hom. 26. ad popul.

2. Mach. 7. v. 19.

Non

Non nescio, quod tibi imagineris vindictam adhuc longè abesse, sed hoc inde venit, quia surdus es, nec audis
Soph. 3. v. 5. Prophetam clamantem: *Manè, manè judicium tuum dabit in lucem.* Nec acquiescis monito unius assessoris huius æterni Judicis, qui id optimè potuit
2. Petr. 2. v. 3. scire: *Perditio eorum non dormitat.* Is, qui te perdet iam sat diu exspectavit & confestim veniet; cum enim non dormiat, & ocyssimè ad te volet quomodo tu poteris dormire? Tu, si scires vilissimum tuum servum tibi esse hostem, nunquam dormires, tu si unicus aulicus non dico Princeps, tibi in aurem diceret, quod non amplius in eius sis gratia, præ dolore morereris quomodo ergo possis dormire pergræcari, nugari, dum maledictionem Dei tibi imminere vides? Proclamabo de te esse actum, si, hæc cognoscens abeas ex hoc templo, quin prius lacrymis copiosis ignoscentiam tot offensarum petas. Quid dicitis, Auditores mei? An non hæc sint veritates, quæ timorem Dei cordibus vestris ingerere possunt, in quibus non habet locum eius amor? Credite mihi, omnia mala mundi tandem causæ unicæ sunt adscribenda cui post plures discursus iuramenta tribuit Rhetor aureus: *Nescitis quid sit Deus.* Si Chrysost. hom. 26. ad pop. hoc scires, non eum offenderes. Hoc cognoscere conare; nam cum amare studebis. Utinam hoc facias!

CONCIO XXX.

PRO DIE MARTIS PASSIONIS.

Quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Ioann. 7.

Festa non amplius sunt festa, quia in iis non reperitur Deus.

I. DIes qui à Gyris & revolutionibus Solis producti non plures, vel pauciores habent horas, quam viginti quatuor. Dies illi inquam qui in natura simillimi in fortuna sunt diversissimi, ita ut aliqui sint plebei & ignobiles, solum ad serviendum nati, qui vel animos molestis considerationibus torquent, vel corpus laboribus vilibus fatigant; Alii econtra sint nobiles, & festivi, qui semper rident, quos antecedunt vigiliæ, tanquam à pedibus, sequuntur octavæ, velut pedissequæ, qui auctoritate Regali carceres pandunt,

luctus proscribunt, ludos indicant, sacrificia celebrant, templa ornant, pauperiemque cogunt, ut centones mutet, cum vestibus herilibus, & ipsam abstinentiam plautè, & largiter cibant, jejuniaque ferculis lautis restaurant. *Dies diem superat*, inquiebat Ecclesiasticus. Et veluti inter homines sunt prædestinati, & reprobi, ita & dies *à Domini scientia separati sunt, & ex ipsis benedixit, & exaltavit, & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit.*

Cap.33.

Et profectò, festa non sunt inventa ab hominibus, ut vires reficiantur cessatione à labore, & quietis interpositione; sed, ut inquit S. Paulinus, *Deus ipse diebus tempora distinxit festis.* Ita Hebræis præscripsit Sabbathum, Pascha, Pentecosten, festum tubarum, expiationis, tabernaculorum, & cœtus. His postea quatuor alia accessere, unum in memoriam liberationis obtentæ per Esther, aliud ob reconciliationem Templi factam à Machabæo, tertium ob sanctum ignem inventum à Neemia, quartum ob bona, quæ iis obvenerunt per mortem Nicanoris, ut nil dicam de neomeniis. Has solennitates arctè observari lex prisca jussit.

Natali 9. S. Felicis.

Levit.23.

Nolo hic adducere grandes diversitates, quibus superstitiosa gentilitas distinxit dies fastos, nefastos, festos, profestos, intercisos, diffisos, pandiculares, præliares. Nec hic vobis præbeo calendarium, quod continet Saturnalia, Bachanalia, Lupercalia, cum stultitiis, quas Græci usurparunt in Antisteriis, Romani in Campitalitiis, Babylonii in Sacea, Thessali in Pelotia, Candiotti in Hermea, Treccerii in Panagira. Ego potius applauserim humanæ prudentiæ Apostolorum, qui, ut ex diebus vitæ nostræ Deo decimam persolveremus, Dominicam, & alios dies festivos Cultui Divino destinarunt, & nonnisi sancta opera in iis præscripserunt. Ast enimvero primis sæculis aureis tanta fuit pietas Christianorum, ut exactissimè menti Apostolorum se conformarint; Et quamvis atrocissimæ sævirent persecutiones Christianorum, attamen non potuerunt impedire, quominus festa non solum in catacombis, sed & in ipsis templis celebrarentur, & quidem tanto confluxu, ut in unico solo Nicomediæ sub Diocletiano viginti millia natalem Christi celebraturi confluxerint.

Sald.lib. 1anno.

Alexand. ab Alex.c.22.

Niceph. lib.7.cap.6.

Verbo, illo ævo dies festivi totaliter erant dies Dei; nam à Deo incipiebant, & in Deo finiebantur. Qui in iis quærebat Deum, ubique Deum in iis inveniebat. Reperiebat, Deum in Eucharistia velut ferculum conviviorum, in concionibus velut argumentum discursuum, Deum laudabant in psalmodiis, eum animo toto die versabant. Utinam hodie nos filii parentum vestigiis insisteremus! Revera, quid non darem, si hodie prædicare non deberem? Ego cum sancto Bernardo: *Nunc vix contineo lacrymas, ita pudet teporis, torporisque miserabilium temporum horum.* Fuit, cum dies festi essent dies Domini, hodie autem Deus tam exiguam partem in festis habet, ut ei, qui eum quærit, eveniat id, quod Judæis in hodierno Evangelio: *Quærebant eum in die festo, & dicebant: Ubi est ille?* Festa nostra non amplius sunt festa, quia, *dies festi festivis frustrantur solemniis.* Deus meritò, juxta phrasin Amos, ea vocat

Bernard. epist.240.

cap.6.

Sabbatha mendacia. Vos quidem id non credetis, ego tamen id comprobabo.

PARS PRIMA.

II. EGo cum Essenis non sum adeò scrupulosus, *ut nec ignem accendere in Sabbatho, nec vas ullum quidem transponere* in festis interdicam. Quinimo potius asseveravero cum Platone apud Clementem Alexandrinum Deum festa instituisse ex compassione erga homines, ut vires labescentes ex laboribus restaurentur. *Festorum necessitudines illis Dii instituerunt.* Quod si credas Poetæ, Dii non adeò zelantes sui honoris fuerunt, ut non refocillationes virium spectarent. *Dii quoque, ut à cunctis hilari pietate colantur, tristitiam poni per sua festa jubent.* Vita sine diebus festivis, valde sapienter dicebat Democritus, nil esset aliud, quam prolixum iter sine diversoriis. Juxta Hippocratem labor continuus est species motus, qui non nisi quiete curatur. Hinc probat Aristoteles, *requiem, ludum, & iocum, necessaria esse.*

Ioseph. lib. 2. cap 7. de bello Iudaico.

Lib. 3. strom

Lib. 2. eleg 1. de Ponto.

Agè, ergo idem nobis sit, qui quamvis simus Christiani, tamen adhuc homines sumus, qui restauratione, ac refocillatione egent. Dies festivi, inquam, nobis sint hilariores, fercula parentur lautiora, vestibus amiciamur pretiosioribus; nam, ut inquit sanctus Leo, homines cum sint viva templa Dei, instar templorum festivis diebus ornatius vestiendi sunt. Non nego, quod Gregorius Thaumaturgus, uti refert Nyssenus, ejusdem nominis, conversis recenter à paganismo diebus festivis permiserit quasdam solennitates exteriores chorearum, cantunculalarum, ludorum, quas tamen iis in fide roboratis sustulit, oblectamenta corporis transferens ad oblectationes animorum; Interim adhuc invenio sæculis sanctioribus Christianos severiores, quibusdam exterioribus gaudiorum signis, festa celebrasse.

III. De Die Dominico ita scripsit Tertullianus: *Diem Solis lætitiæ indulgemus.* Diebus Dominicis concilia vetuerunt jejunia, Festis Paschalibus Eremicolæ deposuerunt cilicia, prout ex vita magni Antonii deducitur, *qui in diebus Paschæ, & Pentecostes Pauli palmata utebatur.* Priscis sufficiebat, ut natalis Martyris celebraretur; statim enim luctus ponebant. Ita testatur Hieronymus, scribens ad Julianum uxorem recenter mortuam lugentem: *Dedicatio Martyris candida tibi reddidit vestimenta.* Idem corroborat Evagrius, qui festum magni Martyris Ignatii vocavit *popularem, & communem lætitiam.* Non ergo me vexo, quod diebus festivis plus quam alias recreationibus vos oblectetis. Etenim si hoc vellem, os mihi occludere possetis auctoritate Epiphanii dicentis: *Christiani festos agitant dies splendidè atque hilariter*; & magni Leonis contra me rugitus concitaretis, qui rationi esse convenientissimum duxit, *in diebus, qui nobis Divinæ opera Misericordiæ protestantur, toto corde gaudere.*

Apol. cap.

Epist. 34 Iulian.

Lib. 1. h[ist.] cap. 16.

Orat. de [re]surrect.

Serm. 4 [de] Epiphan.

Id solum deploro, quod, cum festa

sta principaliter instituta sint, ut colatur, & honoretur Deus, nos omnino cum ex possessione sua eum ejecerimus, & festis ejus cultum exturbaverimus. Et quidem festa primariò in cultum DEI esse instituta, testatur Thaumaturgus dicens: *Certos dies esse sacrificiorum instar, quæ offerre Deo castè & piè debeamus.* Atque ideò forsan in quibusdam rescriptis Carolus magnus festa vocavit messes: *Spatium usque ad messem sancti Martini dare decrevimus.*

rm. 2. de nunc.

apit. lib. 2. c. 13.

IV. Enimvero justas meas esse querelas dicent illi, qui se instar jumentorum ad labores damnatos, absque concessione quietis, conqueruntur, & dolent, ita, ut & ipsis Dominicis Diebus cogantur pannos consuere, colere hortos, cudere ferra, ligna secare. Attamen, quia tales nulli adsunt, contra eos non detonabo, & quamvis adessent, correctiones meæ nil in iis efficerent, qui nullis exemplis, quantumvis tragicis moventur. Percipiunt quidem, quod quidam Aurifaber apud sanctum Eucherium, nescio, ob quem laborem, à sanctis Thebæis acriter flagris exceptus fuerit, quod cuidam molitori, de quo in vita sancti Austregisilli, volenti die festivo molam reficere, malleus digitis tam arctè adhæserit, ut avelli nulla vi potuerit: quod cuidam fœminæ teste Turonensi, manum dexteram ignis cælestis vindex adusserit, quod Joannem Castellæ Regem, uti testatur Rodericus Toletanus, equus oppresserit, ob pugnam die festo indictam, sed nil moventur, aut emendantur.

Caveant sibi festa, ne vel incidant in tempus, quo negotia nos obruere solent, vel quo voluptatibus nos dare solemus, quia tam miserè celebrabuntur, ut præstaret ea calendariis expungi. Id perbene scit bonus sanctus Thomas, quantumvis magnus Apostolus, qui, quia Festis Natalitiis nimium vicinus est, à nullo sartorum observatur. Conqueritur id sanctus Matthias, qui, si in Bacchanalibus occurrat, nec festum, nec vigiliam habet.

V. Sanè nostra tempora non sunt meliora sæculo Salviani, quo una comœdia, vel ludus, qui die festo exhibebatur, sufficiebat ad omnem devotionem, & reverentiam festis tollendam. Ille quandoquidem hoc scripserit, ego dicere possum: *Si quando evenerit ut eodem die, & festivitas Ecclesiæ, & ludi agantur; quæro ab omnium conscientia, quis locus maiores Christianorum copias habeat, ludi publici, an atrium Dei?* Profectò *solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est.* Nemo minus, quam Deus, ex diebus sibi consecratis participat.

Lib. 6. de gubernat. Dei.

Nec mihi dicatis, quod querelis, & satyris asveverim, qui, dum materiam non habeam justè succensendi, me fundo in festis non præceptis; nam ego ex celebratione festorum celebriorum convincam, vix illa esse Dei, vel Sanctorum; sed nostra, ita, ut solus titulus Deo, & Sanctis remaneat. Scio vos difficulter hoc credituros, at ego id expeditè probabo. Celebramus festum sancti Laurentii, aut Joannis, sed quæso vos, in quonam templo illud festivè agitur?

gitur? In illo pago, aut ecclesia campestri, quæ ob socordiam curati ruinam minitatur. Nunc adeste. Tota civitas movetur, quia Sanctus est illius patronus. Puellæ, ut comptæ sint, à media nocte ad auroram usque se in speculo consulunt. Adolescentes, qui vix alias Solem orientem vident, jam ante Gallicinium gressus movent, omnes ad locum illum confluunt, ad quem & ego vos invito, ut conspiciatis, quomodo nostris festis Deus exsit.

VI. Papæ, quanta nubes populi ad portarum reserationem urbe exit! Annosiores in hac processione nolunt esse ultimæ. Est quæpiam, quæ nunquam se exfuisse huic devotioni jactat, & ego eam laudo, dummodo in nobis esset devotio, quam Nazianzenus habuit erga festa martyrum, ita, ut dicere potuerit: *Se illius rei inexplebili teneri cupiditate, nec ab ea divelli unquam posse.* Sed quid? Video tot pugiones, gladios, sclopeta, bombardas, nec capere possum, quid Marti sit cum die festo, & Deo pacis, qui inter arma non reperitur, & multo minus in mandris adolescentum, qui sua conversatione, aspectibus, discursibus, levitatibus, gesticulationibus clarè demonstrant, quod nil minus, quam sanctum colant Laurentium. Mi popule, inquit Augustinus, *memento te divertisse ad refectionem, & non ad defectionem.* Dic Sodes, quid cum sanctitate festorum, tot, & tot popinæ, cauponæ sub illis umbraculis? An non absque eo, quod ego vobis hoc monstrem, inquit Hieronymus, quod *valde absurdum est saturitate velle honorare martyrem,* quē scimꝰ Deo placuisse jeiuniis? Quod si hic dies sit solennis Domini, si sit dies festiva, adiuro vos, ut mihi dicatis, in quonam angulo Divina Maiestas reperibilis sit? Et mehercule non in illo foro, quia Deus ibi esse nequit, ubi choreæ tam dissolutæ ducuntur, nec in illo prato, in quo cachinni tam intempestivi effunduntur. Sed quid dicam de ecclesia, cum dubius hæream, an ibi recitetur comœdia, aut missa? cumque in tam conferta multitudine pauci eam visitarint, & illi, qui eam visitarunt, unico genu flexi riserint, & confabulati sint, ac si forent in foro, nescio, quid iudicem. Absit à me, quod recreationes minuere velim, id solum tolerare non possum, quod sub prætextu Cultus Divini, Deus, eiusque Sancti inhonorentur.

Orat. 18.

VII. Similis abusus Africanorum adeò bilem commovit Divo Augustino, ut, postquam eum torrente lacrymarum fuisset prosecutus, concilium congregare resolverit, in quo remedium apponeretur. Tandem verò in Concilio Romano illud adhibuit Eugenius Papa anno à Christo nato 826. Nec ego sim indiscretior Nazianzeno sic asserente: *Non veto animi recreationem, sed petulantiam coerceo.* Sed quid? Egone videam festa Christianorum similia organis dissolutorum, & petulantium, ac taceam? Quid? An forsan Solennitates Ecclesiasticæ sint festa Coribantinorum, quę transigi debeant insolentiis strepitosis, aut Saliorum Sacerdotum Martis, quæ non nisi in saltibus, & comessationibus consistebant? Talia festa Deum longissimè abigunt, & inermia sunt, ut eum retineant. Et profectò id iam dudum prædixit per Amos:

Epist. 6 *Orat.*

mos. 7. mos: *Odi, & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum.*

Ast enimvero, oro vos, concedamus ad urbem, ut videamus, num ibi festa melius celebrentur, quam in pagis. Et sanè meo videri in civitatibus festa videntur promulgata non à parocho, sed à Lucano hac formulâ: *Ne quod intra festi tempus agitur, neque publicum, neque privatum, nisi, quæ ad voluptatem, omnemque oblectationem, pertinebunt.* Nemo est, qui de sancto Laurentio cogitarit. Omnes lares repetunt, hic furore percitus, ille musto repletus. Sed etenim. Quid ego conspicio ad mœnia civitatis? Video ibidem proles viduarum, ministellos cauponũ, iuvenes opificio operam navantes, grassatores platearum. Video inquam, iuvenes totâ septimanâ laboribus distentos, qui diebus festivis solum habent tempus addiscendi doctrinam Christianam, eâ horâ, quâ in templo congregati Pietati intendere deberent, in acies, & turmas divisos, arma versare, milites agere sine stipendio, saxis, & fundis munitos in ficta pugna veros spirare furores, concertatim dimicare, ut vallum expugnent, ac propugnent, nunc fugam simulare, ut victoriâ potiantur, & ubi manus feriantur, pedes suo muneri non desunt. Et quantumvis transeuntes clament, & fustes minitentur excubitori; attamen illud bellum non finitur, nisi capitibus sauciis.

Lucianus Saturn.

VIII. Quid dicitis, Auditores, an hęc sint festa, in quibus velitis, & possitis reperire Deum? Utinam cum zelo auctoritatem Augustini haberem! Hic illustris Præsul amandatus fuit, ad visitandas quasdam Ecclesias Africanas sat malè gubernatas. Plures abusus sustulerat, & inter eos præcipuè illos, quod diebus festivis, non audirent sacrum, quod missâ necdum finitâ impatientes abirent, quod Sacerdotibus nummos erogarent sacra præcipitarent legendo, & cantando, & quod primariũ fuit, velitationes, & pugnas exercerẽt, quæ eo tẽpore vocabãtur *catervæ.* Hos abusus extirpavit, & ante omnia, ut dixit Baronius, *abstulit inveteratas pugnas, quibus lapidibus se in duas partes solenniter dimicabant.*

Baron. anno 418. n. 6.

Et quid, oro, obstat, quo minus similis abusus inter nos hodie vigens tollatur? An forsan, aliquod commodum inde resultat, quod cum offensione Dei diebus festivis talia tolerentur? Aliud exigitur, ut populus armis exercitetur, quam ut talibus intempestivis insolentiis permittatur. Ex tali fæce paucissimi evadunt milites, nascuntur audaces absque exercitio, sed non efficiuntur generosi, & magnanimes, nec unquam illa Respublica munita fuit, quæ divino cultu neglecto media humana adhibuit.

IX. Verumenimvero, Auditores mei, cum extra urbes in festis non inveniatur Deus, ad urbem paulisper concedamus. Heus sistite parumper. Papæ quid audio? In illa domo frequenter audio nomen Dei ingeminari, per Deum, iuro Deum, per hoc lumen Dei, absque dubio hic erit. Non sanè, quippe clarè video vestigia diaboli hic clarè expressa. Vide conclave aliquod, cuius parietes historiis figurarum infamissimarum carbonibus atris depictæ sunt, in illa tabula luditur chartis, in illa iaciuntur aleæ, hic unus periurat, quod

jecerit quinque, alter devovet se igni, non fuisse, nisi tria puncta. Ibi blasphemiis aliquis impetit adversam sibi fortunam, hic ille, qui vicit, sibilat, ut alios ad ludum pelliciat, nullum hic sanctum auditur verbum, nil videtur, nisi insolentiæ, libris illis apertis plures incumbunt, ut artem decipiendi addiscant; ut enim inquit Sidonius: *In bonis iactibus tacent, in malis rident, in utrisque philosophantur.* An non hic est vivarium dissolutionum, & perjuriorum?

Lib. 1. epist. 2.

Cyp. de alea.

Cœci estis, inquit Cyprianus, si non videatis in domo lusoria *diaboli laqueum manifestum*. Ludi adeò noxii non ab homine, sed à dæmone ortum ducant, necessum est; uti disertè propugnat Basilius, & Innocentius Papa. Sedecim enormia illic grassari peccata autumat Ostiensis; & quia sanctus Antoninus censet, quod non omnia numerarit, subjungit, *tot in aleis scelera esse, quot puncta*. Ergone vos Christiani dies festivos peius collocetis, quam gentiles? Scio aliquem vobis lusum deberi, sed quis unquam *ludos appellaverit, in quibus crimina oriuntur?* Sunt verba prooemii in digestis. Scio, quod dæmon propriis impensis tempus vobis sit permissurus, quo Deum inhonoretis, sed nonnisi maximo vestro damno, dum omnia alia negotia reiicitis. Quæso vos, discite, cur festa sint instituta. Non adduxero amplius Pelusiotam, Augustinum, Chrysostomum, Nazianzenum, sed vos remitto ad Plutarchum. Hic eo, quod Pythagorici, non ferrent, quod aliquis *obiter adoret, & supplicet Diis*, Numam prudentissimum proclamavit, qui hanc legem sancivit: *Nihil ut cives rei divinæ audirent, viderentque perfunctoriè, vel solutè, sed vacui curis aliis velut summo religionis adverterent animum.*

Basil. hom. 8 in Hexam.
Innoc. epist. ad Victric. Rothomag.
Hostiens. in summa.

Plutarch. in vita Numæ.

X. Enimvero, quantocyus ex hac domo nos subducamus, sinamusque hos, ut in iis mensis propria corda rodant. Video illi domui affixum insigne crucis, sine dubio Christus in eadem suo festo fruetur. Sed amabò pedem referamus, quia ex solo ostio colligo, hic esse popinam adeò maledictam, ut cruce signari debuerit, ne eam diabolus absportaret. Conspicio in illa mensa vino perfusos non viatores, vel mercatores extraneos, sed quasdam cohortes pictorum, sutorum, sartorum, fabrorum, pistorum, & cuiuscunque generis opificum, qui unico symposio diebus festivis abliguriunt, quod totâ septimanâ sunt lucrati. O vos barathra, quæ ipsum patrimonium Crœsi absorberetis! Siccine dies Deo consecratos cõteritis? Domi fame proles enecãtur, & vos collo tenus vino immersi estis. O misellas vestras uxores, quæ assiduâ pœnitentiâ hæc vestra peccata diluere coguntur! Domum reversi nisi ad eam deportandi sitis, vinum vestrum digeretis uxores conviciis petendo, iniuriis lacessendo, fustibus fustuando.

Nunc tandem capio, cur Antisthenes definierit festa *intemperantiæ illicia, gulæ irritamenta, helluationis promptuaria.* Non solum ævo Divi Hieronymi fuere, *qui, quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum,* hodie plures adhuc habent asseclas. Sed linquamus eos, nec vel semel illud Chrysologi iis ingeminemus: *Noli æstimare, quod in solis prandiis, & profusioribus epulis natales Martyrum celebren-*

Epist. 24

Serm. 12.

lebrentur. Ebriis, qui meos non capiunt discursus, aptius conveniat triremis, & carcer, quam mea concio.

XI. Papæ, quam crassè mihi imposuit, qui dixit, esse diem quærendi Deum. Porro, quis scit, an non forsan sit inter illam confertam multitudinem, quam in foro video? An forsan sanctus Paulus ibi prædicet, uti quondam Athenis, cum tam altum sit ibi silentium? Eheu! unus histrio serpentem manu gestans ibi saltat, unusque dęmon lascivam fœminam vestibus referens ibi cantat, utque suos morsulos, pastillos, & trochiscos largius vendat, mille gesticulationes leves, & motus impurissimos miscet; Nec hic sanè totum malum sistit, lego ibi schedulam affixam, quâ omnes invitati sunt ad comœdiã, quæ hoc die festivo exhibet amores Delię, op⁹ novũ, & curiosũ, plurimi eorum, qui hic non sunt, illam spectabunt. Juvenes parentibus clepunt pecunias, ut eam spectare queant, est alius, qui se iactat, quod nunquam tali concioni exfuerit. Utinam in lingvam meam exiliret anima vel Tertulliani, vel sancti Cypriani, aut sancti Chrysostomi, ut tantum abusum perstringere possem. Hem! ô Christiani, ergone vos sitis illi, qui in Baptismate diabolo, eiusque pompis abrenuntiastis? Vosne descendatis ab iis, qui dixerunt: *Nihil nobis cum insania Circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xisti vanitate?* ...ull. A- cap. 38.

Vos forsan expectatis, quod vos in ruborem sum daturus, si in medium ea adducam, quibus sancti Patres comœdias insectati sunt? Non adducam Tertullianum, qui comœdiam vocavit *sacrarium Veneris, arcem omnium turpitudinum, privatum consistorium impudicitiæ.* *Idem lib. de Spect. cap. 10.* Nec adferam in medium Basilium, qui eam intitulat communem, & publicam discendæ omnis *incontinentiæ officinam.* *Hom. 4. in Hexam.* Nec tandem Cassiodorum, qui eam descripsit *evacuatorium honestatis.* *Lib. 3. ep. 51.* Solum id dicam, quod sanctus Maximus, commentans sanctum Dionysium Areopagitam, scripsit, nempe comœdos priscis Christianis adeò fuisse in vili, uti & illi, qui comœdias frequenter spectabant, ut, dum cuique suum locum in Ecclesia assignarent, vel inter Sacerdotes, pœnitentes, catechumenos, aut mendicos, similis fæx, quasi à dæmone infessa foret, ad energumenos relegata fuerit. *In c. 3. Eccl. Hierarch.*

XII. O gloriose sancte Asteri, qui festa nuncupare consvevisti *matres, & nutritores Ecclesiæ,* & in conventibus, qui diebus festivis coadunari consveverant, invenisti *quandam pædagogiam animorum,* revera nostra festa longè diversa sunt. En, ego die quadam Dominica Deum quæro, quem tamen necdum inveni, neque in pagis, neque in urbibus, neque in ædibus, neque in foro, quod si eum non reperero in Ecclesia, desperatus abibo. Et profectò, nisi in erubescentiam dari velitis, quæso vos, ne ad omnes ecclesias eatis. Nemo in duob⁹ locis esse potest. *Vanitatibus occupatus,* inquiebat sanctus Ambrosius, *Ecclesiam non frequentat.* Cum plateæ, fora, cauponæ, domus lusoriæ hominibus scateant, clarum evadet, ecclesias desertas, & vacuas fore. *Hom. in avarit.* *In ps. 118.*

Porro,

Porro, ad unam, quæ hodie indulgentiis plenariis dotata eſt, totam video confluere nobilitatem, inſignem in ea audio muſicam, Baſilicum conſpicio ornatum. Sed abeamus quantocyus, oro, quia vereor, ne Chriſtus in altari expoſitus mihi intonet illud Iſaiæ: *Calendas veſtras & feſtivitates veſtras odivit anima mea facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens.* O Davides, ô Salomones, agedum, venite huc, num hoc modo feſta celebrando Deus ritè colatur? Occludite illas portas, ne nos videant Calviniſtæ, qui noſtra feſta, uti olim egerunt Manichæi tempore Auguſtini, irriderent. Veſperas cantant muſici, ſed ac ſi ageretur chorea, vel exhiberetur comœdia; ii, qui non dormiunt, ſaltant, rident, vel jocantur, aut negotiantur. Scamna puellarum exhibent turmam cicadarum, & quidem pientiores repetunt acta illius hebdomadæ domi geſta, diſſolutiores autem ſolum venerunt, ut ſpectentur, ideoque oculos, & aures ſolum levibus adoleſcentibus accommodant, ita, ut dicere cogar ſolennitates majores Chriſti migraſſe in Bacchanalia diaboli.

Cap. 1. v. 14.

Lib. 20. cont. Fauſt.

Qui ergo fieri queat, ut nos conqueramur à Deo nos affligi, cum tam malè dies ejus tractemus? O Chriſtiani, an dormitis? Ecquid agitis, ut Gregorium magnum non audiatis clamantem: *Quid prodeſt intereſſe feſtis hominum, ſi contingat deeſſe feſtis Angelorum?* Quod ſi alium neſciatis modum celebrandi feſta, deſiſtite ab eorum celebratione, quia Deus parum id curat. Sed quia agimus de feſtis, ne amabò quietem mihi debitam impediatis.

Hom. 33. in Evang.

PARS SECUNDA.

XIII. CHRISTUM non reperiri in noſtris feſtis manifeſtiſſimum eſt, nec loquor ſolum de vulgaribus, ſed & de iis, quæ ſunt primæ claſſis. Ne, quæſo, turbemini. Magnum feſtum eſt Natalis Domini, quem vocavit Chryſoſtomus *metropolim omnium feſtorum*; ſed quomodo nos eum celebramus? Vigiliam ſub prætextu collationis largioris colimus lautâ cœnâ, noctu totam turbamus urbem ſub titulo audiendi miſſam, de die pompoſè veſtimur, magnum nobiscum habemus comitatum. *Quam multi*, inquit Bernardus, *gaudent, ſed utinam de Nativitate, non de vanitate!* Paſcha ſolennius eſt Natali Domini, ac meritò, quia Thulenſes teſte Procopio, illum diem feſtiviſſimum celebrabant, quo Sol in eorum horizonte redibat, & Perſæ, referente Herodoto, *feſtum omnium celeberrimum, interitum vitiorum* vocant; Quomodo ergo nos Paſchatis diem non haberemus celeberrimum, dum, ubi illi immolabant animalia venenata, nos peccata noſtra per confeſſionem occidamus? Aſt enimvero, ne anſam detis Divo Bernardo, ut edicat, quomodo Chriſtiani Reſurrectionem Domini celebrent. Nam revera non audiretis eum melli- ſed fellifluum: *Proh dolor! peccandi tempus; terminus recidendi facta eſt Reſurrectio Salvatoris.* Multi Paſcha celebrant redeundo ad crapulas, ludos, impuros amores. Et utinam non ita eſſet! Sed quale remedium tanto abuſui? Illud à medicis, puta S. Patrib. noſtris poſtulemus. *Quod feſto honoratur*, do verba ſancti Leonis, *moribus celebretur.*

Orat. de S. Philogono.

Serm. 2. i. Cant.

De bello Goth.

Herod. lib

Serm. 1. d. Reſurrect

Serm. 2. d. Reſurrect

tur. In festo Natali cum Christo renasci, in festo Resurrectionis cum eo resurgere debemus, sic erit verum illud Nazianzeni: *Festorum Christi fructum esse nostram perfectionem, & instaurationem.* Memoriæ, & Natales Sanctorum, inquit Nyssenus, nil aliud sunt, quam quod est Pharus navigantibus, unde eorum luce tenebræ nostræ illustrandæ sunt.

...t. 38.

...vita ...umat.

XIV. In festo sancti Antonii debemus imbibere Spiritum devotionis, in festo sancti Laurentii Spiritum mortificationis, in festo sancti Martini Spiritum Eleemosynæ, in festo sanctæ Magdalenæ Contritionis. Quod si, juxta Pelusiotam, festa sint instituta principaliter *ob Divinorum Beneficiorum memoriam*; consequitur illud Augustini esse verum, quod *in sanctis solennitatibus secundum vires nostras abundantius erogemus.* Cum enim Deus fuerit liberalis erga nos, nos reciprocè erga eum liberales esse debemus. Id faciliter præstabitis, si concionibus continuò interfueritis. Non pauci sunt, qui verbum Dei putant esse instar ficuum Siccarum quæ extra tempus Quadragesimæ non sunt gratæ. Putatis, quod sacri Ecclesiastes prædicent ob proprium interesse, sed vestrum plurimi interest; Nos incurrimus malum pœnæ, vos culpæ, nos privamur Auditoribus, vos Conscientiâ. Hebræi profectò de quibus Philo, nos confundunt: *Sabbathis major cura Legis audiendæ.*

...2. de ...

...de vita ...

Nos, quasi Legem haberemus vilem, nec diebus festivis ejus patimur mentionem. Ast, ut video, plures me torvo notant aspectu, quasi omnes recreationes proscripserim, ut reducerem omnia ad esse spirituale. Ego non dico, quod multi, qui jactant se habere donum interpretandi sermones, illos invertant, & pessimè intelligant; nec ego sim austerior Nazianzeno, qui tres fines adducit, ob quos festa instituta sunt; è quibus duos ego adfero, nempe, *Magisterii celebrandi causa, & ob animorum recreationem.* Orat. 19.

Recreate vos, per me licet, sed non cum offensa Dei, ac damno vestro. De cætero, si diebus festivis cultiores, & comptiores in publicum prodire vultis, per me licet, ac id laudo; Lego quippe, quod innocentissimus, & sanctissimus Thomas Morus, inter ipsa vincula, sese diebus dominicis poliverit, ac quibusdam id mirantibus reposuerit: *Non ad conspectum populi, sed ad Dei honorem festos colo dies.* Quod si velitis amicitias fovere, aut consangvineos lauto aliquo excipere cõvivio, ego id ô vitupero; Ast n. vero, si festivos dies velitis comburere ludis, choreis, insolentiis, comessationibus, esto sit aliquis Theologus, qui forsan permittat, ego pati non possum, quin potius calentissimis verbis magni martyris Ignatii vos adjuro, ac obtestor: *Festos dies ne dedecore afficiatis*; Diabolo, ac affectibus vestris condescendendo. Quod si placeant festa temporalia, disponite vos ad æterna. Hinc Theologus: Festorum dierum celebrationem nil aliud esse, nisi è longe aspicere ad ea, quæ sperantur. Sufficiunt moderni Antichristi, qui cum VValdensibus, & Manichæis dicunt: *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* Quod si Romani habue-

Baierlin. in apol.

Epist ad Philipp.

Epist. 18. inter epist. Basilii.

Psalm. 73.

rint festum stultorum, dictum Quirinale, ne eos imitemur; sed potius magnum Constantinum, qui, teste Eusebio, *diem Domini vocabat diem orationum*, & ideò non solum in Ecclesiis, sed & in aula sua quasdam preces solennes instituit, à quibus nullus è suis excesse debebat. Deus nil non munerat, si festa ejus sedulo colueritis, torrente gratiarum vos, & vestros irrigabit, Amen.

Lib. 4. c. 18 ejus vit.

CONCIO XXXI.

PRO DIE MERCVRII PASSIONIS.

Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis, Ioann. 10.

Apologia Divinorum Iudiciorum.

I. MEæ charissimæ oviculæ, hac vice in Labyrintho Theologico peribitis. Non frustra pastor providus vos monet, ut aures ejus voci præbeatis; nam si illa vos non educat, nunquam exibitis. Conceptus nostri nimis infundati sunt, & sæpius in scopulos allidunt. Hic video Lutherum abysso errorum immersum, ibi cerno Calvinum in barathrum blasphemiarum delatum. Quinimo video eos, qui Apostolicis insistunt semitis, conqueri, quod inter dumeta, & sentes mille difficultatum oberrent, & concludantur; nam unus ingemiscit, quod inter tenebras densas nil resolvere queat, alter anxius inquirit margines securarum doctrinarum, quibus securè innitatur.

Ast enimvero vos Theologi, vestris subtilissimis distinctionibus hanc silvam exscindite, & cum informati sitis à magno patre Augustino, quod *Prædestinatio nil aliud sit, quam præscientia, & præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*; curiosius perquiratis, quos actus intellectus, & voluntatis tam principalis actus Divinæ Providentiæ includat. Quærite, num Prædestinatio fiat ex prævisis meritis, num dona naturalia sint effectus Prædestinationis, sicut & permissio peccati, auxiliorum copia, an fiat ante prævisa merita omnino gratis, quomodo liberum arbitrium cum ejus infallibilitate consistat, an unus homo queat esse caussa Prædestinationis alterius, uti Paulus Stephani, quam certitudinem quis possit habere de sua, vel alterius prædestinatione, an inter Catholicos adultos plures salventur, quam damnentur, & plura similia curiosa quæsita, tamdiu agitata, nec tamen unquam soluta.

De bono persever. c. 14

Ego

Ego interim magis sollicitus, ne vestram quietem turbem, quam ut meam doctrinam ostentem, hodie nullatenus decrevi pulpitum in cathedram, Ecclesiam in scholam mutare. *Caussas tacendi mihi*, inquit Augustinus, *longum est omnes quærere, quarum est hæc una, ne pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt facere doctiores.* Prædestinatio est materia talis, ut Cajetanus, subtilissimi vir ingenii, postquam per plures annos illam examinasset, tandem concluserit: *Altiora te ne quæsieris.* Plura sunt supra sensus hominum revelata, & hoc est unum de illis.

Cap. 16. supra.

Ad art. 4. quæst. 22.

Præterea magnus Parisiensium Cancellarius Gerson, postquam à Burgundiæ Duce prohibitus fuisset, ne Concilio Constantiensi absoluto in Gallias rediret, ad Castellum Rattembergense secedens, Boetio insistens, librum de consolatione composuit, & postquam diu se cruciasset, qualiter dubiis suis in hac materia satisfaceret, demum in hæc verba prorupit: *O inaccessas latebras Tonantis consilii! ô nunquam penetranda abyssus! quam juvat solum tacita precantes mente vocare.* Nunc vobis pensandum linquo, num hic panis conveniat dentibus cujuscunque, & an mediâ horâ possint clarè tradi, ubi doctissimi plurimis annis iis insudarunt? Sanè ego vos mari committere nolo, ne vobis de commeatu providere cogar. Nec vos agitatione insolubilium dubiorum conturbare volo, quin potius refutando severissima dogmata, vobis ostendam, qualiter quilibet salvari possit, si velit, & simul Divina Judicia propugnabo, quæ toties temerè proscinduntur à mortalibus, tanquam minus iusta, & clementia.

Apud Tan. ter. in fine Tusp. de præ. dest.

PARS PRIMA.

II. Quid tu hodie dicis, Christe? Hodie conaris incircumcisa corda cultro bene cuspidato tuorum sanctorum verborum proscindere, sed frustra; nam hæ aspides aures obturant ad tua innocentia fascina, & quamvis tua verba sint ipsa Veritas, non tamen iis credunt. Ast verò caussam hujus immanis duritiei tu quidem dicis non esse tuam. *Non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Sed homines in te eam derivant, asserendo, quod eos non prædestinaris. Quid quæso angeris, quod non sint oves tuæ, cum tales esse nequeant sine tua electione? Ad arma, ad arma, ô fideles; nam Justitia Divina undiquaque oppugnatur. Prodit cum sua phalange è Tabernis Genevensibus Calvinus, & Deum partialissimum esse proclamat, qui nulla discernat merita, vel demerita, qui pro mero libitu prædestinarit, vel reprobarit quos voluit, quod reprobi sint damnandi, quantumvis bene sint acturi, prædestinati salvandi, quamvis peccaturi, quod misellis reprobis neget fidem, & gratiam, quod eos ad peccata cogat, pœnis cunctis addicat. O anima diabolica, claude os tuum infernale. Ergone tuo sensu Deus tam infensus sit suis creaturis, qui, dum eas suas esse cognoscit, easdem tot suis gratiis præveniat, tot industriis conservet, tot auxiliis juvet, ita, ut, si necessitas alicujus ita poscat è Cælo in terram descedat, spiritusq; omnes, quos habuit in arteriis,

Apud Becan. c. 16. de præ. destin.

artèriis effundat, & sangvinem venis reclusum profundat. Ergone iuxta te Bonitas adeò excessiva, Veritas adeò clara, Misericordia adeò prodiga, delectetur, dum nobis misellis illudit, eosque in miserias præcipitat, præscribatque nobis infirmis illa pharmaca, quæ quidam medicus præscribere solebat: *Si vis sanari de morbo, nescio quali, accipies herbam qualem, sed nescio vel quam; ponas, nescio quo, sanabere, nescio quando.*

Ex Becano supra.

III. Cavete vobis Auditores, ab hoc cœco, qui ipsum Deum fustuat, secedite ab illo mulo, qui ipsum Cælum calcibus petit. Revera ego mirarer, si homo adeò reprobus bene discurreret de materia Prædestinationis. Alii sunt, qui divina iudicia censurant, quorum errores refutando, melius nostra apologia impendetur. Quis vestrum est, cuius cor non palpitet, quotiescunque secum sic tacitus discurrit: Deus scit, qualis sors me maneat post hanc vitam, verum quidem est, quod sim baptizatus, confirmatus, quod crebrò communicem, confitear, eleemosynas elargiar; ast quis cum his salutis meæ me certum reddat? Eheu! nemo est, qui huc usque nomen meum in libro vitæ legerit. Forsan pluribus annis observant à Divinorum Mandatorum me conficiam, & tandem forsan validæ succumbendo passioni peribo. Heu quã formidanda sunt Judicia Divina! Videte, an non vestras mœstas cogitationes divinarim?

Vos ubi Divinæ Voluntati, quæ cum vestra debet concurrere ad vestram salutem, totaliter inniti deberetis, illi diffiditis, & de vestra vos solum assecuratis. Audite Augustinum: *Miror homines infirmitati suæ se magis committere, quam firmitati promissionis Dei; sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tua ne tibi voluntas de te ipso certa est?* Quodnam, oro, bellum movent Divina Judicia tuæ spei? Quod si ea caperes, revera consideratione eorundem experires cor tibi præ iubilo dilatari, ita, ut caneres cum David: *Memor fui judiciorum tuorum à sæculo, Domine, & consolatus sum.* Adsis paulisper. Tu me assecures de tua voluntate, ego te de Divina certum reddã. Aures advertite Auditores mei; nã si ex concionibus, quas de Prædestinatione auditis, cõmuniter fermè desperati abitis, ego volo, quod ex hac omni consolatione referti discedatis.

De prædest. Sanctor. cap. 11.

Ps. 118. v

IV. Et in antecessum mihi falsissima est eorum sententia, qui docent Deum ad meram ostensionẽ suæ iustitiæ quosdam ante omne prævisum peccatum positivè à Gloria exclusisse, eo modo, quo ad ostensionem Misericordiæ plures ante prævisa merita ad Gloriam elegit. Vos iudicate, num summa Bonitas possit delectari in *perditione hominum.* Fateor, quod possit dicere: *Aut non licet mihi, quod volo facere?* Nonne estis mei? Quid ergo obstet, quo minus de vobis agam, quod lubet? Posset hoc dicere, sed tunc simul asserere nequiret: *Perditio tua ex te.* Reprobus quippe replicaret: Ex te foret, cum tu me reprobaveris independenter absque ulla culpa.

Matth. 2 v. 15.

Prædestinat itaque Deus, sed salvo semper nostro libero arbitrio, cum, iuxta Theologos, Prædestinatio duo includat, actum nempe Intellectus Divini, qui vocatur Prænotio, aut Præscientia, & actum Divinæ Voluntatis, qui vocatur Prędefinitio, vel decretum; quorum neuter nec in minimo libertati humanę

offi.it.

officit. Non primus, quia de illo valet illud Augustini: *Cognitio fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant.* Futuritio obiecti est prior Præscientiâ, adeoque ab ea non dependens; Uti enim elicio ex Justino Martyre: *Non Prænotionem sequitur res futura, sed rem futuram Prænotio.* Præscientia Dei non magis concurrit ad tuum peccatum, quam mea scientia, qua scio te illud patrasse.

b. 1. de Gen. ad litter. m, cap 32.

Neq; dici potest, quod alter actus libertati nostræ obsit; nam nulli decernit gloriam independenter à meritis; & quamvis gratiæ sint efficacissimæ, attamen non necessitant voluntatem, sed eam potius promovent. Quod si forsan nonnemo sit, qui censeat Deum melius fuisse facturum, si libertatem peccandi permitteret, adeoque homines cogeretur à Paradiso repellere, ego eum ablegabo ad magnû Magistrû Dion. Areopagitã; nã ab eo discet, quod *non est Providẽtia violare naturã,* quin potius, quod *Providentia cujusq; naturæ sit conservatrix, & à se mobilibus, ut à se mobilibus providet.*

uæst. 58 ad thod.

e Divin. om. cap. 4.

V. Deus sanè hoc modo assecutasset hominem, eum destruendo, tollendo naturã, conferendo gratiam, privando eû Paradiso, sine quo õ potuisset dici similis Deo. Ergo, ô meę molestæ cogitationes, pacate vos, tranquillate vos; nã, stante Prædestinatione, & Præscientiâ, mea libertas salva, & integra manet. Sciat ipse meum finem, nil hoc obstat, quia nil mihi deest, quo minus salvari queam. Nec hoc solum supponit Theologia veluti verissimum principium, sed & est axioma fidei, ut tradit Ecclesiasticus: *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

clef. 15.

O mei Auditores, quâ munerabitis strenâ tale bonum nuntium? Omnes vos, omnes vos replico, potestis salvari; vos usurarii, homicidæ, sacrilegi, lascivi, non peribitis, nisi, quia vultis perire. Non est, quod accusemus immutabilitatem divinorum iudiciorum, quin potius nostrę voluntatis inconstantiam culpemus, quia, quotquot hic sumus, salvari possumus. An forsan res hæc vobis nova videtur, quod sic loquar? Dicite amabò, nonne hoc est fundamentum spei, quod omnibus nobis Christianis, sive bonis, sive malis, Deus in sacro Baptismate infudit? Videte, & contendite ut velitis, quia felices eritis, si tanto desiderio feramini erga gloriam, quanto Deus exposcit illam vobis elargiri. *Miseratio,* inquit Sapiens, *hominis super proximum suum, misericordia autem Dei super omnem carnem.* *Eccles. 18.*

Nos summoperè percupimus benefacere illi consangvineo, amico, subdito, sed *Deus vult omnes homines salvos fieri.* *1. ad Tim. 2. v. 4.* Nec mihi dicatis hanc esse *voluntatem signi,* vel *beneplaciti,* quia ut mea fert opinio, est voluntas adeò vera, & realis, ut Deus virtute illius cuilibet omnia necessaria ad Salutem præbeat. Obnixè rogo, ut hoc punctum bene capiatis, tum ob consolationem vestram, tum ob iustificationem Dei. Quid vos angit dubium, quod nemo enodare poterit, nempe, an sitis prædestinati, vel non, quia, si non reveletur, nemo potest illud scire. Interim ego vos de hoc assecuro, quod possitis salvari, si velitis; quia, non obstante Prædestinatione, ac reprobatione Dei, cum salva persistat libertas vestra, potestis velle Salutem, eamque volitam potestis obtinere, non quidem viribus vestris, sed gratia Dei, quam cunctis sufficienter subministrat.

 VI. Nec

VI. Nec ex hoc inferatis, quod reprobus possit salvari, quia in bona logica talis illatio non subsistit; nam qui non est prædestinatus, nequit, ut talis supponi. Quod si hoc solum intendatis, nempe, omnes, qui damnantur, potuisse salvari, non solum hoc concedo, sed & insuper dico, quod ideo solum sint exclusi à Paradiso, quia, dum eum potuerunt intrare, noluerunt. Virgines fatuæ vobis adscribatis, quod Cælo non sitis admissæ, quia dum apposito tempore vobis oleum comparare potuistis, id neglexistis. O servi socordes, vobis tribuendum, quod talentum vobis sit ablatum, quia, dum eo nundinari potuistis, illud sub humum recondidistis. Vos infelices vinitores, in vos ipsos culpam derivate, quod vineâ ejecti sitis, quia, dum eam debuistis colere, in silvam excrescere eam permisistis.

Non nego neminem cœnâ Dei admitti, nisi sit vocatus, qui tamen excluditur, is nulli alii caussam affricare debet, quam sibi, cum Deus declaret, quod omnes vocarit. *Multi sunt vocati*, commentatur Theophylactus: *Multos vel potius omnes vocat Deus.* Et credo, quod eum vocantem audiatis: *Venite ad me omnes. Omnes sitientes venite ad aquas.*

In cap. 22. Matth.

Matth. 11. Isaiæ 55.

VII. Hunc errorem vos peccatores mittite. Vos putatis, quod vos excusare possitis, si damnemini, id ex eo provenisse, quia Deus vos noluit salvare. Ast audite, adhuc hodie sese declarat esse innocentem: *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Propositio est negativa, quæ in bona logica omnem voluntatem contrariam excludit. Deus omnes vult salvari, ideoque omnibus media sufficientia præbet ad eum finem. Nec patiar, quod insimulet, me doctrinam tradere parum fundatam; nam antequam Colophonem addam, id efficiam, ut & vos calculum vestrum adjungatis, uti scripsit Augustinus: *Verum est, omnes omnino homines posse, si velint.*

Matth. 18. v. 14.

Lib. 1. retract. c.

Non sum ego Pelagianus, qui negem necessitatem, & efficacitatem gratiæ, nec Semipelagianus, qui, nescio quale, principium, aut inchoationem gratiæ in nobis recognoscam; nam scio, quod *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Præterea haud ignoro, Deum in gratiis necessariis elargiendis esse adeo liberalem, & profusum, ut cum impatientia expectans emtores in officina, eas etiam nolentibus in plateis objiciat: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum, in foribus portarum urbis.*

1 Cor. 1

Sapiem

Nec in minimo credatis Luthero, asserenti hominem lethaliter delinquere, quamvis faciat id, quod est in se, ut obtineat gratiam, nec etiam Novatianis, Catharis, Cathaphrygibus, qui omnem spem succollarunt ad primum peccatum, post Baptismum commissum, nec Montano, Tertulliano, Armachano, qui post certa quædam peccata commissa nullum autumarunt restare remedium: Quia ego faventibus mihi Scripturis, Conciliis, Patribus, defendo constanter, nullum esse adultum usu rationis præditum, [quia de parvulis aliter discurrunt Theologi] qui non possit

Apud 1 disp 39. de præd

possit bene operari, & cõsequenter salvari, si velit.

VIII. Et quamvis nonnulli Doctores Catholici docuerint, peccatores quosdam destitui non solum auxiliis sufficientibus, sed & efficacibus, postquam quasdam species, aut certum numerum peccatorum commiserunt, uti videntur sentire Abulensis, Adrianus, Cajetanus, Michael Medina, Catharinus, Roffensis, Ruardus, Driedo, Zumelius, Bannez, & alii, qui tamen aliis locis se clarius, & melius explicant, nec ita clarè hoc asseruerunt, veluti Gregorius Ariminensis, & Major, quorum primus scripsit *Deum reprobis non dare omnia auxilia sufficientia ad Salutem*, secundus verò, *sceleratis ad tempus subtrahi auxilium speciale, requisitum ad bene operandum*; Attamen contra talem sententiam in campum producam legionem sanctorum Patrum, qui unanimiter docent, nullum à Deo ita derelinqui, quo minus salvari possit, si velit.

Et quid oro dicit Areopagita? Audite eum: *Immensum, & infinitum divini luminis pelagus semper paratum est, & patet omnibus ad participandum.* Quid sentit magnus Martyr Ignatius? *Amator hominum*, inquit, *est noster Deus, & vult omnes homines salvos fieri, propter quod, & Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos.* Interroga Irenæum, & respondebit: *Hi, qui non operantur bonum, iudicium iustum recipient Dei, quia non sunt operati bonum, cum possunt.* Vultisne clarius id audire? Loquatur Chrysostomus: *Quantum*, inquit, *attinet ad Deum, salvæ fuissent omnes tribus Israel, immò, & omnes mortales.* Loquatur Ambrosius: *Vult omnes salvos fieri, si & ipsi velint; nam utique, qui Legem omnibus dedit, nullum excipit à Salute.* Prodeat Prosper: *Manifestaverunt*, ait, *divinorum eloquiorum multa auctoritates, & continua omnium sæculorum experientia docuerunt iustam Dei misericordiam, misericordemque iustitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis, iuvandisque eorum mentibus defuisse.* Loquatur Bernardus: *In medio Templi Misericordia est, in communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit.* Sententiam promat Laurentius Justinianus: *Nulli plane in hac peregrinatione, quantumvis scelesto, & infideli, suam funditus misericordiam denegat Deus.* Mentem aperiat Paulus Orosius: *Mea*, ait, *semper hæc est fidelis, atque indubitata sententia, Deum ad interium suum, non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, verum etiam universis in hoc mundo gentibus, propter longanimem sui, æternamque clementiam subministrare.* Sed sileant discipuli, & solus omnium Magister loquatur Augustinus, qui præter plurima alibi dicta clarissimè concludit: *Ex eo quod non accepit, nullus reus est; debet autem, si accepit, & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem* Ubi specialiter notate illud *sufficientissimam*.

IX. Sed quid adfero Patres in confirmationem talis veritatis, cum plurima concilia pro se habeat? Loquatur Arausicanum, Senonense, Valentinianum; quæ, dum explicant mentem Ecclesiæ, dicunt; *Neque pro sui ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non possit, nec ipsos malos ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse nolue-*

nolue-

[Left margin notes, partly cut off:] ulensis ... st. 12. in 4. Exodi. ... rian. ... st. 3. de ... et. tract. ... uæst. 1. ... n cap. 12. ... in. ... lin. lib. 3. ... ecta fide, 1. ... herin. ... 2. de re ... ior. ... it dist. 1. ... st. 3. ... g. dist. 46 ... st. unic. ... opag de ... sti Hie ... ch. cap 9. ... at. epist. 6 ... Phila ... h. ... næus ... 4. cap. 71. ... rysost. ... n. 16. ad ... n.

[Right margin notes:] Ambros. ad 1. cap. Tim. 2. — Lib. 2. de vocat. gent. — Bernard. serm. 1. de purificat. — Iustinian. de triumphal. Christi agone. — Orosius apol. pro lib. arbit. — Lib. de lib. arbit. c. 16. — Id. in Ruiz. sect. 6.

noluerunt. Et, præter Coloniense primum, Tridentinum: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, anathema sit.* Videte, an non hanc veritatem sibi persvasissimam habuerint Patres, qui Scripturam, quæ videtur insinuare aliquam difficultatem se convertendi, ac salvandi, hisce verbis: *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum*, sic explanant, nominatim Chrysostomus: *Non potuerunt, hoc est, noluerunt.* Et Augustinus: *Quare autem non poterant? Si à me quæratur, citò respondeo: Quia nolebant. Quo ego vado, vos non potestis venire*, dixit Christus, & explanavit sanctus Cirillus: *Non ob negatam bene agendi facultatem, sed ob propriam animi vestri malignitatem, viam Salutis amplecti recusantem.* Nunc dicas, ô peccator, quod ideò non convertaris, eo, quod à Deo non habeas media. Ego parum scire percuperem, quid divinis auxiliis desit. Tu putas eam gratiam esse chymæram, eo, quod vocetur sufficiens. Scias velim per eandem alium iustificandum. Et sanè in hoc fundantur obiurgationes, quibus Christus perstringebat urbes, quibus prædicabat: *Væ tibi, Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia, si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere Pœnitentiam egissent.*

Trid. sess. 6. can. 11. c. 6.

Hom. 67. in Ioann.

Tract. 53. in Ioann.

Ioann. 8.

Lib. 5. in Ioann. cap. 22.

Matth. 11. v. 21.

X. Ite Christiani, ite, & vestram obstinationem defendite dicendo, quod careatis mediis, quibus convertamini; Erit, cum Deus vos convincet, ostendetque plures gentiles minoribus fuisse convertendos. Te inquam Deus crassi mendacii arguet, qui cum tua prava inclinatione, illis contingentiis, dicis te non posse bene operari. Tibi sub oculos ponet tot, & tot, qui mediis debilioribus maiora superarunt obstacula. Et ideò inter opifices, milites, aulicos, mercatores, semper manu tenet homines innocentissimos, ut tuam damnationē nulli alteri, quam tibi adscribas.

Opponite Auditores, quidquid velitis, dogma Clementis Alexandrini est certissimum: *Misericordiam consequitur is, qui potest, & potens est, qui voluerit.* Et sanè, ni ita foret, Deus non posset dicere: *Regnum Dei intra vos est.* Nam, ut dicit Athanasius ex mente magni Antonii: *Virtus, quæ in nobis est, mentem tantum requirit humanam.* Quomodo nos posset Deus obligare mandatis, si negaret ea, sine quibus nequeunt observari? Nonne hoc est præcipere volatum carenti alis, ambulationem non habenti pedes, comestionem ei, cui non essent dapes. Audite Ennodium: *Inter homines à recti discordat affectu, qui à subiectis exigit, quod in potestate non tribuit; hoc de Deo, qua conscientia sentiatur, advertite.* Deus mandat, ut speremus Salutem, & qui eam non speraret, peccaret in Spiritum sanctum, unde infertur Salutem esse possibilem, quia ad impossibile non datur Spes, sed desperatio. Quotidie clamat: *Venite.* Ex quo conficitur, quod requisita nobis contulerit ad itionem, alias nobis illuderet. Inter viatores, & vitâ functos debet esse aliqua diversitas, unde, si omnibus dicatur: *Quærite Dominum, dum inveniri potest*; clarissimum est, nobis non esse ligatos pedes, ut eū quæramus.

Lib. 7. stromatum.

Athan. in ejus vita.

Ad Constant. pro... bit.

XI. Continuò ostium nostrum pulsat, nec aliud conqueritur, quam quod ejus legatos non admittamus, &

quia

quia non vult violentiam adhibere, ideo gratiose expectat. *Liberalis* inquit Cyrillus Hierosolomytanus, *namque DEVS, & pronus ad beneficentiam, expectat tamen cujuslibet propriam voluntatem.* Quod si DEUS ad salutem necessaria non daret, nescio quo fundamento vitia peccatorum perstringere posset virtutibus sanctorum, ac dicere; *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista*; Nam frustra redarguis eum, qui non potest. Et profecto si necessaria ad confessionem negaret principium impediens nostram justificationem nō esset à nobis, sed à DEO. Hinc bene Hilarius. *Primum hoc impiæ est voluntatis existimare: idq; eo teneri quæ sunt credentium propria non consequi quod tibi à DEO indultum non fuerint.* Et nisi semper paratus esset nos juvare, nescio quomodo posset deprædicare suavitatem suæ legis, quam annuntiavit, & oneris levitatem, nec consequenter esset veritas catholica doctrina Tridentini. *Deus jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Nec opponatis mihi scripturam dicentem; *Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum*; Et; *Nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à Patre.* Quia respondeo impios esse tractos a patre, sed noluerunt sequi præ obstinatione, & rebellione. Similiter nec me torqueas phrasibus scripturæ, quibus DEUS dicitur indurare, & excæcare, quia hæ sunt intelligendæ permissive, velle autem nostra culpa; Vide te populos obstinatiores, quam unquam conspexit mundus Ægyptios, Chananæos, Judæos, & cernetis maxima auxilia, quæ iis dedit, Nam illa juxta sanctum Prosperum: *Probant aversionem eorum, non divinæ fuisse constitutionis, sed propriæ voluntatis.*

Catheches. initio.

Matt. 12. 41.

Psal 118. Hilarius.

6. ca. 11. 18.

n. 6. 44.

n. 6. 66.

L. 2. de vo cat. gent. c. 13.

XII. Accipite animam à DEO desertissimam, & animam quidem Judæ, & dephræhendetis, quod nullo auxilio necessario caruerit. DEUS illi nullum meliorem potuit dare advocatum, & magistrum, quam suum filium, meliores sodales, quam Apostolos, maioribus afficere favoribus, quam quod faceret eum principem Ecclesiæ, Thesaurarium divinarum gratiarum, & dignissimum instrumentum suæ gloriæ. Ast enim vero, quod si miserabilis ille postquam erat ditatus tot favoribus, nobilitatus tot miraculis, tot antidotis præmunitus, non induisset laqueum, sed contritionem eliciuisset, fuisset salvatus. Quid ergo culpæ habeat DEUS?

Huc ergo adsitis omnes, qui divinas violatis leges, audite concionem, quâ Christus in Judæis dicentibus. *Quousque animam nostram tollis?* Ac se excusantibus, quod defectu vocationis non sequerentur, errorem vestrum perstringit Recensuit iis parabolam puerorum, qui ad forum egressi, ut sodales invitarent ad choreas, & luctum, postquam eos obnitentes invenerunt, dixere: *Cecinimus vobis, & non saltastis; Lamentavimus, & non planxistis*, Dein subjungit applicationem; *Venit enim Ioannes non manducans, neque bibens, & dicunt; dæmonium habet, venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini publicanorum, & peccatorum amicus, & justificata est sapientia à filiis suis.* Intelligas bene inquit Chrysostomus vim argumenti. Ego

Matt. 11. Luc. 1.

Uu instar

instar venatoris inquit Christus, qui omnes obstruit rimas, ne fera elabatur, omnibus viis quæsivi lucrari Judæos. *Oppositis quibusdam itineribus ego, & Ioannes ad vos venimus, idemque fecimus, quod venatores faciunt.* Sed vos bestiolæ exiles per foramina fasciculorum effugistis. Quantum est ex me omnia adhibui. *Iustificata est sapientia à filijs suis; id est, nulla potui vos attrahere via, quare jure me incusare non potestis.* Auditores mei, ego ad tribunal conscientiæ vestræ vos cito, ut dicatis cur non sitis boni. Sapientia DEI extra culpam est, & clare demonstrat, quomodo post baptismum tibi cætera subministrarit auxilia necessaria ad sanctas cogitationes, & bona opera. Et quid quæso sunt sanctæ cogitationes, quæ occasione illius morbi, afflictionis, in illâ missâ, concione tibi incidunt, nisi catenæ, quibus DEUS te vult trahere? Tu autem eum abigis te excusando, quod si fores prædestinatus converteteris.

Hom. 38. in Matt.

Ego firmiter doceo præscientiam non officere libertati, ideo merito clamo cum Moyse; *Testes invoco hodie cælum & terram; quod proposuerim vobis vitam, & bonum; benedictionem, & maledictionem.* An sis prædestinatus, vel non, nunc scire nequis; id tamen tibi dico, quod DEUS; *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Non curo tantas doctrinas scire, scio quod sim liber, & DEUS cuncta auxilia necessaria subministret, & hoc sufficit mihi.

Deut. c. 30.

Eccle. c. 15.

PARS SECUNDA.

Utinam nullus hodie me perperam intellexerit, & ne censurer ut Pelagianus dum Calvini dogmata effugi. Sto à libero arbitrio, nec tamen id circo minus faveo divinæ gratiæ. Dixi nos esse liberos, & ut tales posse bene operari. Sed hoc asserui, eo quod habeamus auxilia necessaria, & sufficientia, nec in hac doctrina quis contradictoria repererit. Verum in quo ergo prædestinati magis obligabuntur DEO, quam reprobi, si nulli desint auxilia? Audite. DEUS suâ infinitâ scientiâ, cognoscit non solum id quod absolutè futurum est, & est possibile, sed & quod in certis circumstantiis est futurum, quod aliquis iis circumstantiis positis correspondebit vocationi cum gratiâ etiam forsan *Physicè* minori, quâ cum alia esto sufficienti non correspondebit, & ita vice huius dat primam. Sed sint subtilitates suis scholis. De reliquo quid erit nobis Auditores? Fateor ego, quod timeam. Sed quid? Non DEUM, sed me. Certissimus sum de eius pientissimâ voluntate, sed non de mea. Utinam de mea essem certus, nam de illa possum dicere; *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Quocunque me verto mi optime DEUS, video tuam voluntatem esse instar scutorum, quæ me undique cingunt, ac muniunt contra cunctas diffidentias. Tuâ gratiâ sum natus Christianus, tuæ crucis excubitorem fronti meæ inussisti, à gente sanctâ sum instructus, ad religionem me traxisti, & hoc ut me saluares. Sed homo sum qui sæpe mihi male volo, oculi mei sunt instar fulguris, & non solis. Cor meum fluit, & refluit, & indigeo quandoque

Psal. 13.

doque

doque uno Daniele, qui somnia mea interpretetur.

Vidi funestos epilogos Salomonis, Tertulliani, Origenis, & tot aliorum meo ævo, & quamvis dixerit David: *Exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua Domine*; Ego nihilosecius candidè fateor; *A judicijs tuis timui.* En nidum nostrarum pusilanimitatum; Sancti dum hoc ponderarent in sudores gelidos, & in lacrymas resoluti fuerunt; Ita legimus de Domnina apud Theodoretum, Olympiadè apud Palladium, quæ continuo imbre lacrymarum perfundebantur, cum divina judicia horrerent. DE Abbate itaquoque habemus Machario, qui rogatus à fratribus, ut quadam eos doctrinâ solaretur salutari, nil aliud dicere potuit; *Quam ploremus antequam eamus hinc, ubi lacrymæ nostra corpora comburant.* Ast ego omnes hodie solari cupio. Ubi es charissime qui nec duobus diebus vitam duxisti Christianam? Signa prædestinationes tot numerantur, ut zodiacum complere queant. Sanctus Bernardinus reperiit septem, quorum unum est, interesse lubenter concionibus cum animo fructum ex eis capiendi, dolere de peccatis, fugere eorum occasiones, devotio erga DEIparam, charitas erga pauperes, & super omnia *opera bona perseveranter facta usque ad imminentem vitæ finem.* Nescio quale horum habeas, quia vivis uti scis, tam raro de DEO cogitas, ac si non esset: Et tamen nolo quod desperes. Si velis salvari salvaberis. Audi Chrysostomum. *Noli mihi dicere perij qui jam medicum habes fortiorem te, & potentiorem, quam infirmitas tua est; medicum habes voluntatem tuam si volueris emendare & potentem, & cupientem.* Non potes DEO gratius aliquid præstare, quam ut te dedas bonis operibus. Janua paradisi tibi patet, ne ergo desipias cum iis, *qui cum omnibus aditus pateat & à nemine prohibeatur, propriâ duntaxat malitia ingredi recusant.* Propone vivere bene, & de reliquo fidas DEO, & potius eum ames, quam timeas. Non te terreant aliorum lapsus, quia nemo est desertus à DEO, nisi qui prius eum deservit. Quod si Salomon periit, non est defectus auxiliorum divinorum, paucis annis eum toleravit malum, & tamen juxta Prosperum. *Omnis longitudo patientiæ eius, eruditio est pœnitudinis, & oblatio correctionis.* Tertulliano dedit tempus, ut odium mitteret conceptum contra sacerdotes Romanos. Origeni non defuerunt monita salutaria. Eius parens Leonides jam martyrium patiens ei scripsit, caveret à scopulis ad quos postea allisit divinam justitiam provocando, dum de divina misericordia præsumpsit. Præterea miserabilis ille Nero Eremita, postquam tot annis DEO serviisset, stultâ præsumptione delusus, in puteo suos splendores extinxit, nec tamen permisit DEUS, ut subito moreretur, sed vivum eum extraxit, Monachosque ei submisit, qui eum juvarent, sed ille dum vellet perire, quid potuit DEUS?

Auditores, an sitis prædestinati, vel non, ego nescio dicere, attamen vos assecuro quod *qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* Scrupuli-

Marginal notes: Psal. 96 8. — Psal. 118. v. 120. — S. Macar. Titulo de comp. — Ruir. dis. 56. sect. 31. — Hom. 13. in Matt. — Hom. 1. in Io. — In sent. 4. — Matt. 10. v. 22.

retis circa principia dubia, ego certioribus inniti volo. Scio quod injuste non damnabor, nec reprobabor, nisi libere ad hoc concurram. Scio quod quamvis Deus sciat quid sit futurum, hoc tamen non officere meæ libertati. Et Dæmon qui me est perspicacior, scit unam ex his propositionibus esse veram, vel ille est prædestinatus, vel non, & tamen non me desinit tentare, nec Deus me monere, ut satagam, & *per bona opera certam electionem meam faciam.* Scio quod Deus adeo bonus sit erga homines, ut dicere solita fuerit sancta Catharina Senensis, si posuisset in meis manibus salutem meam, ego tamen in nullis aliis, quam manibus illius eam reponerem, & quamvis me vellet damnare, tamen coram toto mundo protestor, quod libenter velim mori pro tantâ bonitate, & satis facere tantæ justitiæ. De reliquo hanc ab eo posco gratiam, ut exiguo vitæ meæ tempore, permittat ut ad satietatem eum laudem, amem, & honorem. Hi


Ex eius vita

sunt actus; quos elicere debemus dum cogitamus de prædestinatione, & non confici tristitiis, quæ nil prosunt. Dicamus cum Augustino: *Nec de judicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri, & misericordiæ eius gratias agimus; quæ liberat non meritos liberari; potest Deus aliquos sine meritis liberare, quia bonus est; non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Correspondete divinis vocationibus, & si pereatis. DEO id tribuite per me licet. Non desunt viæ versus cælum; solum Chrysostomus me facit plorare. *Heu mihi quot ad salutem nobis viæ? Nos corpus suum effecit; nobis suum communicavit corpus, eti horum nos nihil a malis avertit.* His non obstantibus nos ingrati, perversi, nostras nequitias DEO imputare volumus.

Aug. lib. de præd. & gr. c. 15.

Id. l. 3. contro. iul. c. 18.

Hom. 61. ad pop.



CON-

CONCIO Trigesima II.

DE MAGDALENA.

PRO DIE IOVIS PASSIONIS.

Et ecce Mulier, quæ erat in civitate Peccatrix, lacrymis coepit rigare pedes eius. Lucæ 3.

Miraculum summum Redemptoris.

1\. CUriositas, quæ ad ordinaria coeca, solis novellis Pascitur, ad extraordinaria vero est Argus, meâ opinione nunquam Maiori tripudiavit gaudio, quam in illis paucis annis, quibus verbum Æternum sub debilitate humanâ comparuit, & brachium Dextrum DEI ostendit, & in conspectu nostro talia specimina edidit, ut ipsimet, qui Miraculis videndis asueti erant summo stupore defigerentur. Peierarem Josue, qui suo jussu stitit solem, Meysen, qui virgâ divisit Mare, Samsonem, qui mandibulâ elicuit fontem, Elisæum, qui sepulchro eripuit mortuum, admiraturos fuisse. Vidit hoc Philosophus, & non intellexit, qualiter contra omnem rationem Physicam aqua migravit in vinum, qualiter Aqua subiverit pamenti vices; quomodo quinque solis piscibus quinque millia hominum fuerint plaute, & large tractati. quomodo solo nutu ficus arefecerit flo entes, ventos tranquillarit sævientes, lapidibus clausis sepulchro exierit, Cænaculum intrarit januis clausis.

Quinimo maiori stupore defigeretur Medicus, qui sine diætis, purgationibus, Syrupis, evacuationibus, pillulis, incisionibus venæ, Theriacis, conspexisset Christum sistere profluvia sanguinis, febres sedare, Manus sanare, Dæmones eiicere, luto reddere visum cæcis, sputo linguam restituere mutis, puro attactu membris inducere vigorum, solo jussu paraliticos consolidare, leprososmunidare, hydropicos curare, contractos, & usibus membris destitusos firmare, claudis pedes reddere, mortuos resuscitare.

Ast enim vero, quod si quis observaverit magis prodigiosas metamorphoses, quæ in animabus contingunt & eas ponderet Maiori stupore defigetur quippè, quæ magis portentosæ sunt, quam illæ, quæ in corporibus patrantur. Quis enim non demiretur, si consideret suavem violentiam, quâ Petrum, & Andream abstraxit à retibus, Jacobum, & Joannem ab affectione parentum, Matthæum à Gabellis, Zachæum ab usuris, Samaritanam ab Adulteriis, Magdalenam à vesanis

amoribus? Quis non miretur, dum notat, quomodo Magdalenæ instillarit animum arcum diffringendi Cupidinis eumq; propriis sauciandi sagittis, dissolutionem eius verterit in modestiam, memoriâ præteritarum libidinum eam mundarit, quomodo avaros transformarit in justos, acidiosos in sollertes, voluptuosos effecerit austeros, peccatores sanctos.

Verbo Christus tot, ac tanta patravit miracela tam quoad substantiam, quam quoad modum; Vt si loqueretur dicere possent, Auditores: *Nunquam sic locutus est homo*; Si operabatur clamare spectatores: *Nemo potest hæc signa facere nisi fuerit DEVS cum illo*; Margines vestium erant prodigiosæ, sudores exprimebant vultus, sanguines pingebant Syndones, aspectus commovebant corda, discursus rapiebant Auditores.

Ioann. 3. v. 46.

Verũ quæso vos Auditores, videte quænam hodie curiositas me incedat. Inter tot objecta prodigiosa mihi sub oculos posita, cogor decidere, nec me cohibere possum, quodnam sit maius. Necdum penetro quid vos sentiatis, ast si meam opinionem rescire velitis, ego dico conversionem Magdalenæ hodie ab Evangelista descriptam primas inter cuncta portenta à Christo patrata tenere.

PARS PRIMA.

II. Quod si spectemus omnipotentiam miraculorum effectricem, certum est, quod cuncta sint ei æque facilia; sed si consideremus obiecta quæ eorum sunt causa motiva, cum hæc sese in perfectione superent, unũ altero prodigiosius erit. Hoc principio posito, alioq; etiam admisso, quod sancti Patres mihi concedent, nempe conversionem peccatoris esse grandius miraculum suscitatione mortuorum, si probavero inter omnes conversiones, hodiernam esse difficillimam, intentum meum probatum effecero. Et an non vos cum sacris commentatoribus observatis, quomodo ipse Evangelista in stuporem nõ vulgarem actus, Historiam hanc ordiatur uno. *Et ecce*, quo solent gesta inusitata, & non expectata recenseri? Verba, quibus eam describit sunt adeo expressiva, ut quodlibet amplificatione suâ prægrandi miraculum censendum sit.

Mulier. Ergo una *mulier*? Ergone hanc resolutionem masculinam non concipiat quidam vir, qui desistendo à propositis fixis participat aliquid de natura Angelica, sed una femina in capacissima illud, quod melius est apprehendendi Euro instabilior, arundine fragilior, cuius minimum, quod finxisset Simonides, si eam cognovisset, nil aliud fuisset, quam quod supponeret eam à ventis fabricatam? Ergone *mulier* sit, quæ hodie diffringit specula, aromata effundit mundum muliebrem lacerat inaures, & gemmas calcat? Non Menippus, aut Diogenes, sed una mulier incompta, & horrida prodire vult. Mulier, quæ nunquam non se comebat, & poliebat, quæ continuo cerusâ, & stybio se depingebat, quæ assiduo capillos ornabat, nunc tali igne eos flavos reddendo, nunc cin-

cinnos calamistris crispando, nunquã distabat ab arculis, forficibus, speculis, ollulis unguentariis, quò onustior auro, & argento, eò levior, pectus ornabat fasciculus florum, caput aceruus gemmarum, velut illa, quæ degenerarat à sua origine nil habens soliditatis, quamvis ex osse fuerit producta.

III. Ergone *mulier*, ut sibi connectat veritatem, eius se pedibus alligat? Hoc non facit unus Socrates, Pythagoras totus Majestas, & soliditas, verum una dissolutissima mulier, quam bene cum Metaphoris sanctorum Ambrosii Nysseni, Chrysostomi, Maximi, Anastasii describere possumus, quod sit: *Ianua Diaboli, Delectabile detrimentum, viri naufragium, exornata scylla, vestita vipera animal malitiosum, officina Diaboli.* Advocate oro sapientem, qui sollicitus totum peragrare volebat orbem, ut mulierem repetiret fortem? *Mulierem fortem, quis inveniet?* Quia sanctus Lucas ei respondebit: *Ecce Mulier.* En Amazonam, quæ *Manum suam misit ad fortia.* Vetent quantumvis prisci feminis ne nominent Herculem, ut pote quæ ineptæ sunt ad eum imitandum, solisque viris liceat jurare *me Hercules*, ita ut mulieres solum possent jurare per Castorem *pol Castor*; hic una adest, quæ truculentiora monstra in se transtixit, quam fuerunt monstra Erimanti, Mænali, Hydræ lerneæ, Nemeæ.

Ambros. lib. de offic. Nyssen. quæst. 63. in script. Chrysost. hom. 19. in Matt. Maximus serm. 39. proverb. 31. v. Ex Cal. Rhodig.

Romani legem cassent, quâ feminis post vigesimum quintum annum tutores assignabant, ut pote in quibus judicium serius maturescit hic habemus unam, *Quæ operata est consilio manuum suarum.* Ita ut sapientia Increata, quæ eam toti orbi Magistram dedit dicere possit *vides hanc mulierem?* Ne amplius Hæretici Severiani, & Archontici ita insaniant, ut malas feminas à Diabolo productas asserant, nam erroris conuincunter à DEO eas esse creatas, qui eas tam præsigniter corrigere, & emendare potest.

IV. Quod si ulterius asseruerit Menander: *Thesaurus malorum est mulier mala* illi respondebit sanctus Asterius *Thesaurus bonorum est mulier bona* De Levitate muliebri verificabitur illud sapientis: *Qui retinet eam quasi qui ventum teneat*; nam Christus cui venti, & undæ obediunt, unam capillis stitit. Et revera manus Excelsi ad hoc requirebatur, cum hæc fuerit una ex illis, quas quidam vocavit: *Pudicitiæ venatrices in nebula linea ventum textilem induta.*

Ex Epiphan. Lib. 1.

Hom. in c. 19. Matt.

proverb. 23. Petron in sat.

Miraculum, miraculum veniâ vestra mihi ubique clamare liceat. Quæ tota fuit vana jam vanitati vale mittit. Revera miraculum foret, si nostrates Domicellæ, quantumvis alias honestæ, & compositæ post tot confessiones, communiones processiones, conciones sese emendarent, & unicam horulam consultationi ad Crystalla, & specula subducerent, nec cerusâ, & pigmento sese polirent: Quomodo ergo non sit maximum miraculum, quod una Magdalena adeo vana, levis, & dissoluta ad primam Dei vocationem choreis renuntiet, ut sese det planctui conversationibus, ut se conferat ad nemora, mundo muliebri & purpuræ, ut sese amiciat cilicus?

Nec

Nec ex his mihi inferatis Auditores conversionem Samaritanæ foeminæ haud imparis levitatis, & libidinis nec in hilo cedere conversioni Magdalenæ, quia clare ostendam Maiores difficultates in conversione hodiernæ peccatricis concurrisse, quam in conversione Samaritanæ; Quandoquidem enim Samaritana fuerit annosior multo Magdalenâ, quippe quæ jam quinque habuerat maritos, conficitur eam fuisse seneculam, vilem pauperem, quæ nullam sustentare poterat ancillam, sed ipsi haustura aquas ad puteum ire debebat. Ast Magdalena erat nobilissima, degens in Aprili florentissimo ætatis; Porro cum hæc duo sint ea, quæ potissimum ut ego sentio, homines in vitiis detinent, vos omnium primi concludetis, Christum nunquam maiorem potentiam ostendisse, quam hodie.

Nazianzen. orat. 16. V. Uti bene dixit Nazianzenus, Nobilitas hominis sanctarum cogitationum, & propositorum in eodem mater, & nutrix esse deberet; Cum enim ut inquit Salustius, posterorum mentes illustret, sicut virtutes agnatorum clare iis proponit, ita non abscondit eorum vitia sed fit froenum coercens inter limites honestatis eum, qui verum honorem, & nobilitatem profitetur. *In coniur catilin.* His non obstantibus sanctus Fulgentius subintrat, dicitque apud plures prosapiam annosam nil aliud esse, quam grandem fumum, quodque verum sit illud Aristotelis: *Qui revera nobiles, & boni sunt, nusquam centum repe riuntur.* *Fulgent. epist. 2. Lib. 8. pol. epist. 13.* Pauci sunt, qui velint encomium illud, quod olim dedit Sidonius suo amico Nenechio, *agere narrari sine superbiâ nobilem.* De multis merito id senseris, quod de metallo dixit Salustius, quod nempe habeant plures titulos, de cetero vero *Insit illis contemptor animus, & superbia commune nobilitatis malum.* *Lib. 8. epist. 13.*

Enimvero caveant nobiles, ne in vitia ruant, quia non sine miraculo iis se subducent, cum enim non admittant monitores, nec cognoscant inhonestates, & deprimi omnino non se sinant juxta illud Sapientis: *Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ,* pereunt defectu remedii, quod est humiliatio. *proverb. 30 v. 13.* Quod si hæc eveniant in viris, à fortiori succedent in fœminis, quæ magis vanæ gloriæ sunt subjectæ ita ut de iis potuerit dicere Juvenalis: *Intolerabilius nihil est, quam fœmina dives.* *Satyr. 6.*

Magdalena plures possidebat fundos, parentibus orbata, ut sui juris esset, è domo sororis Marthæ & Lazari fratris alio habitatum concesserat, plusquam duodecim annis jam ut Idolum fuerat adoratum à Luxuriosissimis nobilibus Galilæorum, omnes ei adgeniculabantur, eamque reverebantur. Cum ergo eius mores omnino adversarentur humilitati Evangelicæ, annon summum est portentum, quod audiens Christum fuisse virum indoctum, idiotam, filium fabri, inopem, duodecim habentem asseclas laceros, à nobilibus habitum instar stulti, à sacerdotibus proclamatum phantastam, ipsa nihilominus tanto fervore, sancto desiderio inter convivantes ad eum volarit. Prodigium foret, quod Domicella adeo tenax suarum prætensionum, ad eum ablegasset nuntium,

per

per quem rogaret, ut ad se dignaretur venire; quale ergo non erit miraculum, quod in persona propria cum tantâ submissione ipsamet eundem adjuverit?

VI. Verum enimverò an ejus ætas ad hoc eam adegit? Quid rogo vos dicitis? Nonnescitis juventutem hominibus idem esse, quod navigantibus mare, Siculum scyllain eo cum canibus tuum latus allatrat, inter mille vortices Charybdis contra te sævit, scopuli ignium mirandissimorū accenduntur. Epist. 1. *In illo æstu* inquit Hieronymus *Charybdis luxuriæ salutem vorat, ibi ore virgineo scylla blanditur, ibi barbarum littus, hic diabolus pyrata.* Nicander in Ther. Quinimo ut dixit Nilander, juventus fuit pretiosissimum munus, quod Dii in homines contulerunt, qui tamen, illud pertæsi, jumento illud consignarunt, quod dum sitim lenire vellet, serpenti juvenilem ætatem dono dedit, ut is ei aquam potare permitteret. Hæc ætas voluptates sibi tributarias fecit, unde & conficitur inquit Basilius; in c. 3. Isaiæ. *Ut examina innumerabilia vitiorum se adjungant, & agglomerent juventuti.* Basil. in c. 3. Isaiæ. Quilibet pullus excutit jugum. Non est solus ille, qui apud Tragicum, quam diu bullit sanguis indecorum censuit locum dare castis cogitationibus. Deus est ignis qui difficulter inquit Hieronymus concipitur à ligno viridi. Ubi multæ sunt humiditates prosilit fumus, sed non ignis. Ei, qui non vult videre, vix viam Monstres; Epist. ad Nepot. Te ... *Melius, peius, prosit, obsit, nihil vident, nisi quod libido suggerit.*

VII. Profectò nostri fructus nimis acerbi sunt, quamdiu non matureverunt. Hoc prisci significare voluerunt illo insigni Symbolo, seu emblemate, in quo videbatur depictus adolescens nudus, habitibus virtuosis privatus, manum dextram habens ligatam, ne bene operari posset, sinistram vero solutam ad mala patranda, oculis obvelatis, ne occasiones, quas sibi tempora secutura obiiciebant conspicere posset. Interim hoc optimi habebat, quod quia sensim vivere addiscebat, quotidie unum filum panni, quo oculi tecti erant, ei auferebatur. Ast enim, priusquam id legissem in sancto Augustino, jam experientia me docuit, quod *Flos ætatis sit nil aliud, quam periculum mentis.* serm. 246. de temp. De reliquo dicebat Curtius: *Nihil esse difficilius, quam in juventute magnam capere fortunam,* Curt. Lib. 4. dico ego *virtutem.*

Et sane idcirco sumoperè stupeo, Dum video Magdalenam sese dare virtutibus, eo tempore, quo in se trahebat oculos mundi. Sic profectò verificatur, in ea illud Senecæ: *Iisdem vitiis gratiosa, quibus nocens.* Seneca epist. 48. Puella vigorosa in culmo suæ spei erat conversationum jucundarum condimentum, prima motrix jocorum magis dissolutorum, monitiones serias, & severiores irridere asueta, ad detractiones effusior. Verbo *mulier in civitate*, quod idem est, ad femina levis, vana, lasciva, elata, nam vitia civitatum talia secum trahunt, cum Chrysostomus solos pagos laudet velut amicos modestiæ & honestatis. *Laboriosa enim ipsis est vita, & virtutis scholam, atque modestiæ habent culturam.* Hom. 19. ad pop.

Ergone ò sancte timor ita tuis telis mulierem malevolam confodisti. O insignem venatorem, & prædatorem.

Tu volando illam cepisti, & deplumatam mensæ eam inferrè jussisti, dum pranderes cum Pharisæo. Papæ! Grande fuit miraculū mulieri tribuere soliditatem, nobili, & diviti amorem instillare veræ humilitatis fuit majus, sed maximum fuit sub comâ aureâ canas inducere cogitationes, & annis robustioribus indere maturitatem.

IX. Sed quid hæc omnia sunt, si ponderemus, quod tanta suaveloquentiâ è cœno libidinis extraxerit feminam in iis per duodecim annos jam putrefactam? An forsan hic sit morbus, qui à quolibet medico sit curabilis? Dum mihi dixit apud Clementem Alexandrinum Abderita, quod *Luxuria esset immedicabilis morbus* id non credebam, sed postea cum in sanctis Patribus hoc clarissime inveni fidem derogare non potui. Ac inprimis agmen ducat sanctus Isidorus; Nam hic sic asserit? *Libidinis immoderata licentia nescit habere modum.* Succedit sanctus Chrysostomus: *Neque admonitiones, & Consilia, nec aliud quid salvare potest animam sic periclitantem.* Sequitur Beatus Laurentius Justinianus: *Ex his rarus quis invenitur, qui realiter convertitur ad Dominum.* Sanctus Ambrosius. *In hac culpâ facilius inveni innocentes, quam verè pœnitentes.* Agmen claudat Petrus Blesensis, ut alios omittam: *Grave est consulta relinquere, & fere impossibile triumphare de carne, si de nobis ipsa prius triumphavit.*

Lib. 2. pædagog. *Lib. 2. sent.* *hom. contra luxur.* *Lib. de casto connub. c. 3.* *serm. de pœnit.*

Et quamvis id non dicerent Patres, nonne nos quotidie Luce clarius videmus, quam difficile sit aliquem laqueis sensuum extrahere, dum e tot, qui iis irretiuntur, paucissimi iis extricantur? Amandate ad eos, *qui computruerunt in stercore suo*, unum Paulum, vel Chrysostomum, ut totâ luce eloquentiæ Divinæ, & humanæ vitam eorum bestialem in apricum ponant, ac clare ostendantes esse inutiles mundo, ut dicebat Seneca: *Mortifera enim ingeniis luxuria est*, & Philo Hebræus; *Dum voluptas vincit exulat ratio*, & Clemens Alexandrinus loquens de Libidinoso inquit: *Est omnino mortuus, & à ratione tanquam à spiritu, ut cadaver relictus est.*

Ioel. c. 1. *Lib. Alle.*

X. Vade, & lascivis exaggera morbos, in quos corpora coniiciunt, angores, qui animum agitant, vitam, quam abbreviant, infernum, quem sibi accendunt, infamias, quas sibi adsciscunt. Ponas sub eorum oculos funestos fines tot Imperatorum, Provinciarum, populorum, qui à Venere Vulcano consignati sunt, nec hilo movebuntur, ac si mortui essent. Id dudum ante me dixit Ecclesiasticus: *Verbum sapiens audivit luxuriosus, & displicebit illud, & proiiciet illud post dorsum suum*; Nam ut inquit Gregorius. *Hæc sunt desideria viscosa*, quibus dum te extricare vis, magis iis irritiris.

Ecclef. 2.

Libido est Dux cunctorum vitiorum, & *concupiscentia* carnis in infelici ternario apud S. Joannem primas tenet. Alia scelera damnum in certis gradibus inferunt, sed luxuria terminos transgreditur; *Est enim* sunt verba Petri Blessensis *primipilaria iniquitatis, Auriga malitiæ, sicaria virtutum*, fovea scandalorum. Quinimo ante eum dixit Job *Ignis est usque ad perditionem devorans, ac omnia eradicans genimina.* Ignis est, qui mihi in mentem revocat fabu-

1. Ioann. 2. v. 16. *In invect. pravit.* *Iob. 31.*

lam

am, de quâ Nazianzenus. Hic refert, quod postquam Prometheus ignem è cælis suffuratus fuisset, Dii ut talem temeritatem vindicarent, per Pandoram alium ignem per mundum spargi jusserunt, speci etenus lucentissimum, & cunctis coloribus ornatum qui dum cunctis esset placiturus, omnibus exilium afferret.

O Miseros, quos talis ignis adurit! *Supercecidit ignis & non viderunt solem.* Oculis sunt orbati, ne proprium bonum conspiciant, si contingat eos emendari prodigiosum id voca; nam ut advertit Laertius, quamvis ex cunctis sectis Antiquorum Philosophorum fuerint Platonici, qui transiverint ad Peripatetum, Academici, qui facti sunt Storici; Attamen nec unus numerari potest, qui è grege Epicureiorum voluptatibus sensuum immersorum, ad aliam sectam declinarit.

XI. Mi Dulcissime Jesu, ego non tantū demiror, quod potueris abstrahere Zachæum ab usuris patratis, bonum latronem à rapinis publicis, quantum obstupesco, quod Venerem palæstinam ab amoribus impuris avellere valueris. Et quamvis in eorum non eam sententiam, qui sustinuerunt Magdalenam quibusvis suum corpus prostituisse, multoque minus iis subscribam, qui solam vanitatem ei affricarunt, siquidem nemo id asseret, cum scriptura eam titulo peccatricis infamet, id non factura ob vitium feminis alioquin honestissimis familiare.

Putabam me summum vidisse prodigiorum, dum Lazarus Quatriduanus ad vocem Christi è sepulchro prodiit. Sed siste me inclamat Augustinus: *Ecce ipsa soror Lazari melius suscitata est, quam frater eius.* Et ratio est in aperto; nam ubi Lazarus semel tantum mortuus fuit, Magdalena econtra, toties, quoties in libidines prolabebatur, vitâ occubuerat. Ubi nunc estis vos, qui egregie de Verbo humanato sentitis? Audite, quasnam miras metamorphoses patravit suavi fascino sacrorum suorum verborum. Levi brachio, Pantheon lasciviarum evertit, & convertit in sacrarium honestatis, nidum Diaboli in oblectamentem Angelorum, Idolum mundi in arcam sanctuarii Dei, nec aliud dico. Magdalenam ratione sexus imperfecti vanissimam, fragilissimam, mollissimam, ratione prosapiæ elatam, jactabundam, ambitiosam, audacem, ratione voluntatis male habituatæ lascivam, levem, effrontem transformavit in Apostolam Apostolorum inquit Bernardus, Magistram pœnitentum ait Ambrosius.

XII. Et quomodo præ stupore non deficis inquit Gregorius? Quamvis illa conversio fuerit difficillima, tamen est facta. *Convertit ad virtutem numerum criminum ut totam Deo serviret in pœnitentia, quod ex se Deum contempsisset in culpa.*

Postquam jam Discipula veritatis est facta, desiderans apparere, quod erat, vanos ornatus corporis, qui vanas venustates animi mentiuntur abiecit, vitiorum manceps ad eum confugit, qui solus eam liberare poterat, libertat teque donata,

Xx 2 memo-

...at. ad ...s, mulie- *...l. 53. v. 9.* *...ud Cor- ...! in E- ...ng.* *Tract. 49. in Ioann.* *Hom. de Magdal.*

memoriam priscæ servitutis detestans, nec comam ligatam patiebatur. Præterita mente versans, eorumque memoriâ absorptâ, quasi nesciret, quid ageret, se totam sauciam, & vulneratam fatebatur, unguentaque manu gestans ad medicum recurrit. Porro ante omnia se evacuare voluit, & quidem primo venenum, quod antea cor per oculos hauserat, per eosdem ejecit; Habensque perspectum fœtorem suorum peccatorum, pretiosissimorum odorum antitodum secum gestat, & quia Duce egebat, pedibus Christi se alligavit eloquentissima tacendo, suos conceptus basiationibus prodidit, rogavitque amores non tolli, sed in meliores mutari, audacissima per ipsam verecundiam non erat virgo prudens, & tamen velut talis inquit Chrysologus oleum sibi comparavit, & ne forsan excluderetur à nuptiis, comâ se sponso Divino alligavit.

serm. 9. 3.

Miratur Pharisæus, sed ego magis quam ille, audio eam in pace dimitti, velut illa, quæ seipsam tam generose devicerat, quæque nullum amplius habet hostem cum quo dimicet. In illis dispersis capillis video cogitationes collectas, dumque ego eam jam seipsâ vacuam, DEO autem plenam, & novam creaturam factam ad pristinum Domicilium comitor, cogor exclamare miraculum, miraculum. Non est tantum prodigium, quod montes volent, quam videre quod superbi sese humilient, fragiles sese consolident, lascivi sese mortificent. Non credite quod deinceps amplius reluctet. *Transit in affectum cordis peccatrix & numerositatem criminum præponderant pietas intercludit* inquit Petrus Damiani. Dicamus cum Joanne. *Babylon dilecta mea, magna illa Babylon mater fornicationum terræ facta est mihi in miraculum* & quidem tam magnum, ut nescio an Christus grandius patrarit.

serm. in f. 1. Magdal.

Apoc. 13. v

XIII. Et sane nullatenus ei componi possunt miracula circa res libertate carentes, cum enim ex parte objecti sint ignobiliora, non demonstrant tantam efficaciam, ac potentiam. Præterea voluntates rebelles, quæ unquam gratiæ Divinæ sese dederunt, non scio, an ita malé dispositæ fuerint, sicut voluntas Magdalenæ, & quamvis hoc foret, tamen nullam reperio, quæ tam intense Deum amaverit, ac Magdalena. Vix ad amorem se disposuerat, & audit à veritate Divinâ, quæ palpare nescit: (Quoniam dilexit multum.) Præterea Christus Divæ Birgittæ revelavit, sibi tres fuisse animas in mundo præ reliquis chariores, nempe ejus sanctissimam matrem, Joannem Baptistam, & Magdalenam peccatricem. Porro inter quatuor etiam motiva, quæ eum moverunt, ut Lazarum resuscitarit, secundum fuit, ut gratificaretur Magdalenæ ejus sorori.

O te felicem specum, quæ per triginta tres annos virtutes supernaturales hujus Seraphicæ mulieris spectasti! O vos famosæ rupes, quæ ut ejus assiduas æmularetis lacrymas in fontes migrastis, vos si loqui possetis, summo prodigio applauderetis O peccatores mei fratres hodie est nostra solennitas. *Quis enim* do verba Petri Damiani *desperare debeat tantâ peccatrice non solum veniam, sed & gloriam consequente.*

ibid.

Me

Me Hercule Magdalena non immerito illud pauli hodie nobis ingeminare mutatis verbis potest: *Ideo misericordiam consecuta sum, ut in me prima ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad infirmitatem eorum, qui credituri sunt in vitam æternam.* Pauculis lacrymis tam enormes culpæ expunguntur, quomodo ergo vos non plangitis, & quomodo ego vos non potius lugeam? Siccine ergo nos patiamur, quod *publicani & meretrices præcedant nos in regno cælorum*? Taceamus quæso, ut humiliemur confusi, vel ut compuncti restinguamur.

1. ad Tim. 1. 13.

PARS SECUNDA.

XIV. *O si* Clamabat S. Augustinus *possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari!* Utinam ego hodie etiam virtute Christi possem facere miraculum, & illos omnes miserabiles vitæ gratiæ restituere, qui eandem cum Magdalena amiserunt. Quis scit, an non forsan hodie nostra peccatrix cuilibet suas lacrymas communicet? Legimus, quod sancta Gertrudis eam conspexerit Christo adstratâ efflictim rogare pro iis, qui per veram pœnitentiam ad Christum se convertere desiderabant. Et cur hodie mihi id non obveniat, quod quondam Paulo Simplici? Hunc sanctum Deus tam acuto donarat visu, ut abditissima cordis penetraret. Dum ergo quodam die intrantes ecclesiam observaret, postquam vidisset multos vultu Divino, Angelo custode comitante ingredientes, tandem quendam conspexit advenientem, quem plures horrendi Dæmones arctè vinctum fune naribus alligato trahebant, Angelo interim custode moestissimo, & turbato à longè sequente. Quam non fuerit bonus Paulus afflictus, vobis considerandum linquo. Interim, ut nubila sequitur Phœbus, ita maiori solatio Paulus perfusus fuit, dum eum totaliter mutatum & liberum egredientem conspexit, posteaquam enim audisset verba Isaiæ: *Lavamini, mundi estote*, vitæ veteri vale mittens ad Christum conversus est. An nullus horum hic sit? Huc adsis charissime, & quando quæso vecis imitari Magdalenam? Quando tandem nuntium mittes tuæ vitæ bestiali? *Cras, cras* audio nonneminem respondentem cum vacillante Augustino. O miserabilis: *Quamdiu, quamdiu cras & cras? Quare non hac horâ finis turpitudinis tuæ?* Alium audio dicentem, cum extinctus fuerit ignis, tunc cineribus cooperiemur, dum quinquagenarii erimus, mores mutabimus. Non sic Magdalena inquit Augustinus. *Nec ipsa se ad hoc reservavit, ut in fine vitæ suæ pœnitentiam ageret sed dum adhuc peccare poterat*, Sic Deo *inspirante ante voluit peccata deserere, ut illam de adulteriis suis non necessitas subtraheret; sed voluntas.*

Tract. 49. in Ioann.

Lib. 9. insinuat. c. 43.

in vita.

Ex Doctrin. PP.

Isaia 1.

In Confess.

Serm. 10. Fer. 5. post Dom. quinquages.

XV. Siccine ergò tu vitia non linquas, nisi illa linquan te? Ita agendo, eum finem sortieris quem habuit ille comes, quem refert noster Pater Joannes Tolerus libidinum coeno immersum hæsisse usque ad annum nongentissimũ, & dum postea sese eximendum desperavit, hocce epitaphium suo sepulchro insculpi jussit: *Hoc mihi ad inferos iter est.* Ex hoc lecto ad flammas,

In Ecclef.

ex hoc impuro igne ad æternum incendium contendam. Quod si hoc nescias id tibi dicet sanctus Zeno: *Calor iste ultricium flammarum promulgabit incendia.* Et Tullius. *Nemo est dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in voluptate.* Quomodo ergo tu, qui non uno die, sed per integra sæcula inter lutum voluptatum volutaris non sis bestia? Huc adsis, totaliter te stultum dixero, cum solâ fœditate vitiorum virtuti contrariis adeo delecteris? Non nescis, quod Socrates præ rubore caput & vultum obtexerit, si inter legendum aliquod verbum minus castum occurreret. Antisthenes dicebat satius esse privari usu rationis, quam huic vitio sese dare. Scio, quod non ignores illud famosum dystichum Hugonis: *Femina corpus, opes, animam vim lumina vocem polluit, annihilat, necat, eripit, orbat acerbat.*

Serm. 10.

Plato in convivio.

Vidistine illum juvenem ingeniosum? Ut libidini se immersit omnem famam, & applausum lusit; ostenditque esse verum illud Chrysostomi: *Qui talibus vacat, ad præsentem vitam inutilis fit & ad nihil accommodus.* Te ipsum compello an non lasciviæ deditи tibi in vilissimo sint? Scio, quod experimento didiceris illud Chrysologi: *Remanet quod damnat præterit quod delectat, consummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertransit.* Jam minus quam unquam es satiatus, oculi tibi caligant, vita est abbreviata, corpus, & anima consumpta, amores multorum contra te odia concitarunt, rivalis ille frequentes tibi laqueos struxit; & quem ad hæc fructum reportasti?

Hom. cont. Luxur.

XVI. Quod si avarus ille pluribus deliquerit injustitiis, potest adminus ostendere scriniola oppleta, quod si ambitiosus tot annis ad illam se fatigarit aulam, tandem suos titulos auxit, & jam est comes, aut Marchio. Ast tu infelix, quid tibi restat ex tuâ lascivia? Quiete animi es privatus, corpus habes mille ulceribus plenum, famâ, & honore es exutus, apud Deum meritorum inops. Quousque ergo in tali statu hærebis? Quod si non daretur cælum, vel infernus, an non res ipsa loquitur, & clamat quod sit summa insaniavitam ducere bestialem ob voluptatem adeo brevem, fœdam, & ingenio, judicio, divitiis, famæ, vitæ nocivam?

Non nego id respondet mihi nonnemo, optime loqueris sed quomodo me moveam, si sim ligatus. *Non ferro alieno sed mea ferrea voluntate.* Habeo animam velut Plotinus sulphuream, quam quælibet scintilla accendit. Habitus pravus annosus est, & quamvis illo non semel me expedire voluerim, tamen possum dicere cum Augustino: *Consuetudo adversus me pugnatior ex me facta est, quoniam volens, quo nollem perveni, & ita etiam vires meæ similes sunt conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis ultitudine remerguntur.* Ita ego ab hoc malo curari vellem, sed non possum.

Ex Lib. Confess.

Quid? Non possum? Ergone ita injurius sis omnipotenti gratiæ Divinæ, qui, ut te ab hoc, & quolibet alio morbo sanet, ex proprio cruore balneum paravit? Potuit una Magdalena, unus Augustinus, Bonifacius, Pelagia una Mar-

Margareta Cortonensis, & tu non possis? Deest tibi velle, non posse. An unquam de remedio cogitasti, quo tali malo medereris, non dico stagno congelato Bernardi, vel ribus Benedicti, nivibus, & carbonibus Francisci, lapidibus Hieronymi, sed fugiendo otio, vitatione societatum pravarum frequenti confessione apud eundem sacerdotem, qui possit cognoscere tuas recidivas, & eas curare, nidificatione in plagis salvatoris, refugio ad sinum Mariæ, sedulo labore? Obtestor te, accingere ad opus, & nisi evaseris mus ponticus, qui poties mille velit oppetere mortes, quam vel semel in peccatum ruere, despera, quia non obstabo.

De vita Beata, cap. 10. Agedum, Agedum inquit Seneca *Constante sibi pudicitiâ virtus salva est.* Quod si hoc vitium debellaris, nullum aliud habebis; quod tibi vitet vitam probam, & Christianam. Vel semel illi vitio vos eximite. Audiamus Chrysologum: *Imitemur hanc mulierem, quam conspicimus non solum carvisse pe catis,* sed ad totum sanctitatis verticem pervenisse. Vade mi frater, adsterne te pedibus crucifixi, ad bonam te dispone confessionem. Mentem imbibe compuncti Augustini, & cum eodem dic. *Veh peccatis meis DEUS meus! Oppone me mihi, & impinge in oculos meos, ut inveniam iniquitatem meam, & oderim eam. Revertamur jam Domine, ut non evertamur; disrumpe vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: una spes mea, una fiducia mea, una firma promißio misericordia tua.* Ex Lib. *Confeß.*

AMEN.



CON-

CONCIO XXXIII.

PRO DIE VENERIS PASSIONIS

Si dimittimus eum venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. Ioann. 11.

Monentur politici, quomodo velle emergere sine DEO sit via brevissima ad perditionem.

I. ILlud desiderium, & appetitus ille innatus, quo desideramus conservare illud esse, quod habemus à DEO, est tam firmiter in creaturis omnibus radicatus, ut etiam illæ, quæ sensu, & ratione carent, in nil aliud operosius incumbant, quam quomodo media quærant, quomodo suum esse perpetuent, & quomodo omnia illa longe arceant, à quibus possunt destrui, unde totis viribus possibilibus illa complectuntur, quibus iudicant se posse conservari. Quum animalia ipsa in hoc puncto sint nobis sagaciora, condonandum nobis est, si nos, & nostra tam sedulò curemus. Non sunt Geographi, & tamen sciunt, quæ climata illis conducant, non sunt Astrologi, & tamen tempora iis magis propitia cognoscunt. Non sunt medici, & tamen nullum est periculum, quod electura sint herbas minus sanas. Non sunt Architecti, & tamen nullo indigent, à quo doceantur, quomodo nidos struere, & spelæa conficere debeant.

Aranea novit, quomodo debeat ordiri telas, cum tamen nunquam fuerit in scholâ Textoris, scit cervus, quomodo curentur plagæ, & tamen nunquam addidicit Chirurgiam. Ast enim vero an sensu carentia, non ostendant eundem zelum, quo velint conservari? Gutta aquæ in terram delabitur, & illico timens ne à terra absorbeatur sese convoluendo in globum communit. Cadit gutta olei in lacum, & quamvis aliæ guttæ propriis commisceantur, & sic suæ dispergantur, tamen semper modum reperit, quomodo proprias rursus uniat. Exigua exhalatio terrea à sole calefacta inter frigidas nubes decidit, & subitò contra contrarium ambiens se munit, eique resistit, ut tandem ex illo carcere æris cum rumore à toto mundo audito sese proripiat.

Quis ergo hodie succensere merito possit Caiphæ, qui ut non minus se, quam suo ab hostibus Romanis se defendat, Concilium, & senatum convocat? Talis zelus transcendens est in omnibus

omnibus rebus quæ habent esse adeo-que & homines, nulli lectioni tam operosè incumbunt, quam quomodo se, & sua defendere possint. In hoc toti sunt, quomodo sanitatem muniant contra morbos, tot remediis, tot vallis, tot refocillationibus, tot restaurationibus tectorum, vestium, morsulorum, pillularum, pharmacorum, antitodorum, quomodo conservent divitias contra latrones tot industriis, tot excubiis, tot cautelis, tot clavibus, tot catenis, tot scriniolis, tot angulis, tot conclavibus, tot scrobibus, & sepulchris, quomodo vitam propugnent, & libertatem contra inimicos, tot fossis, aggeribus, munitionibus, vallis, propugnaculis, turribus, mœniis, arcibus, tot generibus scutorum, ensium, cassidum, loricarum, panopliarum.

Ast enim vero, ego politiam, quæ nobis mortalibus est congenita non intendo corrigere, & emendare, sed bene proposui solenniter exhortari, Politicos ut illam fugiant, quæ est vitium, quamque impius exercuit Caiphas, qui ut se conservaret, medium elegit offensionem DEI. Absit tamen ne aliquis suspicetur me hodiè in cælum os ponere velle, ut actiones Principum sugillem. Tanta temeritas cum meâ vilitate non consistit, nec mea religio id sufferret, ut eos perstringam, quos adeò ipsa reveretur, & suspicit. Profectò me stultum proderem, si cum novellis Fictoribus de rebus discurrerem, quas non intelligo. Non adeò desipio, ut velim Delphinos docere natationem, aquilas volatum. Exempla Principum adducam, cum videam ea à privatis non observari. Id quod perstringam pro omnibus est, ut scilicet cuncti cognoscant, quod velle lucrari sine DEO sit unicus modus se perdendi.

PARS PRIMA.

II. Quod detur Politia vera, sancta, christiana, quæ Pietati non sit injuria, nec justitiæ adversa, utpotè media convenientissima adhibens, ut crescat, industrias rationabilissimas usurpans, ne desinat, solum inficiari poterit aliquis stupidus Anabaptista falsò credens Deum omnia agere, absque eo, quod Imperia aliquid agant, nec se incommodent. Hi ita desipiunt, ut ratibus bellicis nullam invehant machinam bellicam, nullo sclopeto se muniant contra hostes, sed manibus dimissis absque ullo verbo vitam cum bonis profundant. Pecudes, & jumenta solâ providentiâ DEI reguntur, hominibus ratione, & libertate præditis secundariè providentia necessaria est, nempè operationes propriæ, quæ ita à DEO dependent, ut in nullo liberum arbitrium lædatur.

Flori mund. Lib. de Orig. Hæres.

Vade itaque, & per sex menses, per integrum annum libros rationum non lustres, prædia non visites, ad omnes occasiones sis cæcus, surdus ad sana consilia, liberalis erga omnes, omnibus indiscriminatim fidens, solerisque te dicendo, DEUS providebit; nam id verum erit, si te etiam juves, nam *Dij non nisi agentes adjuvant.* Quis dubitet Deum omnibus assistere? Cum hoc tamen non vult tuam

fovere ignaviam, sed solum supplere defectum. Vult, quod sicut Nauta debet esse expertus, ut naviget, ita & tu artem calleas, ut vivas, ut quidem eum semper spectes tanquam sydus polare, non tamen negligas, quin attendas ad mare, ut suo tempore ejus fluctus rumpas, suo loco scopulos vites, vela expandas, vel contrahas, funes laxes, vel stringas, auram expectes prosperam, ad portum tendas, pyratas effugias, brevia vites.

III. Vt vivamus necesse est Principem intendere regimini, mercatorem negotiis invigilare, divitem sua Bona curare, pauperem laborare, ut suis miseriis eripiatur. In hoc cardo rei versatur, ne ob temporalia amittamus æterna, honestum postponamus utili, conscientiam bonis, cœlum muneri, paucam hereditatem DEO. Bene me intelligatis, Dæmon qui omnia novit, vobis offeret optimas occasiones lucrandi, sed cum usurario contractu, occupandi illam arcem, sed stratagemate illicito, obtinendi illam dignitatem, sed cum oppressione alterius. Sed cave, quia ego ex parte DEI protestor, te omnia amissurum, quæ cum offensione DEI conquirere speras. Et revera hæc veritas necessario prædicanda est. Pejerarem ego Christianitatem ad tantas miserias ideo redactam, eò quod abusus maximi in eâ grassentur, quos Sapiens se vidisse dicit. Per *tria movetur terra, & quartum non potest sustinere per servum cum regnaverit, per stultum, cum saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, & per ancillam, cum fuerit heres Domina sua.* Proverb. 30 v. 31.

Porro hæc ancilla juxta Gaufredum est falsa politia, quæ verâ omissâ, varia attentat. Mundus optimè procedebat cum suâ sinceritate, & primæva innocentiâ, antequam eum perverterent nequitiæ Machiavelli, Bodini, Plessis Mornei, & aliorum politicorum, ac Atheorum, qui pro ideâ principum non assignant Constantinos, Theodosios, sed unum perversum Tiberium, qui etiam à suis maximam solum tulit laudem, quod vitia sua celare posset.

IV. Quomodo hodie æstimantur optimi tractatus politici, & œconomici Thomæ Aquinatis, Ægidij Romani, & aliorum Doctissimorum Doctorum, qui sua dicta super solidiores Doctrinas sacræ, & profanæ Philosophiæ fundarunt? Judicantur simplices, & ideo negliguntur. Qui modum regendi addiscere vult librum evolvet, qui statuet hæc axiomata illustria; perinde esse qualem quis profiteatur religionem, nec curandum, an sis Catholicus, vel Lutheranus, fidem non esse servandam, nisi hoc tibi utile fuerit, Virtutes non esse necessarias, sed sufficere, ut quis eas fingat.

gat. Ex his fontibus turbidis bibunt illi, qui in hoc puncto meliori ſe jactant præſtare palatu. Et revera boni ſæpius perduntur Principes, dum putantes ſe habere conſiliarios conſcientioſos audiunt conſilia tam prava, ut Dæmon pejora non poſſit ſuggerere.

Verum enim verò DEUS è ſummo cælo ad tales, qui tam pravis principiis innixi, ſuos fines obtinere volunt clamat. *Væ, qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis Conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos, & quis novit nos?*

Iſ. 29. v. 15

O Mortales vos pedetentim, & ſuaviter proceditis. Vos forum pertranſitis, ac ſi unici, & ſoli Domini eſſetis. Attamen, & hæc ſchola habet ſuum magiſtrum, qui ſeptimanalia repetet, hæc domus habet ſuum Præfectum, qui rationes exiget, hæc militia ſuum Ducem, qui errata corrigit. Hic quidem non videtur DEUS, ſed ſcietur ab iis, qui eum provocant. Præter hoc, quod nullus veſtrum opinetur cum Epicuro, qui docuit: omnia evenire fato damnatis eum, qui apud Sophoclem dicit: *Nullius eſt providentia. ſed caſu quodam, ut quilibet poteſt vivitur.*

V. Audite Niſſenum: hic aſſerit tam eſſe evidens dari providentiam, ac notum eſt exiſtere DEUM. Eſto non legatis Platonem, Triſmegiſtum, Theodoretum, vel alium ex Patribus, hoc dogma vobis tam certum eſt, ut Picus Mirandulanus ſcribere potuerit, nullum à ſe lectum Authorem, qui Providentiam negarit. In praxi verò ſi quiſpiam ſua dilatare velit, & ambitio altiora meditetur, de mediis cogitat, videtque quis poſſit ei inijcere impedimentum, & ita ſecum diſcurrit. Si illum perdam, habeo intentum, cum talibus colit amicitiam, quæ Domino poteſt eſſe ſuſpecta. Propalemus id Domino, & vincemus. Siſte amabò, ſi DEUM offendas, qui omnia gubernat, voto non potieris. Hæc altè animo imbibenda, agimus enim de puncto, à quo fortuna dependet. DEUS meum deſiderium non approbabit. Sed quid refert? Ergone DEUS tibi truncus ſit? Tantum refert, ut nunquam tibi benè ſit futurum, aſcendes, ſed ut lapſu graviore ruas. Has tuas fraudes ordieris, ſed *In conſpectu ſolis hujus*, non habebis intentum, ſed & perdes, quæ habuiſti. Proles tuæ mendicabunt per plateas, tu cum famâ libertatem perdes, & in profundum carcerem conjectus epilogum tragœdiæ funeſtæ facies.

VI. Huc adiis. Videsnè hanc inſignem machinam Vniverſi? Quid dicis de ſoliditate, quâ ſtabilita eſt terra, de harmoniâ, quâ voluuntur cæli, de concordi diſcordiâ, quâ miſcentur Elementa, de prodigiosâ facilitate, quâ organizantur mixta? Quando

ver, aut æstas fuerunt impedita? Quando confusi sunt menses, anni fuerunt prolixiores, quando sphæræ, & astra confusionem sunt passa? Quid tibi videtur de mutatione auræ? Nunc ridet in serenitate, nunc corrugatur in nubibus, nunc liquescit in pluviis, nunc condensatur in grandinibus, nunc coloratur in iridibus, nunc strepit in tonitribus. Quid censes de paroxismis, & syntomatibus maris, quod inhabitatur à tot piscibus, subigitur à tot ventis, ditatur tot gemmis, & coralliis? Quid dicis de terrâ, quæ semper mutat scenam, nunc oneratur frugibus, nunc ornatur floribus, nunc sternitur glacie, diversissima est à se in iu silvis, hortis, collibus, valiis, luto, marmoribus. Quid tandum judicas de insigni republicâ animalium, quorum aliqua sunt perfectissimi musici, alia Venatores sedulissimi, alia debilia, sed valde solicita, aliqua semper affixa terræ, alia per aerem vagantia, aliqua armata unguibus, squamis, spinis alia vestita setis, lanis, plumis, alia decorata ingenio, robore, audaciâ.

1. Cor. 8. v. 9. Quid dicitis? *Nunquid de bobus cura est DEO?* Videte, quam sit insignis providentia DEI, quæ omnia tam artificiosè composuit. Videte, quam insigniter formaverit alas muscæ, aculeos vespæ, linguam cicadæ, lineamenta foliis, aristas spicæ, nodos gramimi. Hæc omnia porrò nobis creavit, & conservat, undè si tantam habeat circa ea providentiam, quantò maiorem non habebit de nobis? Alias sanè cur nos creasset, si postea nos relinquere voluisset libertati nostræ stultæ. *Cum aliquid non fecisse nulla injuria sit* iuxta Ambros. *non curare, quod feceris summa inclementia.* Stultissimus est, qui cogitat inquit Tertullianus, quod DEUS, *stet in otio plurimo placidæ, & stupentis divinitatis.* Lib. Offic Cap. 13. Contra V lent. C. 1

VI. Sed revera non est minus crimen eum tantum condemnare ad curam rerum, quæ si habent esse non habent sensum, si habent sensum, non habent animam. Filii Adam pellite hunc errorem, quia in despectum eorum, qui volunt vivere juxtà proprium cerebrum, est verissimum illud Boetii, quod *In regno Providentiæ nihil licet temeritati* Illa, quæ nobis videntur lusus liberæ fortunæ, sunt motus Providentiæ ordinatissimæ. *Verbum divinum choreas in orbem ducit*, inquit Philo, *& hoc vulgus hominum, fortunam vocat.* Nos attribuimus casui, quod Mercatores transierint, dum Joseph esset missus in cisternam, quod filia Pharaonis ad ripam obambularit Nili, dum Moyses illi fluvio fuit commissus, quod Pater Saul perdiderit asinas, quod David suis fratribus victualia portarit; attamen exitus docuit, hæc fuisse opera Providentiæ divinæ, qui Joseph voluit esse Provisorem Ægipti, Moysen salvatorem Populi, Saulem evehere ad solium, Davidem donare diademate. Lib. 4. de Consolat. Lib de n tabilitate

Liben-

Libentissimè concedam hunc mundum esse scalam Iacob. Quod si vos per eam velitis ascendere, levate oculos dicit Philo, & videbitis eam inniti DEO, qui rerum nostrarum est unicum fulcimentum; *Tantisper enim dum ab ipso sustentantur inconcussa manent, & integra.* Si à DEO velitis regi, bono omine ascendite, nam si se subtrahat è scalâ ruitis.

Lib. de somnio.

VII. Vbi sunt illi, qui omnia ex proprio cerebro gerunt, & in suis nil minus spectant, quam quod DEUM habeant propitium? Nonne mea exhortatio vos declarat stultos? Vos scitis nullum moveri folium arboris, nullam condensari guttam aquæ, nullum atomum in aere moveri sine DEI scitu, permissione, actuali concursu, quomodò ergò vobis persuadere potestis, quod conniveat, & cæcus sit ad vestras machinas, quæ tam multis obesse possunt? Ergonè DEUM censetis tantum amicum Nebulonum, ut permittat imò approbet felicem successum hujus, & illius molitionis, quam vos in subdito morte puniretis? Date vos, & loquar. Credo, quod nostrum plures falsissimam imbiberint opinionem, nempe justum DEUM supplicia sua usque ad infernum differre.

Ps. 33. v. 17. Non, non, etiam hic: *Oculi Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum.* Teste Senecâ in hac vitâ? *Quod quisque fecit patitur Authorem scelus repetit, suoque premitur exemplo miser.*

Seneca Trag. I. act. 3

Quorum prosperitate offendimini ii necdum extra hanc scholam sunt, iisque suus dies servatur. Ego, qui necdum sum senex plures tales puniri vidi. Præterea Argentonius Politicus sapientissimus plures congerit, qui suo ævo per eadem media à DEO perditi fuere, per quæ evehi volebant. Verisimile est, quod Sozomenus historias legerit. Sed quid hic dicit? *Mihi DEVS videtur ostendere solum pietatem Regibus sufficere ad salutem, & sine hac nullius esse momenti Exercitus, robur Imperii, & reliquum apparatum.* Quod ipse scripsit de Principibus, hoc ego de omnibus dico. Qui Deum non curat habere faventem, nil conquiret, quod durabile sit. Politici hoc nolunt intelligere, & tamen est veritas irrefragabilis. Audite Nicephorum: *Vbi divina Providentia non commilitat consiliis, actionibusque hominum, tunc neque vir consultus, consultus, nec fortis, fortis, sed etiam sapientissima consilia insipienter desinunt, & generosa maximè, & fortia facta turpem, & infamem exitum consequuntur.* En causam, cur tot nostri conceptus in fumos abeunt. Nos omnes nervos adhibemus, sed quia Providentia divina non cooperatur peccatis, nec favet machinationibus perversis, in optimâ occasione ventus deficit, & cælo sudo hæremus, velut Icari à nostris inventionbus præcipitamur in mare miseriarum.

Lib. 4. Hist. Eccles. C. 1.

Nicephorus. Gregor. Lib. 7.

VIII. Vtinam nos Rex Roboam stultissimus emendaret, & doceret. Ille velut plures nostrum, ut se sta-

se stabiliret, DEO neglecto, qui eum solus fulcire poterat, omnes suas industrias adhibuit. Audite sacrum Textum. *Ædificavit Civitates muratas, posuit in eis Principes, ciborumque horrea.* Melius; *sed in singulis urbibus fuit armamentarium scutorum, & hastarum, firmavitque eas summâ diligentiâ?* Optimè; sed quid? *Cum roboratum esset regnum Roboam dereliquit legem Domini.* Nunc videte eum perditum. *Adscendit Sesac Rex Ægypti, & cepit Civitates munitissimas in Judâ, & venit usque in Jerusalem.* Neque nihilo melior fuit politia Regis Roboam, qui ei decem Tribus ademit. Ad solium evectus à DEO, dum deberet recordari, quod Regna iis conservantur artibus, quibus initio parta sunt, Diabolicâ ratione status imbutus, quâ metuebat, ne per profectionem religiosam ad templum Jerosolomytanum, & infinitorum miraculorum, Salomoni, & Davidi excusso jugo, velut legitimis Principibus adhærerent, ad idololatriam subditos cogere voluit. Hunc astum politici extremis laudibus afficiunt, velut unicum medium se conservandi, sed DEUS mendacii crassi eos arguit. *Propter hanc causam peccavit Domus Jeroboam, & eversa est, & deleta de superficie terræ.*

2. Paral. Cap. 11. v. 14. & seq.

3. Reg. 13. v. 34.

Vulpes, vulpes, quid mussitatis intra vos? Hac vice vos capere volo. Si attendatis, reti nostro copiosos pisces attrahemus; Quis vult vos capere? DEUS id dicit per Oseam: *Ego, Ego capiam, & vadam, tollam, & non est, qui ervat* Putabitis vos intentum continere pugno, sed statim elabetur instar anguillæ; corrogabitis nummos, sed in sacculo perforato, putabitis domos vestras stabilitas, sed inopinato, fundamenta evellentur. Non videbitis aliquem, qui exterius sese vobis opponat, sed interius habebitis teredinem consumentem. Optimam œconomiam adhibebitis, sed in vanum, DEUS enim messem, & vindemiam, in aerem sparget, negotia non prævisis impedimentis destruet, vitâ vos exuet, & heredibus privabit.

Cap. 5. v. 14.

IX. Bona ergo media, & amicos optimos adhibete. *Isti ædificabunt, & ego destruam dicit Dominus.* Tu decernis, sed DEUS, qui à Joanne visus est habere stellas in manu fortunam rotat, & omnia pessumdabit. O vos simplices, qui dum negotia non succedunt delusi ab Astrologis creditis Saturnum in Angulo Orientis dominatum fuisse, & Jovem in Angulo Orientis humiliatum. Audite; *Non ab Oriente, neque ab occidente, sed quia DEUS Judex hunc humiliat, & hunc exaltat.* Prohibeat impius Julianus, ne aliquis Christianus ad militiam admittatur, ne forsan ad solium adscendat, non tamen efficiet, quo minus ei nō succedant Jovinianus, Valentinianus, Theodosius. Ne mihi dicatis, quod rota fortunæ, omnia vertat. O stultos! *Dereliquistis Dominum & ponitis fortunam mensam, & libatis super eam.* Eum vobis infensum redditis, qui solus vos potest fovere, & fortunatos reddere, & dein errores vestros ei adsci-

Malach. v. 4.

Ps. 34. 7

Is. 65. v.

adscribitis. Vestra scelera, & non adversa fortuna vos deprimit, justoque DEI judicio finem non consequimini, quem pravis mediis voluistis obtinere.

Videte an non mea exhortatio bene fundata sit. Enim verò, quis est iste qui dicit: Dolosos absque scrupulo per fas, & nefas sua dilatare, se autem per pietatem premi, nec ditescere? Mentiris, si ita loquaris, & si tempus permitteret, innumeris ostenderem historiis, pravos nō adscendere, nisi ut gravius ruant, nec bonos deprimi, nisi ut altius evehantur. Politici mihi pauperi religioso inexperto in materiâ status nolunt credere, attamen fidem adhibeant Historiæ, quam refert Sozomenus, Marcellinus, Cassiodorus, & Nicephorus.

X. Sub annum Christi 408. Imperium occidentis Honorius Princeps moderabatur, & quidem feliciter, nisi in eos incidisset, qui publicum Bonum ad privatum interesse trahunt. Constantinopoli inopinatò mors Arcadii Orientis Imperatoris per Epistolium delata fuit Romam, & illicò tanquam fratri parentatur lugibri amictu. Interim conceptus coloris non fuêre nigri. Stilico plus quam Dominus Honorii utpote bis ejus socer, in Consilio magno proponit unionem duorum Imperiorum. Nulla erat resistentia, pupillus Theodosius est octennis, bolus ei potest parari, & dein lugeri velut à vermibus extinctus, Pulcheria, Placilla, Arcadia, Marina recludi possunt in monasterio. Rex Persarum Isdegerdus eorum tutor tanquam procul dissitus non est quod timeatur. Alaricus Rex, vel Dux Gothorum in Illiricū jam invasionem parat, exercitum jam habet Stilico ad manum, quo Thraciam, Græciam, & reliquas Regiones occupare potest.

Videte parumper, num ad hanc propositionem ambitiosus Princeps oculos aperiat, qui simile attentarat in vitâ Arcadii. Iam vestes apparantur Aulicis, & omnia splendidè non intermissis operibus adornantur ad solemnem ingressum in urbem Constantinopolitanam, applaudunt Consiliarii, illi autem, qui injustitiam vident, tacent ne gratiâ, & aulâ excidant.

XI. Loquitur interim terra inquit Baronius, quia Romæ, ubi hæc conclusa sunt, per septem continuos dies resonarunt horrendissimi terræ mugitus, qui illud bellum detestabantur. Sed quæso vos Consiliarii mei, liceat mihi verbum loqui, antequam è senatu abeatis. Num putatis quod DEUS tali injustitiæ non resistet? Dicitis, ut vacem meo Breviario. Parebo, sed væ vobis, si exaudiar; nam Breviarium refertissimum est abominationibus, quibus DEUS execratur eos, qui se contempto, Imperium augere volunt. Exequimini vestras machinationes, ego Constantinopoli vos expectabo. Hem, quis regnat in illo Palatio? Vna puella quindecim annorum vocata Pulcheria, quæ suo sponso Christo Virginitatem consecravit, suadetque sororibus ut idem faciant, fraterculum Theodosium docet artem aliis imperandi, ut nempè se domet, jejuniis se castiget, timendoque Deum, nullum alium timeat.

Omnia

Omnia bene ò Generosa Heroina, sed aliud exigitur, ne regnum amittatur. Politici nostri ævi te deriderent, & subsannarent. Pietas inutilis est, fortuna est inversa. Miseri Principes! Vester patruelis jam vos tractat, velut mancipia, & non velut consanguineos, primum nuntium audietis, quod sitis traditi. Video ex Italiâ naves ad Portum appellere. Videbo, quid novi adferant. Heus, quid novi in Occidente? Omnia pessimè vadunt. Adsitis huc parumper vos, qui non vultis capere unicum mediū ruinæ esse exaltationem, quæ fit cum offensâ DEI. Stilico proditionis reus Ravennæ capite est minutus, ejus uxor occisa, filius, cui Imperium destinarat necatus, omnesque Conspiratores pessumdati. Alaricus cum Gothis rediit in Italiam, eamque ferro, & igne vastat, jamque obsidet Romam, Honorius fugit, & Patria exhauritur, ut Romam obsidione liberet.

Ast enim verò, an non vultis mecum spectare tam solemnem justitiam, quam DEUS vult exequi? Revertor in Italiam, & video Romam post duorum annorum obsidionem prædam Barbaris factam, peste, & fame adeò vastatam, ut Hieronymus horruerit ejus miserias referre. Invenio Honorium errabundum ad iniquissimas pacis conditiones adactum, auguratio-nem quatuor Imperatorum propriis oculis conspexisse, nempè Attali, Iovini, Maximi, Castali. Reperio Imperium in plures partes dissectum, Italiam occuparunt Gothi, Franci Galliam, Wandali Hispaniam, Burgundi, & Angli rebellarunt. Video miserias Honorij derivari in ejus filium Valentinianum. Ita fit, ut suum perdat, qui aliena injustè vult, quique bellis Gothorum, Wandalorum, Suevorum, Alanorum, Hunnorum sua augere voluit, sese confiteatur annihilatum. Verbo, *Non est providentia, non est consilium contra Dominum.* *Proverb. v. 30.*

XII. Advocate mihi illos Consiliarios, qui Honorio tam malè suaserunt. O Proditores vestri Principis, qui offensione DEI ejus regnum amplificare voluistis. Ego horas meas recitavi, vos interim politiâ vestrâ felicissimum Imperium destruxistis. Credendum est exemplis quotidianis, & non belluis aphorismis unius perversi. Theodosium inermem juvenem opprimere voluistis, sed is, qui timuit Deum, feliciss imè rexit quadraginta duobus annis sub directione Pulcheriæ, hoc est pietatis. Ex Occidente contra eum insurrexerant Scythæ, & Hunni, ex Oriente Persæ; sed DEUS Roilam Schytarum ducem fulmine prostravit, ejusque exercitum pluviis nunquam visis Thraciâ eiecit, Hunnique qui Constantinopolim iam expugnare, & deripere volebant, dum inter se discurrerent de gratiosis moribus, Theodosij, Vldam suum ducem deserverunt, & statim Homagium Theodosio præstiterunt. Honorius econtra, qui magis vestris politicis consiliis, quam sanctæ, & divinæ legi credidit, dum unum gradum

dum scandere voluit, centum descendit. Quid dicitis mei Auditores? Non ago de puncto exigui momenti, & quamvis hoc sit verissimum, tamen homines capere id non volunt. Audiamus Ambrosium; *Quo quisque sanctior est, eò tutior.* Neque ullus respondere poterit Chrysostomo, qui fervens in cælum clamat: *Quis servare potest eum, qui à DEO oppugnatur, aut quis perdere eum cui ipse fert auxilium?* Qui ascendere tentat DEO brachium non porrigente, fallitur, & qui DEUM sibi promittit propitium sub actuali commissione peccati, gravem ei infert injuriam, & merito pro optatis favoribus immania exspectet supplicia. Verum, dum ego moneo politicos, moneor à socio meo, quod sim nimis prolixus, interim emendabo me.

Lib. 1. de virg. in expl. it. psalmi 7.

PARS SECUNDA.

XIII. Quid putatis Auditores DEUM apud Ezechielem significare voluisse mysterioso illo curru tracto à bobus, Leonibus, aquilis, hominibus? Plures ex nostris doctissimis interpretibus litteralis sensus amicissimi, nempe Hieronymus Pradus, Gaspar Sanchez, Ludovicus Alcazar censent moti circumstantiâ temporis, quo talis visio facta est, utpote post devastatam Hierosolymam à Babyloniis, DEUM ob victoriam reportatam ab inani spe sui populi rebellis, qui sine DEO felicitatem sperabat, triumphum instituisse solemnem, in quo illa animalia non solum traherent currum, sed & essent trophæa, & symbola devictarum præsumptionum. DEUS per varios Prophetas ijs exterminium minitabatur, sed surdis semper auribus canebat; nam populus nec in minimo movebatur, sed totum se fundabat in perspicacitate suorum consiliorum significatorum per aquilam, fertilitate agrorum expressâ per bovem, vigore Adolescentum denotato per vultum hominis, experientiâ, & generositate belli ducum declaratâ per Leonem.

Videte inquiebat DEUS, quomodo vos comprehenderim, omnia vestra subsidia mihi subiecerim. Quando ego vobis non faveo, frustra adhibetis consilia, frustra exstruitis munitiones, lectissimum scribitis militem, duces colligitis expertissimos. *Sine me nihil potestis facere.* *Ioann. 15. v. 5.*

Sed an nostro ævo similes triumphos DEUS non agit? Quin imo, & quidem omni momento, & singulis horis. Est, qui confidit suo ingenio, copiis auxiliaribus, viribus, consanguineis, pecuniis, & ideo DEUM deservit. Verum DEUS vicit, potestateq; suæ divinæ providentiæ, omnes ejus molitiones elisit, & pessumdedit. Interim politicus rem felicem non habuisse exitum asserit, eo quod principia politica non fuerint servata, nec obstacula examinata. Sed quis illum errorem permisit? DEUS, qui *Quem vult punire dementat.*

 XI. Quis

XIV. Quis dubitaret, quod homo tam sagax non prævideret sinistrum suc essum? Sed quia principio fuit motus pessimo, pessimum quoque habuit finem. Videbitis plures in mundo virtute vitiorum crescere, sed permittite, ut duos, vel tres gradus adscendant, & videbitis DEUM è scalâ calce eos petituros, & deturbaturos. Successus rerum à solo fine sunt petendi, ita asserebat David, qui solutionem illius magni dubii non capiebat: *Donec intelligam in novissimis eorum.*
Psl 72 v. 17 DEUS juxta Augustinum est Poeta, & varia componit carmina, nec tamen scit fingere. Ille incipit unum carmen, & vos vultis illud scandere, antequam sit finitum. Nisi exspectetis finem, varios reperietis errores, quos non reperietis si carmen scandatis, cum fuerit finitum. DEUS non vult nos adeo festinare, permittit aliquod opus incipi, & finit quod aliquis callidus habitum induat innocentiæ, & mundum decipiat. Tu interim offensus inquit Augustinus
in psal. 25. statim clamas: *O DEUS, DEUS, haccine est justitia tua?* Et DEUS respondet. *Haccine est fides tua, aut adhoc Christianus factus es, ut in sæculo floreres?* Siste, carmen tantum est inceptum, & tu jam vis illud scandere. Erit, cum videbis Aman patibulo appensum. Non habeo magnam experientiam, sed nunquam vidi, quod DEUS diu sinat impios florere. Scio, quod
Gen. 4. v. 7. *Si bene egeris recipies, sin autem malè in foribus peccatum tuum aderit.* Cyryllus Alexandrinus magnum quid mihi dicit, & ego ei credo. *Quotquot cultu, & obedientiâ, quæ DEO debetur impiè contemptis, suo fastui, suisque libidinibus liberè indulgendum esse putaverunt, omnes hi malè, miserèq; perierunt.* Bene hoc intelligatis, nam DEUS suis verbis stat, *Quicunque glorificaverit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vide quid agas, nam DEUS eos deprimit, qui in ejus despectum volunt adscendere. de rectâ fi ad Theod. 1. Reg. 2. v. 30.

XV. Intelligant meam monitionem omnes Patresfamilias, & illi omnes, quibus animarum cura commissa est. Siquidem DEus punire volens malam politiam alicujus superioris, simul in eo omnes subditos puniet. Vos id non creditis, sed audite casum, quo finio. Ladislaus Rex Hungarorum quosdam articulos pacis cum Turcarum Imperatore Amurath jurejurando concluserat, perbella dein sese occasio ei obtulit illos violandi, cum non exiguo commodo, quos dein persuasus à politicis contra omnem justitiam rupit. Provocatus Turca in bellum ivit, in quo videns suos numero paucissimos victos, oculum in cælum levans, & scriptum originale articulorum initorum producens, (quod etiam Stephanus Papa fecit contra Adolphum, qui contra pacta jurata urbem Ravennensem occupavit, uti videre est in Sigonio) illudque Lib. 3. de Reg. Italiæ Bonfin Decade L. 6.

que coram cælo explicans exclamavit: Hæc ſunt pacta JESU Chriſte, quæ tui Chriſtiani mecum injuerunt, & inita nomine ſui DEI ruperunt. Viden hoc grande ſcelus, damnum eſt meum, injuria tua. Quod ſi tu ſis DEUS, ut illi dicunt, meas injurias cum tuis vindica. Iuraſſes totum cælum in favorem Barbari arma corripuiſſe, nam Hungari perfidi turpi ſibi fugâ conſuluerunt, Rex Ladislaus occubuit, & Hungariæ regnum Turcis ceſſit.

Nunc aures parumper erige. Si DEUS tanto Principi non conniveat, qui fraudulentus fuit, dum de ejus commodo agebatur, & conſervatione tot eccleſiarum, ac animarum, & hoc ideo ſolum, quia *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, quomodo parcet tibi, qui non propter regnum, ſed ob exiguum lucellum decipis non Turcam, ſed tuum fratrem, viduam, & pupillum?

Et quamvis principibus, dum DEUM deſerunt maneant exercitus, aulæ, theſauri, adhuc tamen non poſſint ſe manu tenere, quid ages tu miſerabilis, qui expoſitus manes omnibus injuriis fortunæ, quamvis quatuor ſolidos lucratus fueris? Vobis loquor, qui nimium veſtræ ſubtilitati fiditis. Terrefaciat vos ſomnium Domitiani, quod recenſet Suetonius. *Iam periturus ſomniavit Minervam, quam ſuperſtitioſè colebat, excedere ſacrario, negareque ſe ultra tueri eum poſſe, quod exarmata eſſet à Iove.* *Suet. in Domiti.* Negotium vobis intercedit cum DEO, qui callidos proprio reti aſtutiarum capit. Ille DEUS tibi tollet intellectum, & politici dicunt, quod erratis, contra illud axioma politicum; ego tamen dico tuum fuiſſe errorem, dum deſerviſti Deum, qui omnem fortunam gubernat. Omnes monui. Proteſtor de novo, ſi aliquis acquiſitionem paucarum opum, honorum amiſſioni DEI, & animæ proponat, quod idem illi eveniet, quod proceribus hodiernis malè conſulentibus, nam epitaphium iis ponetur, quod iis poſuit Auguſtinus: *Temporale regnum ſpirituali prætulerunt, & utrumque amiſerunt.* *Tract. 49. in Ioan.*

AMEN.

CONCIO XXXIV.

PRO DOMINICA PALMARUM.

Et ut appropinquavit videns Civitatem flevit super illam, quia si cognovisses, & tu. Lucæ. 19.

Deplorantur animæ, quæ non cognoscendo tempus suum divinis vocationibus non respondent.

I. MUndus quantumvis sit cæcus, tamen habet quædam lucida intervalla, quibus suas obligationes agnoscit. Alias Christum eiecit, hodie autem ei obviam procedit, alias eum traduxit tanquam ministrum Dæmonis, sed hodie eum adorat, tanquam filium David, abjicit lapides, & palmas manibus amplectitur, ab accusationibus transit ad encomia, ab injuriis ad inclinationes, à præcipitationibus è montibus, ad sublevationem triumphorum. Mi dulcissime Redemptor, multo melius insides huic iumento quam olim in præsepio ad pedes alterius iacuisti. Summoperè gaudeo, quod tua bonitas tandem malignitatem invidiæ superet. Exulto dum amorem, applausus, acclamationes, trophæa erigere cerno. Tu inter pueros te laudantes meæ quoque linguæ balbutienti facundiam dona, & locum concede. Non habet nisi laceras vestes, attamen pretiosæ erunt, si tu super eas transeas. Si careat fructibus, honorabit te frondibus, nec tu eam illo tempore dedignaberis, ubi integra multitudo defectum particularem supplet.

Sed heus Domine, tu ne plangis? Tu ne die adeo festivo te tristem, melancholicum exhibes? Revera à nobis in omnibus differs. Ergone aspectus tam magnificæ Civitatis, qui aliorum oculos delectat, tuos contristet? Ita Auditores. *Videns civitatem flevit super illam dicens, quia si cognovisses, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Alii sacri Ecclesiastes cum turbis, tuos celebrent triumphos, ego hodie tecum in lacrymas prorumpam, & nil aliud plangam, quam quod tu planxisti, nempe totalem ruinam animarum, quâ tempus suum non cognoscunt, nec divinis vocationibus obtemperant. Si aliquem potentem exorcismum scirem contra Dæmonium meridianum, eum

eum hodie adhiberem. Interim meum aſſumptum eſt adeo potens, ut poſſit eſſe viſicatorium omni capiti, & potius inducere lacrymas, quam ſomnum.

PARS PRIMA.

II. Miſer peccator bene de te dicere potuit Iſaias: *Scientia tua, & ſapientia tua ipſa te ſeduxit.* Tu inniteris quibusdam Theologiæ certiſſimis principiis, ſed perperam à te intellectis. Dicis, divinas gratias nunquam fuiſſe nimis ſeras. Hoc non nego, dummodo veniant. Dicis, quod hodie non fit, futurum craſtinâ die. Ita, ſi ſit tempus. Aſſeris nullo non tempore peccatores à DEO admitti, ita ſi trahantur. Viden pauliſper, an non aliis Doctrinis, tuis mederi velim malis, quæ tuæ Doctrinæ tibi inferunt. Bonus Catholicus, & qui non eſt Pelagianus, credit gratiam ad opus bonum neceſſariam, non eſſe à nobis, ſed à DEO. Non diffiteor quidem, quod DEUS liberaliſſimus proviſor ſufficientem det gratiam reſiſtendi tentationibus, & vitandi peccatum mortale, nonnulla tamen auxilia ſpecialia, ſine quibus nemo poteſt emergere è ſtatu peccati lethalis, recondita ſervat, nec ea donat, niſi quando, ubi, cui ipſi placet.

[I]ai. 44. [v]. 14.

Intelligite me in ſano ſenſu, qui veſtro damno Theologos agitis. Quamvis enim vobis peccato lethali inquinatis non negentur auxilia ſufficientia, quibus nova vitare poſſitis; attamen quædam motiones particulares requiſitæ ad converſionem, non omni momento ſubminiſtrantur. Hæc Doctrina non eſt mea, ſed eam in terminis docent graves Theologi, Toſtatus, Adrianus, Cajetanus, Roffenſis, Driedo, Tapperus, Andreas Vega, quos citat, & ſequitur doctiſſimus Bellarminus. Mittamus errorem, & monitum Sapientis audiamus: *Fili conſerva tempus, & devita à malo.* An loquitur de tempore, quod cæleſtes ſphæræ ſuis circulationibus formant? Non; nam hoc eſt flumen, noſtrum autem eſt torrens, & qui illud non amplectitur quando venit, manet ſine aquâ. Id agnoſcere viſus eſt Seneca, dum ſcripſit. *Cum velocitate temporis utendi celeritate certandum, velut ex torrente rapido, nec ſemper caſuro hauriendum eſt.*

[T]oſtat. L. 4. [i]n exodo [A]dri. q 3. [d]e poen.

Caiet. q. 1. centra Roff. it. confut. art. 36. Luth. Dried. Tract. 5. de capt. & red. gener. hum. Tapp. expi. art. 3. Lovan. Vega. L. 13. in Trid. Bellarm. de gra. & Lib. arb. Eccl. 4. v. 23. de brevit. vitæ C. 9.

III. Miſer peccator, tu præcipitatus es in puteum, ſæpius tibi funis porrigitur, ut exeas, ſed tamen non ſemper ad puteum pendet. Naufragium paſſus es, & in inſulam deſertam ſerpentibus plenam ejectus, ſæpius Scaphæ transnavigant, quibus poſſes ſalvari, interim falſum eſt, quod unam anchoris firmaveris, & tuæ poteſtatis habeas. Tu ab impetuoſo torrente tuæ malitiæ raptus es, non infrequenter portaris ad truncum, quem complectendo te ervere poſſes, ſed tamen non ſemper illud auxilium ad manum habes. Hæc auxilia à DEO determinata ſunt, & quo plura neglexiſti, eo pauciora reſtant. O miſeros illos, qui probaticam piſcinam non ingredie-

gredìebantur nisi, dum Angelus discederet, nam frustra in eadem se lavabant. Invenio illos vinitores, qui vocationem Patrisfamilias primâ, secundâ, tertiâ horâ à DEO sibi factam non audiverunt, aliis horis non fuisse iterum vocatos. Sacer textus expressè declarat, quod in omnibus aliis horis alios invenerit: *invenit alios.* Optimè dixit Ecclesiasticus, *Tempus omnis rei sub cælo est*; Et ante eum Salomon: *Omni negotio tempus est, & opportunitas.*

Matth. 20. v. 3.

Eccl. Cap. 8. v. 6.

Quælibet res postulat suum tempus, ut utiliter semines non sufficit granum, & solum, sed prætereà exigitur tempus, luna, mensis determinatus. Ad navigandum non satis est navem habere paratam in portu, sed & secundus ventus necessarius est. Avis Alcinoë non quolibet die nidificat, & nisi videret conjuncturas faventes, nunquam nidum strueret. Formicæ observant tempus colligendi, apes mellificandi, plantæ florendi; Nos homines solum rationales nostrum non videmus etiam ad facem lucis Evangelicæ. Nos pixides occlusas habemus, & dum in scenam prodeundum est, videmus oleum in lampadibus deficere, nec illud emptum imus, nisi Venditor discesserit.

IV. O nos miserabiles, qui manum ad poma non extendimus, nisi denuò sublimata fuerint. Hinc S. Joannes velut Babylonicos nos irridet dicens: *Poma desiderii tui recesserunt à te; væ Civitas illa magna Babylon, Civitas illa fortis, quoniam unâ horâ venit judicium tuum.* Transit una occasio, transit altera, & statim omnes præterlapsas videmus. Optimè interrogabat quondam Comicus, quale verbum in Grammaticâ esset miserrimum, & responsum est, Præteritum *Habuisse*. Miserum istud Verbum, & pessimum *Habuisse*. Pessimum fuit Hannibali, quod dum posset Romam suæ facere potestatis, eam permiserit sibi rapi à deliciis Capuanis, Pompejo, quod dum posset paucis diebus ante pugnam Pharsalicam Cæsarem totaliter delere, ex incuriâ eum permiserit elabi fugâ. Pessimum fuit damnatis, quod cum toties in manibus habuerint claves aperiendi cælum, illis uti non potuerint. Videant illi, ne in infernum labantur, qui invertendo ordinem rerum, Pascha celebrant ante septimanam sanctam, quique quolibet die feriali feriantur sicut diebus festivis.

Apoc. 18. v. 10.

Plautus Rudente.

Nunc judicate, an non Dæmones sint irrisuri horum Sabatha anticipata, juxtà illud. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabata ejus.* O nos infelices peregrinos, qui constricti in tenebris ambulare, eum non admittimus, qui facem porrigens dicit: *Ambulate dum lucem habetis.* O stultos Nautas! Sciatis mare Mundi esse simile Oceano Messanensi, quod fluxibus, & refluxibus continuò agitatur, & dum in Portum appellere cogitas, nisi observes fluxum torrentis, in altum repelleris. An nos unquam vidimus mendicos, qui uno aureo sibi dato se excusant, & rogant ut eum des posteà? Non certè, sufficit, quod sciant diem, & horam, quâ distribuitur panis, & illam accuratè observant.

Jerem. in Threnis c. v. 7.

Joan. 12. v. 35.

V. Infaustum profectò nuncium ad-

...e singularitate Cleri... rum.

um adfert Cyprianus: *Ordine suo non nostro virtus spiritus sancti ministratur.* Nos autem supponimus contrarium. DEUS liberalissimè suas distribuit gratias, sed tunc, quando ei placet, ita ut nulli de hoc rationem reddere teneatur. Nos ingentia contrahimus debita, & interim ita stulti sumus, ut illa solvenda ab aliis putemus. Promittimus nobis à DEO res, quas ille nunquam dare cogitavit. Ipse occasiones omnes suis habet in manibus, & nos nobis imaginamur, quod eas in nostris habeamus. Reverà parum advertimus, quid voluerit significare Phidias illa celebris statua occasionis, quæ solam habuit capillatam frontem, eo quod semel præterlapsa nunquam rursus haberi potuerit. Optimè, optimè inquit Bernardus: *Volat irremediabile tempus, nec advertis insipiens quid amittas.* Tot occasiones evanverunt, quibus benè operari potuisti, nec est possibile, ut eas rehabeas, nec certus es, quod alias sit habiturus.

...rm. de tri... ici custod.

Audite, & tremite ad hoc omnes, qui pensatis DEO vos gratificari, quod ejus sitis. Perditur occasio benè faciendi, si repellatur, cum oblata fuerit. Sed tamen non est summum malum, quod id eveniat ex eo, quod nostrum tempus non agnoscamus. Verum id merito formidare nos debemus, quod inspirationi divinæ non parendo, pluribus aliis viam præcludamus, & ita forsan omnes ludamus. Vbinam es tu, qui dicis, te ideò aures non præbere inspirationi modernæ, eò quod alias sis habiturus. Verum, si hæc auxilia specialia semper haberes in tuâ manu, reverâ largius eas prodigere non posses. Interim es Catholicus, qui credis à solo spiritu sancto eas distribui, & dispensari. Idcircò à Cyrillo Hierosolomytano hunc titulum fert: *Magnus Parochus gratiarum omnium.* Vellem, ut responderes interrogationi Bernardi: *Vnde scis tu quòd iam tibi subvenire velit, quem tu interim sic repellis?*

Ciryll. Catechef. 1. Bern. serm. 38.

VI. Tibi Deus factus est peregrinus, nec attendisti, quod dixerit se non rediturum. O Deus est bonus, & redibit. Sed quid si tantam ingratitudinem puniturus non redeat? Quinimo dicis, revertetur. Sed quis tibi hoc addixit. Audi Bernardum: *Maledictus, qui peccat in spe.* Augustin[9] te monet *Metuendū est ne te occidat spes.* Salvianus *Nullus difficilius evadit, quam qui evasurum se esse præsumpserit.* Nunquam evoluo cathalogum Hæresiarcharum, quin non statim totis artubus contremiscam. Ergone dico tam perversi viri è Christianis exierunt? Nicolaus fuit unus è septem Diaconis, Macedonius, Nestorius, Syrus, Phocius, Petrus Napheus fuerunt dignitate Patriarchæ, Paulus Samosatenus, Photinus episcopi, Origenes, Novatus, Ærius sacerdotes, Themistius Diaconus, Berengarius Archidiaconus, Pelagius monachus, ut alios taceam.

Tract. 33. in Ioan. Lib. 4. ad eccles. Cath.

O Deus bone, an non hi vixerunt eo tempore, quo non nisi sanctissimi ad religionem, & ordines sacros admittebantur? Quomodo ergo à tam sanctis principiis, ad tam tragicos fines devenerunt? Mihi respondet David. *Perierunt propter iniquitatem suam.* Fuerunt instabiles, uni vocationi

Ps. 72. v. 19.

tioni responderunt, alteri non, & ita iram DEI in se attraxerunt. Non nego, quin Lutherus ex sancta intentione religionem intrarit, fulmen prope eum decidit, & consternatum è mundo ejecit. Sed quia suæ vocationi non correspondit, omnia sua amisit, nam ut dicit Hieronymus: *Qui Angeli esse voluerunt, spiritualem recipientes rorem, nec inter homines deputanter.*

In Cap. 1. Mich.

VII. Nobis religiosis hæc specialiter dicuntur, nos Deus vocat ad singulariorem perfectionem, quod si eum audiremus, illam nobis gratiam donaret, quæ post se multas alias trahit. Dum autem videt nos eam non curare, permittit nos ut froena affectibus laxemus, ita, ut fideles alios lapsibus non exspectatis, sed promeritis scandalizemus. Hac ponderatione Deus à sanctis obtinuit totum id quod voluit, sufficiebat, ut iis hanc considerationē instillaret: Quis me certum reddat, Deum salutem meam non alligasse huic sanctæ inspirationi? Et illico nullum fuit gaudium, quod eos delectaret, nullum desertum, quod eos terrefaceret, nullum tormentum, quod eos prosterneret. Dum scio divinam gratiam in cælo natam, & educatam, tota est gratiosa, affabilis, urbana, & humanissimè nobiscum, cælestibus comitatibus parum assuetis agit. Ita Hildebertus. *Officiosa est hominibus gratia.* Est Protheus Paradisi omnes formas assumens. Ideo nos hortatur sanctus Petrus, ut simus. *Boni dispensatores multiformis gratiæ DEI.* In bello juxta Paulum, est scutum nos muniens, juxta Hieronymum turris nos protegens, juxta Chrysostomum murus nos defendens. In navigatione est tabula Geogrophica nos regens, cynosura nos ducens, ventus sereno cælo nos vehens, tabula in naufragio nos salvans. In tenebris est lux nos illustrans, in morbis medicina sanans, in tepore ignis inflamans. Famelicis est cibus, debilibus fulcrum, persecutionibus agitatis asylus. Videt egenos, & non vocata iis succurrit, pericula detegit, & quantum fas est impedit. Regit affectus, eosque cohibet, intellectnm illustrat, & acuit. Vt verbo ejus gratiositatem describam sufficit, dicere, quod sit gratia: *Omnibus omnia, ut omnes lucrifaciat.* Est instrumentum omnis operis boni, dos conscientiæ bonæ, clavis unica cæli, pretium unicum comparandi Deum.

Epist. 33.

1. Petri 4. v. 10.

VIII. Ast enim vero, quis crederet, terrorem mihi incuti à tantâ gratiositate? Quandoquidem violentiam execretur, si non admittatur, non intrat, *Quia qui creavit te sine te, non salvabit te, sine te.* Quod si ergo, dum sine gratia salvari non possimus, illaque tam sit mansueta, ut vi intrare nolit, de nobis actum sit, quomodo nos simus tam aggrestes, ut eam non libenter admittamus? Dicis, quod cuicunque alteri gratiæ dare locum velis, sed non ei, quæ modo est præsens. Ast ego replico, Davidem ex hoc capite fuisse solum sanctum, quod semper à nutibus DEI hæserit: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Ps. 84.
Diligenter omnia auxilia à longe venientia

[Psal. 118. v. 6] nientia prospiciebat: *Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Erat vir secundum cor DEI, [Act. 13. 22.] quia omnes voluntates DEI implere conabatur: *Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et quomodo te non terret propositio Augustini: *Negligentes DEVS deserere* [in psal. 118.] *consuevit*, aut illa Gregorii: *Punitione* [Hom. 33. in Evang.] *gravi dignus est, qui sæpe DEI gratiam contempsit*, aut ipsius Christi: *Auferetur à* [Matt. 21. v. 43.] *vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructum bonum?* Quis te certum reddit, quod Deus tam inurbanè rejectus sit reversurus? Non invenio, quod Pater familias Evangelicus, convivas plusquam semel invitarit, sed auditâ eorum insolenti excusatione servos non misit, ut novas instantias facerent. Non reperio, ullum Apostolum plusquam semel vocatum. Verum si res ageretur, uti hodie nos fingimus, quodque illud, quod hodie fieri potest, differri queat in crastinum, jam Christus non tam sollicitè nos conaretur excitare à somno Hæc porro sollicitudo, docet in somno posse perdi occasionem, quam frustra excitati investigamus.

IX. Audite energiam verborum, *videte, vigilate, & orate*, & cur hoc totum mi Domine? *Nescitis enim quando* [Marc. 13. v. 33.] *tempus sit, quod autem dico, omnibus dico vigilate.* Vos ipsi, vos decipitis, non [Cap. 18. v. 26.] omnia tempora eadem sunt. *A mane* inquit Ecclesiasticus *usque ad vesperam* [Marc 13. ibid.] *immutabitur tempus.* Acquiescite, nam is qui illud scit, dixit: *Nescitis quando Tempus sit.* Vt ergo unum conquiratis, necesse est omnia lucrari. Vos putatis Civitatem DEI non habere portas, aut eas non claudi, ita ut semper ad eam pateat ingressus. Non sane, sic enim eam non conspexit Joannes, & Paulus, qui & hodie è cælo clamant, *Festinate ingredi, festinate ingredi.* Ponti- [Heb. 4. c. 11. v. 14.] bus attractis, ne tentetis ingredi, quia audietis cum virginibus fatuis: *Nescio* [Matt. 25. v. 13.] *vos.* Accelerate gressus, nam Angelus Apocalypticus jurat, *Per viventem in sæ-* [Apoc. 10. v. 6.] *cula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Vos peccatores creditis me loqui hebraicè, interim aliqua dubia à vobis mihi solvi vellem. Vos scitis inspirationes extraordinarias esse legatos DEI, ita Jsaias. *Quis surdus, nisi ad quem* [Is 42. v. 19.] *misi nuntios meos?* Et sanctus Bonaven- [Lib. de 7. bonis.] tura: *Hæc est legatio vere sufficiens.* Nunc adeste, an non legistis plures Principes ingentissimis copiis militaribus vindicasse injurias suis legatis allatas? Tam sacræ, quam profanæ historiæ talibus exemplis scatent. David ob eandem causam destruxit Ammonitas, Hercules Trojanos, Cambises Ægyptios, Darius Athenienses, Alexander Tyrios, Crotonas Sybarias, & Roma in hoc puncto tenacissima evertit Fidenates, solo æquavit Chalcides, & Thebas, obsedit Tarentinos, Venetos expugnavit, Cenones perdidit, & Mithridati bellum indixit fatale, ut sileam alia hujusmodi, videnda in Dione, Diodoro, Dionysio, Herodoto, Pausania, Plutarcho, Livio, Appiano, Athenæo. Quid? An ergo min⁹ putatis Deum injurias curare illatas suis vocationibus? Audite, quid suis mandarit præconibus? *Pro Christo legatione fungimur, qui-* [Matt. 10. v. 14.] *cunque non receperit vos, nec audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.*

ſtris. Ad quid vos reſoluitis Auditores? Dicunt mi Deus, pauliſper adhuc expectes, ſtatim quippè tibi audientiam præbere volunt.

Non, non inquit Deus, qui me jam non vult non me meretur: *Excutite pulverem, Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum & Comorræorum in die judicii, quam illi civitati.*

VII. Mi adoleſcens, quandoque Deus te reſpexit, uti teſte altero, Pallas reſpexit ſitum urbis Athenienſis, & eam ſtatim elegit, judicans. *Regionis naturam talia ingenia polliceri.* Deus tuo ingenio ſubtili, dexteritate ad ſublimia uti voluit, ad illam religionem te vocavit, ſed quia legato aures non præbuiſti, te deſervit. Sed edic, an tibi non videtur, quod abiens pulverem pedum excuſſerit? Quale hujus remanſit veſtigium? Nec ullum ſignum conſcientiæ illius teneræ tibi reliquit. Nec ullas habes reliquias illius modeſtiæ in eccleſia, honeſtatis in verbis, frequentiæ Sacramentorum. Iam quidem rides, ſed erit cum plorabis. Ego interim vobis merito, qui ita contemnitis legatos DEI dixerim, id quod quondam Romanorum legatus dixit Tarentinis, qui in foro ejus veſtem irreverenter lutis deturparant: *Ridete, ridete dum licet, tunc tandem flebitis cum hanc veſtem ſanguine veſtro eluetis.* Vos dicitis auditores, quod vos terrefaciam id non nego. An non agimus de puncto terribiliſſimo Evangelii, Ipſemet Auguſtinus ſecuritatem non habens metuebat: *Non dabo quod non accipio, timens terreo, ſeveros vos facerem ſi ſecurus eſſem.* Et cum mens Chriſti dicentis, *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, non videantur fulmina?* Neque Iſaias promiſſis, Ieremias precibus, Ioel minis te convertere potuerunt. Inſuper cum nec ego tot miraculis, monitionibus, gratiis id efficere potuerim, ne novum Chriſtum amplius cum novis Apoſtolis expectes. Veniet Titus cum exercitu, non veniet amplius pluvia ignis cæleſtis, ſed undique furor flammarum infernalium, qui te evertent.

Plato in Igmmeo.

Dion. in Excerp.

in pſal. 84.

Matth. v. 39.

VIII. Intelligis hoc mi frater? *Mutato nomine de te fabula narratur.* Tu ſemper credis, quod ſicut ante, in foro cordis bonæ cogitationes ſemper ſpatiari debeant, ſed ne hoc credas. Quinimo dico tibi, *Relinquetur Domus deſerta.* Audies conciones, ſed non compungeris, afflictionibus obrueris, ſed non emendaberis, ad mortem venies, & id non advertes. Ergone Auditores ad talem ſtatum deveniamus? Quæſo vos, ne id me dilatare permittatis. Ego nullatenus in eorum eo ſententiam Theologorum, qui opinantur, quod dum peccator certum numerum peccatorum à DEO præſcitum committit: majorem in uno quam in alio: eſto DEUS ei tunc non ſubtrahat gratiam ſufficientem, eum tamen nolit convertere ob ingratitudines præteritas. Id unum ſcio plures tam liberè abſque ullo remorſu conſcientiæ peccare, ut merito verear,

Matth. v. 38.

An

An non illo supplicio puniantur. Quod si autem hoc non fit, libenter rescirem, quid significent illa verba à DEO dicta Abrahamo *Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus*, per Amos: *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.* Aut per filium suum ad Judæos: *Implete mensuram patrum vestrorum?* Interim cum habeam principia fidei, nolo vos propositionibus opinativis consternare. Hodie, cras, hoc anno DEUS nobis dat tempus nos convertendi, interea certum est, quod semel veniemus ad ultimum. Hoc posito, scire percuperem ab iis, qui tempus vili pendunt, quod habent, & sese fundant in futuro, quomodo sunt certi, dum hanc inspirationem spernunt eos habituras futuras? Quis eis dicit præsentem vocationem non esse peremptoriam? Ego adhuc sum juvenis, & robustus, Linea manus, & horoscopus mihi longævam promittunt vitam.

Gen. 15. 16.
Amos. 1. 6.
Matth. 23. 32.

IX. O te stultum inquit Isaias: *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Stent, & salvent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, supputabant menses, ut ex iis annunciarent tibi ventura.* Tu existimas diem Domini habere auroram, quæ ejus adventum tibi prænuntiet. Suo tempore tuo damno id mihi dices: *Veniet super te malum, & nescies ortum ejus*, vel ut Hebræus legit: *Irruet super te calamitas, & nescies auroram ejus.* Vade, & dic dum tuum corpus præ senectute deprimetur, animam tuam è peccatis, terrenis affectionibus emersuram. Quid dicis? Jocarisne, vel loquerisne serio? Ergone tu linquas peccata, quando te relictura sunt? Perdilecti Auditores, estne possibile, in negotio tanti momenti jocari? Quis nostrum sit, qui quæstioni Chrysostomi satisfacere possit? Omnia bene. An DEUS iterum suâ vocatione tuum cor pulsabit? *Fortasse inquis. Cur inquis fortasse? Contingit aliquoties, cogita, quod de anima deliberas.* Ergone tuam salutem adificabis super unum *fortasse*? Ita inquies; nam DEUS hanc gratiam aliis pluribus fecit. Dic Sodes, quid vis dicere? An, quod tibi gratiam facere debeat? Rotunde nego consequentiam, nam ut advertit Clemens Romanus, Rex Ammon idem inferre voluit. Viderat Deum per quinquaginta annorum spatium in regno tolerasse suum scelestissimum Patrem Manassen, & ideo ejusdem vestigiis institit, disparem interim sortitus exitum, nam secundo regni anno, fuit degradatus, & in infernum præcipitatus. Sane patientia DEI non cum omnibus eadem est. Quod si perquiras causam, respondeo cum Augustino, me needum fuisse ejus consiliarium. Unum vocavit millies, alium deseret, cum secundam, vel tertiam vocationem respuerit. Est DEUS exercituum, unde nil miri, si mille stratagemata adhibeat.

Isa. 47. v. 13.
Ibidem.
Homil 22. in epist. 2. ad Corinth.

X. Urbs quædam suo principi rebellat, hostium se fœderibus illigat, arma contra principem parat, inobedientias multiplicat. Sed quid fit? Exercitus rebellionem vindicaturus adest, castrametatur, cuniculos fodit, aggeres exstruit, suppetias, & conductus in civitatem impedit, foveas ædificat, hic unum occupat propugnaculum, portas tormentis æneis quatit, substructiones, & turres è fascibus terræ permixtis compositas deiicit, præsidiaria refugia solo æquat, cuniculi iam sunt finiti, scalæ admotæ, miles nil nisi expugnationem impatienter exspectat, urbem iam sui iuris faciunt, nec aliud est, quam ut eam intrent. Bonus princeps eam salvam cuperet, quod si perdatur, id sibi tribuere debet.

Semel, bis, ter Civitatis deditionem postulat, dum autem videt se nil efficere, omnem arjetem adhibet, & exercitum ad expugnationem, & insultum disponit. Velitationes orditur, & animum, & vires obsessorum explorat, munitiones minus firmatas invadit, & rursus urbem sibi dedi postulat. Ast etenim, dum rursus non auditur. Eia inquit altum suspirium trahens, nunquam fit verum quod ego salvem urbem, quæ ex se vult perire, ideoque animat milites: eia animosè milites pugnate, urbs vestra est, invadite eam, cuniculos illos in altum evibrate, vallum illud expugnate, scalas illi turri admovete, illas portas tormentis quassate, illud munimentum machinis æneis petite, illuc globos pyrios iniicite, urbem ferro, & igne evertite. Postquam classicum est cantatum, en statim aggeres occupantur, moenia diffringuntur, turres, & munimenta in aerem volant, ipsi equi præ horrore saltant, trophæa in locis obtentis statuuntur, præsidiarii sunt devicti, & omnes portæ occupatæ. Confertim irruunt milites, nil auditur nisi seca, spolia, occide, hic vides fugâ sibi consulentes, ibi supplicantes, & veniam rogantes.

XI. Quid? Rogatisne veniam, & gratiam? Non est iam Tempus gratiæ. O miseras ecclesias! Iam vos video exardere, miseras domos, jam vos video subverti. In officinis non sunt amplius merces, in palatiis nulli habitatores. Pueri opprimuntur ruinâ murorum, senes præcipitantur è tectis, infirmi sepeliuntur in lectis, virgines deflorantur, in plateis cadavera proprio innatant cruori, in foro à rebellibus supplicia expetuntur. Eheu, unde tanta miseria? Audite peccatores: *Non cognovit tempus visitationis suæ.* Id quod vos agitis cum DEO, hoc hæc urbs fecit cum suo principe, persuasa quod semper se dare posset, Principis legationes irrisit. Valde bene dicit Nazianzenus: *Miserum est serum consilium capere.* Caveamus nobis, ne Deus dicere possit: *Vocavi, & renuistis.* Vobis loquor, qui certi estis, quod non possitis resistere Deo, qui vos defacto obsidet, & quamvis vestram deditionem roget, articulos pacis offerat, tamen tot annis surdis canit. *Operamini opus vestrum ante tempus* vel ut legit Tigurina *ante amissam occasionem.* Audite invitatorium, quod hisce sacris diebus quotidie canit Ecclesia, *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Si Deo semel reconciliari velitis, id agite

Orat. de bapt.
Proverb. v. 24.
Ecclef. 51. v. 38.
Ps. 94. v. 8.

gite suo tempore, nam nescitis, an non hæc vocatio sit ultima.

An me intelligitis? Audite; tempore diluvii nullus fuit salvatus, nisi qui
Gen.7.v.13. *In articulo diei illius*, cum Noe intravit in arcam. Cæci, leprosi, paralytici, qui non confugerunt ad Christum, quamdiu apud eos erat, frustra postea
Act.10.v.38. eum quæsiverunt, quia ipse *Pertransiit benefaciendo.* Non absque mysterio sæpius clamitavit *Veh*, & urbes hoc sæpe
Matth.11.v.21. audiverunt *Veh tibi Corozaim, Veh tibi Bethsaida.* Nullum est dubium, grande malum imminere illis, quos descripsit
lib. quod deter. Philo *habere mentem ejectam, Deo viduam, quæ aut genituram divinam non excipit, aut exceptam datâ operâ abortum facit.* Veh mihi, veh vobis, veh omnibus, qui pariunt talem abortum. Ne putemus inquit Augustinus, quod Christo parum iniurii simus, dum ejus gratias rejicimus. Conspuimus quippe ei in faciem, paradisum claudimus, infernum aperimus. Audite Salvianum:
lib. 4. ad Eccl. Cath. *Nemini facilis sua causa sit: usurpata absolutio damnationem parit.* Ego etiam in gratiam eorum, qui dormierunt id paulo clarius declarabo.

PARS SECUNDA.

1 Cap. 6. Epist. ad Gal. Gal.6.v.10. XII. *Tempus sementis est, tempus præsens, ubi occiderit hæc brevis lux, bene agendi tempus præteriit.* Inquit Hieronymus. Quænam est consequentia antecedentis, quod probavi? Eam audite à Paulo proferri: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Vt hoc possitis, date largam eleemosynam. Quid faciebant antiqui Christiani hac septimanâ sancta? Pro iis respondet Epiphanius. *Fiunt apud nos his diebus humi dormitationes, castitates, preces, vigiliæ, jejunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones.* Ego minoribus contentus sum. Solum vellem, ut quilibet secum examen institueret, & faceret confessionem non obiter, sed talem qualem facere vellet in articulo mortis. *Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus.* Hoc est principale punctum, de nobis actum est, si Deum vocantem non audiamus. Cur creditis sanctos esse sanctos? Respondeo, quia fuerunt similes Iob, qui de se dicebat: *Vocabis me & ego respondebo tibi*, & Paulo de se asserenti, *gratiâ DEI sum id quod sum.* Sed audi Paule, an nõ habuisti plures gratias, per quas es sanctificatus? Qualis ergo est illa gratia singularis, ut ejus tantum recorderis? Illa per quam dixi: *Domine quid me vis facere?* Hæc est origo omnium aliarum gratiarum. Vbi estis vos, qui totâ die interrogatis Theologos, & voluitis libros, ut compendiositem viam reperiatis, per quã ad sanctitatem scandatis? Ego breviter eam vobis monstrabo, illi intendite, quod Deus à vobis exigit, illudque facite, & eritis ex sanctioribus, qui sunt in cælo.

Adversus Æzium.
ad Eph. 5. v. 15.
Iob. 13. v. 22.
1. Corinth. 15. v. 10.
Act. 9. v. 6.

XIII. Econtra qualis est via, quæ rectà ducit ad perditionem? Non alia, quam si quis surdas aures præbeat DEO vocanti. Quod si causa damnatorum inscribenda foret capitibus eorum, ubi quondam causa mortis Christi cruci fuit affixa, quibus verbis creditis, quod eam essem expressurus? Ego ostio inferni chartam appingerem his verbis notatam. *Eo quod non cognoverit tempus visitationis suæ.*

Omnes æternaliter sunt damnati, quia tempore non sunt usi. Illi quidem habuerunt voluntatem se salvandi, sed quia nimis diu exspectarunt, quin emerent oleum misericordiæ, dum illud iuerunt emptum porta est clausa. An hoc non creditis? Descendite quæso mecum ad infernum. Heus tu, qui strides ibi inter bufones, serpentes, basiliscos, per quam ianuam in hunc locum intrasti? Id breviter dicam. Odio alium prosecutus sum, DEUS sæpe mihi inspiravit, ut ignoscerem, ego autem sic tacitus respondi, dum morbo corripiar iniuriam remittam. Sed nescio, quo globo bellico sim inopinatò transfixus, & cum vitâ corporis animam amisi.

Tu insuper, qui ibi inter liquefacta metalla ebullis, quomodo adhunc locum venisti? Audi; ego alteri ingentem summam pecuniæ abstuli, DEO mihi inspiranti, ut ablata restituerem, non parvi, credens, & proponens, quod heredes obligatem, in testamento, ut restitutionem facerent, sed catharro suffocatus absque potentiâ restituendi damnatus sum. Tu quoque, qui adeo malè tractaris à Dæmonibus, qualiter huc venisti? Audi, totum me effudi in libidines, sæpè me stimulavit conscientia, ut amoribus impuris me expedirem, sed surdus semper mansi. Et en malignâ febri sum oppressus, quæ statim me è vita sustulit impoenitentem. Sive velitis credere, sive non, veritatem dico. DEUS quod suum est agit, ideo inquit sanctus Leo: *Iustè instat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Veh nobis, (Serm. 16. de pass.) si quod nostrum est non agamus, sed potius imitemur immisericordem Laban, qui postquam bonum Jacob per plures annos pessimè habuisset, dum tandem Jacob discedere vellet, bonis verbis eum lactavit, quamvis facto eum eijceret. Ita observat Oleaster: *Impii nunquam didicerunt benefacere, nisi cum non est tempus faciendi.* (Gen. 31.) Sumus in paschate, obedias ergo consilio sancti Efrem: *Ostium poenitentiæ apertum est, festina peccator priusquam occludatur.* (Hom. de poenitent.)

XIV. Verum enim vero, hæ occasiones non occurrunt quotidie. Ad quid ergo te resolvis? Nil melius tibi suadere possum, quam ut sequaris consilium Senecæ monentis: *Prosperantem occasionem circumspice, & si videris prehende.* Oro te ne id facias cum DEO, quod cum Abner fecit Asael; nam DEUS cum eo ad te clamat: *Recede, noli me sequi, ne compellar confundere te in terram.* (2. Reg. C. v. 22.) Cum enim minus putabis ad te conversus gladio iræ suæ te confodiet. Enimvero sileamus nos, dum Christus in negotio tanti momenti vult loqui. Referebant ipsi nonnulli, qualiter Pilatus plures Galilæos jussisset occidi, & turris Siloe octodecim viros suâ ruinâ oppressisset. Christus hos relatores interrogavit num putarent illos sceleratissimos Galilæorum fuisse, & respondit: *Non dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo, super quos cecidit turris in Siloe.* (Lucæ. 13. v. 3.)

Sanctus Gregorius postquam narrasset funestum casum Chrysaorij, qui animam agens flagitabat *Inducias usque mane* subjunxit, *sollicitè ista cogitemus,* (Hom. 12. Evang.)

temus, ne nobis in vacuum tempora pereant. Beatus Ægidius Seraphici Francisci socius dicere solebat si unus hominum solus foret damnandus, ego in id totus essem, ne ille forem. Alexander Magnus militem quendam, qui dum classicum caneretur arma non apparat abegit, dicens: *Bonus non potest esse miles, qui non paratus ad pugnam venit.* Vos peccatores, qui in hoc mundo vivitis instar proscriptorum, seu bannitorum, misericordiam DEI vobis struitis velut arcem, in qua vos ab omni expugnatione securos putatis, sed cavete ne ab irâ DEI obruamini, *quæ conteret eum super quem ceciderit.* Ego vobis dico cum Hildeberto: *In misericordia Dei sperare saluberrimum est consilium, de eâ totum pendere periculosum est refugium.* Hæc doctrina est pro omnibus, Veh autem ei, qui illam non intelligit. *Mali principium ex boni incuriâ,* inquit Nazianzenus. Is qui suum tempus non cognoscit primo Christo extorquet lacrymas, dein sagittas. Hoc quilibet cogitet.

Chron. Min.

Matth. 21. v. 44.

Epist. 15.

Orat. in Iulian.

CONCIO XXXV.

PRO DIE VENERIS SANCTO.

Terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt. Matth. 27.

Interpres Mundi in Christi passione turbati.

I. VOs cæli, qui ordinem tot annorum lene adeo punctualiter servatum hodie turbatis, & in eo dispensâtis, quid dicetis dum lucem mutatis in fulgura, musicam in tonitrua, & ac si extraordinariam vindictam spiraretis, mugitis queruli, exorbitantis cæci, agonizatis meticulosi? An forsan, hic sit dies, in quo *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* An forsan, quia hodie mortales per cruces tam audacter ascendunt, ut etiam latrones cælum intrent, stellæ fugiant præ timore, ne præda iis fiant? An forsan hic sit astus singularis; illius, qui etiam advocatus esse vult eorum, qui se reum ad mortem condemnarunt, ut ita melius probet

Matth. 11. v. 12.

probet patri subtractâ omni luce, illos nescire quid faciant? An forsan hoc sit stratâgema Christi, dum tenebris involuit mundum ne hac extremâ malitiâ visâ homines denegent obedientiam DEO, aut ne hic scandalizatus, vel justo zelo repletus promerita anticipet supplicia? Vos sepulchra aperitis ora, sed quid dicitis? Video, quod omnia avidissimè appetatis, etiam mortuum Deum tecto admittere, & quia videtis, eum non admittere socium, reliqua cadavera ejectatis, nisi forsan hæc sit munificentia mortis, quæ instar Principum nato primogenito carceribus apertis vinctos dimittit.

Lapides vosmet ipsos diffinditis nec tamen dicitis, quid velitis, credo ego, quod velitis lapidare tot blasphemias, sepelire tos ignominias, reprimere tot insolentias, sed quid? An non applaudatis actori, qui postquam egregiè exhibuit personam rei, ab omnibus despectus scenâ egreditur? Quæso ò flumina, quid vos hodie prætenditis, dũ recurritis ad vestra principia quid vos o maria, voraginibus vestris vos abscondendo, ò feræ furiendo rupes, vos rumpendo, vela vos scindendo? Bene apparet Verbũ esse mortuũ, dũ nemo scit loqui. Quo majores sunt luctus mundi, eo mysteria sunt magis abscondita. Unde, si ego, qui præ omnibus deberẽ tacere, non agam interpretem justificando exorbitantias quas fecit, nec ridendo indignitates, quas vidit, nil mirum erit. Vos, qui hodie affectu filiali, huc ad exequias vestri boni patris concurristis, lacrymis defectum oculorum meorum supplete. Ne quæso de vobis dici permittatis, quod lapides vobis teneriores sint, dum vobis induratis illi sunt rupti. Ad minus gratâ recordatione vestræ obligationi infinitæ satis facite. Magni Augustini consilium admittite. *Hæc quanta sint cogitate, ut totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus est in cruce.* Aug. tra de v irg.

PARS PRIMA.

II. Triginta tres annos Christus transegerat, iamque ibat quartus annus, quo relictâ fabrili lignariâ desinebat ligna serare, edolare, asciare, sese dederat poliendis, emendandis, Deificandis hominibus. Omnes sibi devinxerat, nec in minimo jurisdictionem Principum læserat, sed solâ suâ gratiositate invidiæ odiosus factus, in quodam concilio reus mortis est declaratus. Agedum, prosilite è limbo sancti Patres, qui cælum fatigastis, ut justum plueret. En cæli jam justum pluerunt, sed vestri posteri tribus, necdum elapsis annis, iam eum fastidiunt, nec ullatenus eum secum pati volunt. Mi dulce bonum: *Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te, quid fecisti?* Ergone tam agrestis fuisti, ut diutius non sis supportabilis? Lego interim, te adeo fuisse affabilem, ut tui amore captus populus ædibus, negotiis, imò se ipsis relictis, absque ullâ annonâ, usque in desertum te secutus fuerit. Lego tuos mores fuisse adeò gratos, ut omnes admiseris, nullum repuleris, preces præveneris, gratias non negaveris, quod exiguo fueris contentus, Ioan. 18. v. 35.

nullum

nullum pertæsus, nec rusticitatem piscatorum discipulorum, nec duplicitatem publicorum Peccatorum, nec simplicitatum tenerorum infantum. Lego tua miracula fuisse adeo nota; ut nullus fuerit angulus Palæstinæ, in quo non fuerint sata. Hic illuminasti cæcos, ibi sanasti claudos, hic mutus loquax factus de te loquebatur, ibi mortuus per te resuscitatus vivebat. Hic familiæ gaudebant per te gratiis dotatæ, ibi lætabantur à dæmoniis liberati, hic exultabant leprosi curasti, paralytici sanati. Verum enim verò, quia politicis suspectus es, de te est actum. *Pater iuste mundus te non cognovit.* Quid ergo miri, si te repudiet? O maledictum Expedit! Quid mirum, si totus mundus pessum eat, dum necem Christo moliris? O Politia, quæ non agnoscis adeo Deum, quam proprium interesse, magisque credis principiis Machiauelli, & Bodini, quam dogmatibus Evangelii. Nec sanè solus Caiphas privatum lucrum derivat in publicum comodum, adeoque, ut se servet nil curat, quod innocens contra rationem damnetur.

17. 15. (margin: ...17. ...15.)

III. Ast quæso vos Judæi imprudentes hac vice mihi locum date in vestro senatu. *Non qua eundem tenditis, sed quæritur.* Ergone nullus sit, qui decisioni tam injustæ se opponat? Video, quod cum multis aliis sequamini personas loquentes, nec attendatis ad rationes, quas afferunt. Cæterum, quomodo videtis adeo esse expediens, ut Christus è medio tollatur? Ergone Expedit, ut is moriatur, qui quam diu vobis præsens fuerit, in caritate annonæ vobis providere poterit, cum sciatis, quod in deserto quinque mille paverit, quod contagionem pestis pellere possit, cum supra ventos, qui aerem purgare possunt imperium habeat; quod contra incursus barbarorum, vos defendere possit, cum mortuos resuscitando, vobis restituere possit, Samsones, Davides, Machabæos? Et quis quæso præter ipsum maria turbare, & placare potest, aperire, & claudere transitus, quietare, & concitare? Quis dubitat, quin possit se solo omnem supplere exercitum? Nulla est natio, quæ talem hominem efflictim nō exoptaret, & ne ei surriperetur, diligētissimè eum nō custodiret. Et quandoquidem timetis, ne à Romanis vobis auferatur, sciatis iam à Tiberio ablegatos, qui eum vobis tollant. Nunc video, quod unum *expedit*, elapsum ex ore consiliariorum adulantium, rationi amplius non locum det. Optimè, si velitis perdite ipsum, sed cum eo perdetis judicium, statum, animas, Deum. Sed quid dicis mi domine de nostro genio, qui tam cito te præscribit? *Dispone domui tuæ,* nam in mūdo tibi non est locus, cum simus rei nefandissimi vicinum nobis non patimur iudicem. Enim vero, unum me consolatur, quod maiori desiderio feraris moriendi, ut obedias Patri, quam Hebræi te occidendi, ut suæ cæcæ passioni gratificentur.

IV. Poro, ut hoc vobis exploratum evadat, videte eum tam pernici gressu contendere Jerosolymam, ut vix eum discipuli consequi possint. Suam immolationem vocat Pascha. Antequam inimicis tradatur vult triumphū & suam celebrare victoriam. Domum mi-

ſericordiarum transfert inter oliveta. Deus pacis nullam patitur mentionem belli, ſed laborum. Perfidiæ ſenum, opponit innocentiam infantum, qui abiis non agnoſcitur velut frater, vult inclamari filius David. Se exhibet contentiſſimum, ſolum in hoc feſto deplorat perverſitatem mortalium, qui dum à Deo recipiunt fructus, eum non honorant niſi foliis. Videt civitatem, & jam ejus calamitates deflet, ut urbem emendet, primo deplorat tempus, à quo omnia damna virtuti proveniunt, & maxima commoda vitiis advehuntur. Verum, quia medicamina nihil proſunt, unicam ei potionem præbere vult, quâ curetur. Dum ſol eſſet in occaſu peregrini veſtes induens, ut ſic parentet legi veteri, quæ jam ad ſepulchrum ferebatur, mille amaritudinibus animi, & paucis lactucis aggreſtibus legalem Agnum manducat, & conſumit. Aſt quia iam ardoribus torrebatur, illaq; nox Petro, eiuſque condiſcipulis alias adeo, feruentibus adeo frigida erat futura, ut etiam ad ipſum ignem eſſent congelandi, in hoc totus erat, ut diem diebus canicularibus redderet calidiorem, dumque febris amoris incrementum ſumeret, veſtes exuit, & velut ille, qui ſolus morbum perſpectum habebat, linteum aſſumit, ſeſeque eo præcingens, ut ardores internos temperaret ad aquã ecurrit, hacq; allata ad pedes piſcatorum recurrit.

V. Sed ô mi Domine hoc balneum mihi inutiliter inſti ui videtur. Tale balneum, potius capiti præſtaret, ut pravi humores ex eo depellerentur. Tu doctiſſime Magiſter doces humilitatem; & nos de nullo alio ſcimus agere, quam de ſuperbia. Timent diſcipuli, nil aliud diſceptant, quam de primatu, nec ad te attendunt, qui dum ad novum iter illos deſtinas, novellis pedibus, de novo viatico provides. Clariſſimum eſt, quod velis, ne tui ſacerdotes odorem terreum ſpirent, ideoque antequam eos conſecres, illas partes abluis, quibus non poſſunt non eam tangere. Verum hæc omnia tranſire poſſint, unum me premit, quod in vanum repetitis oſculis illos pedes tibi vincire velis, qui ad primum adverſitatis ictum, qui te percellet, fugient. Neq; hic me detineo in ſancto Petro, qui melius ſemper cenſuit de divinitate Chriſti, quam de eius charitate, neq; hic ago de duritia Judæ, qui inter illas aquas non fuit emollitus, non erat ille ex iis ſurdis, qui auritos pedes habent, quibuſq, Chriſtus loquebatur. Interim cor eius alloquebatur, & quidem lacrymis, ſed non fuit auditus. O dilectiſſimæ animæ electæ, omnes veſtros affectus recolligite, ego vos invito ut videatis maximam incantationem, quam unquam divinus amor uſurpavit. Beneficus itaq; ad imitationem maleficorũ noctu ſuas artes magicas exercet, & ſicut quondam Verbum transformarat in carnem, ita nunc Deum, & hominẽ ſub pane recludit. Veſtes reſumit ſervus divinus, dumq; iam animo verſaretur unius diſcipuli traditio, negatio alterius, inſolentiæ carnificum, calumniæ Phariſæorum, periuria teſtium, facinora Judæorum, ut ſemetipſum conſolaretur affectumq; ſuum ultimâ vice leniret non neſciens à Patre ſibi omnia concredita, teſtamentum condit in bonum Filiorum, ſeque ipſum

iis legans, pane arrepto, eoque benedicto, sese in illo multiplicari ostẽdit.

VI. Heus Auditores! Et quid quæso mi domine cogitas? Profectò tam bellè te homines tractant, ut meritissimè ab iis discedere debetes. Pessimè te tractarunt in stabulo, in præsepi inter duo iumẽta dum nascerceris, nunc autem cum discedis inter duos latrones te ligno affigent. Unus Herodes vitæ tuæ infantili insidiabatur, nunc autem alter te velut stultum irridet. Mores tuos, couversationem, doctrinam diffamarũt. Dum plures haberes tibi asseclas, te insimularunt seditiosum, dum zelum ostenderes indiscretum, dum miracula patrares, veneficum, dum dæmonia eiicerees, Samaritanum. Aliás te voluerunt è monte præcipitare, alias lapidibus obruere & quamvis his canibus tam largiter subministraris panem, attamen te allatrant, & mordent. Dum ergo iis nunc vis porrigere panem Angelorum, dico id tibi, quod tu dixisti Chananeæ. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus* Ergone illum recondere vis in stomacho Judæ? Quid dico Iudæ, imo tot, & tantorum, qui mortuo corde vitam ore deglutient? An tu hos non horrebis? Ergone te vis obligare cuilibet etiam indignissimo Sacerdoti ut ad unum eius verbum ad manus eius descẽdas è sinu Patris & deportari te permittas ad casas mẽdicorũ vilissimorũ? Quæso te, ne te adeo deprimas. *Matth. 15. vers. 26.*

Verum enim vero quis tam effrons sit, ut mihi leges præscribat? inquit divina sapientia. Quinimo quamvis sim æternus incola cæli, tamen etiam semper in terra degere volo, ut ita melius pax inter Deum & homines stabiliatur. Philtro amatorio sanguinis probare volo, num corda vestra mutare possim. Non nescio, quod sæpe asservandus sim in Ecclesiâ immundâ, ad quam vix ullus concurret me adorarurus, sed parum refert. Scio, quod in maximo confluxu populi plures mihi exposito terga vertent, & mille irreverentiis afficiẽt, sed id nauci duco. A gentilibus, Hæreticis sæpius obiiciar piscibus, corvis, canibus, sæpius conculcabor in plateis publicis, in cloacis olentissimis, sentinis fœtidissimis, sed nihil interest. Contentissimus sum, quod tot mihi dilectos solari possim, & mihi sufficit, quod eorum possim esse cibus, & potus, quia *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* *Prov. 8. vers. 31.*

O Domine cum *filiis hominum* adeo ingratis, agrestibus, & duris? Cum *filiis hominum* adeo inconsideratis in cogitationibus, liberis in affectibus, dissolutis in moribus, in vitiis habituatis? Cum *filiis hominm*, qui tibi inviderunt gloriam, vitę tuę insidiati sunt, tune adeo delectaris manere? Optime fecisti, quod à te tantam gratiam provenire ostenderis, nostræ obligationis fuit gratias referre, tu autem, qui compertum habuisti, nostros affectus non esse sufficientes, ne æternaliter essemus ingrati, id fecisti, quod nos debebamus; unde quia tu hanc gratiam fecisti, nos beneficio grati esse debemus. Abi ergo in bonam horam, & velut novellus Elias cælũ scande, ego dicam cum Drogone tuo servo, quod *sublatus est, te tuus amplius non videbit Elisæus, remansit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, ut præsentia absentia tua dolorem eius semper & augendo leniat, & leniendo augeat, hoc est sacramentum corporis tui.* *Drog. de Passio.*

VII. Porro is, qui nescit, quod Eucharistia sit *Cibus fortium* audiat discursum, quem Christus ad discipulos habuit. *Iois 16. vers. 20.* Proposuit illis clarissime omnem difficultatem, ignominiam, omnem pœnam, oculis lachrymas, *plorabitis, & flebitis vos*, *Ibid. vers. 2.* animabus desolationem *vos vero contristabimini*, corporibus crudelissimas mortes, *venit hora, ut quicunq; interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.* Postquam illos medullâ leonis pavit, eos mutavit in Achilles, & postquam ad cor eorum appendit tam insigne reliquiarium, eos exponit quibuscunque insultibus Dęmonum, & hominum. Diceres, quod ipsemet hoc cibo animatus fuerit, & vires resumpserit, nec amplius timuerit mortem, siquidem non amplius dicit. *Ioan, 12. vers. 27.* *Nunc anima mea turbata est*, sed velut olor, cum discipulis canere incipit: *Iois 18. vers. 20. Matth. 26. vers. 30.* *Hymno dicto exierunt.*

Quasi esset oblitus tormentorum imminētium, prolixo discursu suo declaravit amorem, animoque generoso ad mortem properavit, hoc facto nos monens animandis cordibus non esse scutum melius, quam illud, quod ipse per Hieremiam promisit: *Dabis ei scutum cordis.* *Thren. 3. vers. 65.* Hoc cor autem nil aliud est, quam sacra Eucharistia. Huc adsis ô tribulate, & vide, num ob afflictionem devotio sit intermittenda. Quælibet tribulatio nova debet esse exhortatio ad orandum. Quandoquidem aures nostræ nolint percipere afflictiones quæ nobis intentantur, nos ipsos obruunt, ubi si eas Deo commitmitteremus, in mare consolationum mutarentur. Colles Gethsemani, ô herbæ horti Olivarum, utinam haberetis os, quo sanguinem mei Dei biberetis, profecto mihi instillaretis reverentiam, quâ oravit, vivam apprehensionem, quâ sudavit, extremam afflictionem, quâ agonizavit, dum Adami debita maxima in horto contracta, effusione melioris sanguinis in horto persolvit. Vos Silvæ ad minus silete, obmutescite vos venti, quādiu huic spectaculo adsum, ob cuius compassionem cæli hac nocte si unquam rore lacrymarum perfusi plangunt.

Clare videmus, quod exauditus sit, dum pro discipulis oravit: *rogo ut sint unum, sicut & nos unum sumus*, nam cum dolor fiat ex discontinuatione partium, per violentiam debuit ab illis separari, hinc scriptum est: *Avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis.* *Iois 14. vers. 22. Luca 22. vers. 41.* Videte affectum erga discipulos. Sunt idiotæ, piscatores, rudes, ingenio stolidi, indocibiles, increduli, donorum naturæ inopes, nec illis favoribus, quibus nos sumus à natura illustrati, donati. Vtinā ergo sicut illos, ita & nos amaret. Sed ut eos amavit, ita amat nos, quoad ab iis obtinuit, hoc à nobis sperat. Ergo, dum per plurimos annos, ipsi non correspondimus, nunc eius amori nos semel demus, & iniquitatibus deletis, locum eius favoribus concedamus.

VIII. Ast enim vero, quam graves sunt dissolutiones nostræ, dum tam fortem Gigantem iis onustum ad terram usque deprimunt, illum inquam, qui tribus digitis sine difficultate portat Mundum. Vnico peccato cuiuslibet nostrum vincitur, & deprimitur, ita ut venæ discindantur, arteriæ rumpantur. Ad flagella paratus exactissime,

ſſimè, exhibet formam ſervi & ne ex memoria Patris omnino deleatur, repetitis vocibus dulcenomenPatris inclamat, eius filium ſe declarans. Similiter, dum plangit conatur oſtendere quod ſit Deus, dum enim nos plangimus duobus oculis, ille, quia *totus oculus eſt*, ex omnibus partibus ſanguineas lacrymas emittit. Tam multum veneni ſentit in calice, qui ei porrigitur, ut illud ſanctum corpus præ timore conſternatum, præ tædio, quo affligitur, præ triſtitia, qua conficitur, præ metu, quô exanimatur inſtar nobilis gemmæ ſudet.

Sed eheu bonum animæ meæ, quid amabò, te affligit: ediſſere id mihi, nam tecum ſolus ſum, tota enim familia quam velut pater providus benè ſciens. *Qua hora fur veniret.* excubias agere iuſſiſti, ſomno altiſſimo depreſſa iacet, tuarumque afflictionum eſt oblita. Apage, apage replicat Chriſtus, tunc cauſam hui9 doloris interroges, cuius eſt potiſſima cauſa? Cogitationes meas parumper luſtra, & videbis, quam merito angore conficiar. Et quis enim non præ dolore tabeat, videns virum tantæ nobilitatis, tam eximiæ vitæ, tantæ gratiæ ſine ulla cauſa, contra omnem legem, rationem, contra omnem iuſtitiam à compatriotis fratribus victimā eſſe factā furoribus Pontificum, ſcopum rabiei lictorum, infamatum in tribunalibus, flagellatum in aulis, ſuſpenſum in patibulis, comparatum, & poſtpoſitum latronibus, coronatum ſpinis, clavis transfixum, abſq; ulla quiete, refocillatione, tot fuſtibus pugnis, calcibus, ſputis, alapis, execrationibus, irriſionibus impeditum, & hoc ſolum ob animos ſocordes, qui non obſtantibus tot meis induſtriis, & afflictionibus volunt damnari, nec curant tantum beneficium ſibi præſtitum, ſed illud novis injuriis compenſare delectantur? An non meritò extremè affligar, quod tanta patiar pro Judæis adeo mihi infenſis, ut dum eos non poſſum convertere, neceſſe ſit ut eos à mea juſtitia Romanis imolandos tradam, Gentilibus, qui me relicto adorabunt ſerpentes, qui in id toti erunt, ut me in meis ſequacibus perſequantur, in meis Virginibus me violent, in meis templis me profanent, in meis ſacerdotibus me occidant? Quis non angatur, dum talia paſſurus ſum pro Chriſtianis, qui vel hæreſibus contradicent meis dogmatibus, vel moribus perverſis illa diffamabunt, qui mihi devotiores irridebunt tanquam phantaſticos, mundo inutiles, nullius frugi, qui adeo mei obliviſcentur, ut vix aliqui, Deus ſcit, hoc die veneris ſancto, meæ paſſionis recordabuntur? Porro quidquid ſit de ingratitudine aliorum, attamen tua mihi gratiſſima eſt, ideoque permittere potes, ut te cum Bernardo alloquar. *Ad te clamo, qui pro te morior, & cum tantus dolor ſit intus, exterior, plus tamen crucior, quod te ingratum experior.*

Non diffiteor ergo, quod non ſine ratione, te deſcendant conſolaturi ex cælo Angeli adoleſcentem innocentiſſimum. Verba mihi deficiunt, quibus tantum dolorem mitigem, nec intellectum habeo, qui eum capere poſſit; ut tamen eum deplorem, tibi mutuabo oculos meos, & in ſubſidium

Lucæ 12. verſ. 39.

discipulos vocabo. Adesto Petre, adsitis filii Zebedæi, Iesus agonizat, & vos dormitis? Ergone vos permittatis, ut oculi vestri tam boni non habeant maiorem charitatem, quam avaritia Iudæ? Hic vigilat, ut seperdat, nec vos sciatis vigilare, ut salvemini? Bene videmus quod absentiâ tui, qui es versus sol, hunc somnum inducas. Verissimum est, quod de te dixit magnus quidam tuus servus: *Vigilare non possumus, nisi quamdiu nobiscum es, & suscitas nos.* Ita agitur cum nobis misellis. Vt excitemur à somno necesse est, ut tu nos excites. Ast enim tua patientia me valdè ædificat. *Quoties redis ad nos, & invenis dormientes, & tamen benignò suscitas nos, & abis secundo, & & tertio eundem sermonem dicis.* Rogo te ne discedas à nobis, alias *dormiemus in confusione nostra,* non dubitem quidem quin non aliqui ex nobis hac quadragesima excitati sint, sed post octo dies videbis, quod iterum dormient, nam *statim ut recesserit, somnus occupat nos.* Sed mi Iesu, quomodo solus manes? Revera in mensa non solus fuisti. Ast tu non est primus, qui probasti prosperitatem multos numerare amicos, miserias ab omnibus deseri.

IX. Verum quemnam audio strepitum armorum, & armatorum? Quis adeò sit perversus, ut hac horâ importuna afflicto innocentissimo addat afflictionem? Profectò qui facibus solem quærit ostendit se cæcissimum esse, sed edic tu indiscrete, quisnam es? Quis est tuus dux? Ohime, quid audio? Est unus Apostolus. Quid? unus Apostolus? unus ex duodecim filiis Iacob, adeo ab ipso amatus, ditatus, glorificatus? Vnus ne ex illis electis, qui iudicaturi sunt totum mundum, & eum velut soles illustraturi, velut sal condituri, velut Principes recturi, velut Magistri instructuri, velut tonitrua terrefacturi, velut fulmina accensuri? Ita unus ex illis. Ergone unus ex illis, quibus tot arcana commisit, tot thesauros credidit, tot miracula patravit? Ita, & quidem Iudas? Ergone is, qui heri dæmonia eiecit, hodie eorum est dux, qui heri Christum prædicavit, is hodie eum ligat, qui heri vitia abominabatur, hic hodie illa docet? *Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt, ululata quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.* An ergo nos soli non simus fragiles arundines, quæ rumpuntur, ita ut etiam vos solidæ quercus diffringamini, & quidem cum stupore totius mundi? O vos spiritus audaces, qui iam putatis vos in cælo esse, ad terram ite ad terram ite. Et quæ amabo via, quis status, quis locus securus sit, dum in brachiis Christi unus Apostolus periit. *Zachar. 11 vers. 11.*

O Traditor infelix, dic sodes, quale te lucrum adegit, ut pro nihilo te perderes? Intelligo, quod pro viginti denariis renuntiaveris Apostolatui, tuæ parti Paradisi, tuo Deo. O imprudens mercator! Vt compares tibi tam vili vendis Christum? Revera Diabolus longe alius mercator est, ille pro sola adoratione, quam à Christo sibi exhiberi petiit, totum mundum ei offert. Quomodo ergo tu tam vili Christum vendis? Nil miror, quod homo assuetus furari, eleemosynas pauperum, habeat tam pravum finem,

nem, quinimo stuperem, si talem non haberet. Qui inordinatè amat acerum, ferreus sit oportet. Ergone tu sis tam temerarius, ut Christum nomine Magistri veritatis sub actuali proditione compelles, charitatiq; omnia bona oscula, suaviationes auferas, audeasq; tuo olentissimo ore labra sanctissima tangere, & ea ita contaminare, ut timuerit comparere coram Patre, nisi prius aceto, felle, spongia illa purgasset? Bene video, quod sis mortuus, mortemque tuam satis denotari per pompam luminum, quæ tuis funeralibus sunt accensa cerno; impossibile quippe alias foret, quod tibi in mentem non venirent gratiosa verba, quibus te ad Apostolatum vocavit, mores suavissimi, quibus te ad sui amorem pellexit, lacrymæ, quibus tuos perluit pedes, claves, quas tuis consignavit manibus, miracula præterita, præsens mansuetudo. Sed amabo vos Auditores, ne adeo succenseatis peccato Iudæ, cum nostra peiora sint. Sane avaritia plurium est minus tolerанda, quam illius. Quot non sunt, qui non triginta denariis sed duobus obolis, voluptate momentanea vendunt paradisum Diabolo, conscientiam suo sensui, totum Deum suæ bestialitati. De fide profecto est, peccanté mortaliter, non solum offendere Christum, sed & eum crucifigere. Quis autem nostrum non sæpius lethaliter deliquit? Clamamus contra Iudam, & de nobis silemus. Sinite, ut
Thren: 4. vers. 18. plangam, quia causam habeo. *Spiritus oris nostri Christus Domine captus est in peccatis nostris.* Nos laqueos texuimus, quibus eius collum induitur. Quando ergo nos plangemus? Credo quod nunquam, nam audiendo talem perfidiam, nec guttam emittimus.

PARS SECVNDA.

XI. Christus est venalis, avarus est, qui eum vendit, esto non detis plusquam Iudæi estvester. Ille è venis primum sanguinem extraxit, vos ex crumenis extrahatis secundum. Si extraordinariam non detis eleemosynam, dico, quod immensitatem beneficii non agnoscatis, dum tam parum rependitis, non dico vitam, sed nec monetam. Ohime sumus sine pulchro flore campi. In horto non potuit crescere, vel alicui adhærere palo, ideo rustici agrestes statim eum decerpserunt, iamq; eum portant per torrentem Cedron, ut in plateis cōculcetur, iam eum sputis irrigant, flatu inficiunt pugnis contundunt, ita ut nemo amplius eius odore trahatur. Qui antea ipsi inseparabiliter adhærebant, iam eum peius morte fugiunt, ut velut novellus Iob dicere possit: *Habitum meum exhorruit uxor mea.* *Iob 19. vers. 17.*

Postquam Iudas me osculo salutavit, Ecclesiæ meæ dilectæ sponsæ sum in horrore tanquam pestis. Non diffiteor, quod Petrus in eius defensionem gladium evibravit, sed eo ipso eum offendit, dum Christus voluit in servo honorare Pontificem, nec aures eo tempore amputari, quinimo augeri, dum pluvia linguarum iis parabatur. Christus voluit auditum obedientiæ consecratum non lædi, nec pariter servum sine auribus, quamvis forsan toleret elinguem. Piscator itaque bellicosus gladium capulo recondat, nam ubi Christus est, ibi

est

est locus misericordiæ, non vindictæ. Et quia Petrus reliquis animosior, decrevit finem vitæ principiorum adeo funestorum videre, nos eum comitemur, & sicut non deerunt miseriæ, quibus compatiamur, ita videbimus crudelitates, quas detestemur.

XII. Annō videtis, qualis sit confluxus in plateis, quot lumina accendantur in fenestris, quomodo præ jubilo triumphent Scribæ, Pharisæi gloriosi tripudient? Charitas dormit in discipulis, sed non malitia in civibus. Omnes offerunt novos funes, quibus Christus ligetur, omnes nova excogitant tormenta, quibus torqueatur. Hic vult eum tāquam vilem excipi virgis, alter tanquam blasphemum obrui petris, alius tanquam seditiosum objici feris, alius tanquam hæresiarcham flammis, alius tanquam latronem agi in crucem. Omnes ejus actiones in peiorem trahunt partem. Bona exempla tribuūtur hypocrisi, beneficia vanæ gloriæ, sanatio infirmorum maleficio, suscitatio mortuorum nigromantiæ. Bene liquet navem laceram ab omni impeti vento, & miserum inter homines orbari omni merito & talento.

Verum bene de Christo spero, quia ingredimur domum Annæ soceri summi pontificis, qui authoritate, quâ pollet tumultuantem plebem cohibere poterit. Ast fallor, Christo coram tribunali evenit id, quod pauperibus, qui accusati puniuntur, sed non audiuntur. Causa ex quâ nullum lucrum speratur, ab omnibus velut impertinens repellitur. Ut hoc autem verum esse appareat, ab Anna itur ad Caipham; hic autem approbantur perjuria, silentium, quo innocentia melius, quam ab efficacissima apologia defendebatur, improbatur, laceratione vestium ei prædicunt finem sacerdotii, in publicum mittuntur fœtores ejus impuras conscientiæ. Enim vero quam clarum est pravum dominium, nonnisi servos habere pravos. Vnus impudens miles manum sceleratam exerit, & Sapientiæ divinæ, quæ novo adventu in quadam nube, promittebat, intimabatque in illo tribunali perfectiorem fore justitiam, quādo ipsemet iudex sedebit, alapâ os obturare præsumpsit. O barbare adulator! Apprimè cognosco genium tuum, tibi veritas in palatio blasphemia est, & ideo apud bonos principes tam rara est, ut nil eâ sit rarius; nam si veritatem inveniant, thesaurum se se reperiisse credunt. Revera memoria tuæ crudelitatis, nunquam delebitur, utpotè in tam pretiosa charta annotata. Mentio iniicitur de Apostolis, sed Christus tacet, bene de iis loqui non potest, malè non vult, hoc enim dictat magna eius charitas, illud non permittit turpis eorum fuga.

VIII. Sed nunc tempus est Petre, ut in publicum prodeas. Quo abivisti? Quæramus eum Auditores, quia primus inter sæculares dogmata inculpata omnium optimè defendet.

Sed

Sed quid audio, Loquitur aliter, quam deberet. Interrogatur ab ancillâ, & statim piscator simplex induit aulicum fraudulentum, dicitque se illa scire, quæ nunquam didicit. Non sufficit, quod eum neget, reneget, imo periurat, quod non fuerit in horto, quod Christum non cognoscat, Sed O Petre, nonne fuisti in horto, Quis dubitet. Ast Petrus, qui erat in horto, non timebat phalanges armatas ubi tu unâ ancillâ inferiores, tu eius non es discipulus, qui eius legibus non obedis, dum non invitatus, aulæ te ingeris. Dic sodes, ubi sunt illæ iactabundæ voces: *Tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire*: Utinam sicut nobis es similis; ita nos te imitaremur in pœnitentia, sicut secuti sumus in peccato. Nos veluti galli turrium ad omnem ventũ mutamur cito. Uno die tres exhibemus personas, mane Angelum, in meridie hominem, vesperi Dæmonem. Nisi Deus condescenderet nostræ inconstantiæ, foret actum de nobis. Ergone tu ô Petra rumperis, quæ debebat alios solidare, Tune adeo feruens indiges igne, tu adeo vigil, tam profundo sopore es mersus, ut non nisi ad tertium galli cantum exciteris, Sed te beatum, qui vix respectus, tantum concepisti dolorem, quem nec atrium, nec cor tuum continere valuit, sed coactus fueris exire, & eum in aperto producere, ubi tuis lacrymis tormentatus, meritis generosæ humilitatis damna præsumptionis temerariæ restauras.

Luca 22. 33.

At ô redemptor compatior tibi inter tot dolores. Quamvis colligatæ sint tibi manus, tamen adhuc beneficia conferre potes. Oro te respice in me, nam hi perversi agnoscentes temeritatem, quam instillant tui aspectus, timentes ne convertendi sint, tibi statim oculos velabunt. Quam diu ergo eos adhuc apertos habes: *Respice in me, & miserere mei.* Ego interim, ut me gratum exhibeam, quæram discipulum, qui te tradidit, ut misericordiam, quam exhibuisti abnegatori, etiam proditori præstes.

Psal. 24. v. 16.

Juda, Juda, quò fugisti? Credo quod in tuto reposueris pecunias. Nequaquam, quin potius ego credam, quod fulmine cæli sis ictus, aut aliquo hiatu inferni absorptus, vel quod te canes discerpserint, Corvi devorarint, Angeli oculis Dei subduxerint. Verum dicitur mihi, quod transiens per hanc plateam, intra te dixeris, *peccavi tradens sangvinem iustum.* O te felicem, quod hanc uiã inveneris, quia tamen es adeo perversus, suspicor medicinam tibi futuram venenum, pœnitentiam peccatum, & ut video propheta sum.

Math. 27. v. 4.

Huc, huc adeste omnes, qui postquam Deum offendistis nil aliud cogitatis, quam quomodo eius faciem fugiatis, Venite, & videte, an non vos ipsi vobis sitis infensissimi hostes. Iudæ ignoverunt Angeli, animalia ei pepercerunt, elementa non tetigerunt; ille autem cum omnium ferocissimus sit, omnium ferocitatem supplevit. Ipsemet sibi fuit accusator, Carnifex, Iudex, se ipsum accusavit, condemnavit, & sententiam executus est, iniustior in punitione peccatorum, quam commissione eorundem.

O scelerate non adeo, quod meo Deo humanato vitam ademeris, quam quod ei lætitiam subtraxeris, qua affectus fuisset, si tibi condonasset. Credebam, quod essem te inventurus totum contritum, sed reperio iam te in aere suspensum. Voluisti cohibere lachrymas, nec potuisti retidinere viscera. Cor conclusum omnia reliqua eiecit, unde meritò te irridet infernus, quod pecuniæ tam appetens reliqua omnia tam effusè prodegeris. O te stultum, qui dum potuisti te salvare unico suspirio, te laqueo perdis, Permisisti, ut in locum tuum subintraret latro, & Apostolatum tibi adimeret. Salis super arborem, ut nullum alium fructum carpas, quam quod decidas. Exploratissimum est et esse sepulchrum iniquitatis, Dum illo die, quo omnia monumenta aperiuntur, extra illud manere non potuisti. Quare demonstras, quod habeas viscera lapidea, quæ instar lapidum sunt discerpta.

XIV. Vos innocentes ex hoc discite non peccare, vos peccatores non desperare. Discite ab hoc improvido mercatore melius nundiari qui pro qualibet re venditis Deum. Quod si forsan hic adsit aliquis novus Cain, qui sua peccata majora putet, quam divina misericordia, & ideo ad eā non recurrat, sed inter Christianos, vivat velut Turca sine confessione, cōmunione, Oratione, is mecū vadat ad Christum, quia Caiphâ missus ad Pilatum elinguis eum in stuporem dabit. Enim vero mi Salvator, oro te, dic mihi qualiter tecum actum est interim, dum ego hominem quæsivi summopere desperabundum? Eheu intelligo, quod totâ nocte tibi illuserint injuriis te affecerint, pugnis contuderint. Video te totum deformatum per sputa, lividum per colaphos, oculos tuos video excæcatos, barbam fermè evulsam, vultum deturpatum, genas; & ac si hæc omnia crudelitati tuorum æmulorum essent exigua, vix orto die cæci plusquam ante, judicem extraneum scandalizant, suos errores in apricum prodendo, quippe tibi appingere crimina possunt, sed non probare.

Ast enim vero, summo afficior gaudio, dum video, quod cæcus possit palpare eorum partialitates, & passiones, utpote tam crassas, quodque Pilatus in hac causâ nil condemnatione dignum reperiens, te remittat ad Herodem. Obediamus quæso Pilato, nam quamvis more solito per plateas sis trahendus, rapiendus, tamen scio quod Rex ille summo teneatur desiderio te videndi, de quo tot prodigia audiuit. Ut tamen veritatem eloquar, tu pessime Princeps non mereris videre eum, cuius vitæ per stragem tot innocentium tuus Pater inhiauit. Ast quia Deus magis est bonus, quam tu sis malus, dum intelligo, quod velis videre miraculum, audi, & vide an unus Deus miser, unum Verbum mutum non sit prodigium summum. Ut interim video, tu velles ut aliam personam Christus ageret quam suam, Ast ipse conspicit tibi non deesse moriones, adulatores, cum

tamen

tamen careas eo, qui elinguis te monet. Ille qui nullius curat stuporem, sed omnium quærit utilitatem, tuis non delectatur recreationibus, & otiis aulicis. Si velles posses statim videre quod sis excommunicatus, eo quod tibi non loquatur. Nil mirum, quod tibi interrogatus non responde-at, cum enim è medio sustuleris Ioannem eius vocem, tibi sine voce manet. Tribuas supplicio homicidii, quod responsionem non feras, & quia eum velut stultum dimittere vis, candidâ eum veste indue. Nam talis habitus decet innocentiam, quo amicta coram iudicibus appareat.

XV. Vero enim verum exiguam justitiam Hierosolymis reperio. In comperto est, eam non diu duraturam, dum eius Principes sapientiam Dei reputant stultam, & sacerdotes veritatem credunt esse blasphemiam. Ego Pilatum integerrimum censerem Iudicem, nisi esset maior politicus, quam conscientiosus. Agnoscit innocentiam, sed eam spernit. Nemo fuit, qui auta populari adeo se permisit flecti, magis fatiscens aliorum gratificari votis, quam proprio officio satisfacere. Interim hac politia amicum conquisivit. Nunc sibi Herodem amicissimum habet, quia ei magis detulit, quam Deo. Pilatus non est primus, qui pacem inivit cum ruina, & damno alterius. Communis inimicitia contra bonos est vinculum ordinarium, quo amicitia inter impios connectitur.

O nos miseros, & in quæ tribunalia non cogimur ambulare? Ut bonum consilium admittatur, necesse est ut in somnio instituatur & à nullo alio, quam à muliere proponatur, testes quippè interim numerantur, sed non pensantur, peccata, & crimina admittuntur. Et quamvis solemnitas agatur paschalis, nil tamen boni sperare possum. Cum sit tempus in quo immolantur victimæ, timeo ne agnellus litari debeat. Et pro dolor id iam certissimum esse video. Christus comparatur Barrabæ, & hoc non obstante morti eum addici plebs clamat. O stolida plebs, & qualia hæc tua sunt judicia? Ergone vita illius, qui plurium vitas ademit, tibi sit anteferenda vitæ illius, qui pluibus vitam donavit? Ergone seditiosus præferatur sancto, homicida Thaumaturgo? *Obstupescite coeli super hoc.* *Ier. 2. v. 12.*

Videte cæli, quam navci vestra dona mortales ducant. Filius Dei homicidæ in pretio confertur. O mei conceptus, & considerationes, quæso vos, ne diutius has indignitates ponderetis, nam si iis succenseam, vereor ne Hebræos excusare debeam, & cogar perstringere Christianos, qui multo viliora Deo anteponunt. Et dicite vos sensuales, Et quid aliud clamatis tota die, quam quod illa fornicatio, adulterium, incestus magis delectet, quam Deus? Vos usurarii, quid aliud prædicatis vestris institiis, quam quod peccunia plus valeat Deo? Vos vindicatiui, quid aliud prætenditis tam obfirmato animo vindictam

ſpirantes, quam Deum nihil eſſe reſpectu honoris mundani? Vos interim qui quotidie ſimilia patratis, hodie eos Diris devovetis, qui Chriſtum Barrabæ poſtpoſuerunt. Tu interim anima mea nil cures, quid de te ſentiant homines, ad hoc enim ſufficit ut animo voluas, quam male ſenſerint de Chriſto.

XVI. O bonum animæ meæ, jam tandem conſpicio, quod latronibus conſigneris, dum te nudari uideo. Pilatus fatetur, quod nil morte dignum in te reperiat, interim te emendare vult, ſtatuitque in publico theatro catenis, flagris Loris, virgis, toto ſpectãte populo te cædere. Aſt ſiſtite ò lictores. Ergone vos vitum in cujus fronte majeſtas & venuſtas de imperio diſceptat virgis excipere poſſitis? Hæc caro terra virginea eſt, nulli maledictioni ſubiecta, adeoq; nec veſtris flagris laceranda. Enim vero, quomodo fieri poſſit, ut uos cæli iis ſubminiſtretis lucem? Quomodo non damini in ruborem, & compatimini verecundiæ, modeſtiæ, adeo mortificatæ: Quilibet oculus qui eum reſpicit, eſt lictor eum tormentans, minus cruciatur flagellis quam aſpectu. Quod ſi flagra ei eliciunt ſangvinem, aſpectus ei evellunt cor. Quo abiit rubus abſconditus Sinay, quo nubes quæ eum veſtivit in monte Thabor: Clarè liquet, quod habeat genium nobis contrarium, dū nil amplius conatur celare, quam glorias, & nil magis pandere, quam ſuam condemnationem, & ſummas ignominias. Nunc ite, vos vanæ domicellæ, & in id ſolum contendite; quomodo novas formas veſtium excogitarè poſſitis, Deus ſua nuditate veſtras levitates luit. Ite adoleſcentes, & elatos induite ſpiritus, omnes leges concultate, Deus, ut veſtras diſſolutiones diluat columnæ alligatus eſt. Ite vos delicati Chriſtiani, & ſubducite vos flagris quantum poteſtis, Deus voluptates, quibus carni veſtræ blandimini, tormentis millenis exponendo ſuam perſoluit. Videte hoc eſſe verum. En quomodo ſolutus à columna in qua eius amor merito poterat ſcribere. *Non plus ultra*, totus ſangvinolentus, totus lividus, totus vulneratus poſt ſex mille, ſexcenta flagra tolerata, pedibus conſiſtere non potens, inſtar erucæ ſerpat, ut veſtes ſuas repetat.

XVII. Et poſtquam iam omnino eſſet ſangvine tinctus, & purpureus videt crudele ſibi parari diadema, ut ita inſtar Regis irrideatur. Ita ita, *Coronemus nos roſis, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*, Sap. 8. v. Deoque, qui coronati vult, ſolas linquamus ſpinas. O quam eſt inſignis vinitor. Ut vias vineæ ſuæ mundas habeat, tribulos, & ſpinas, quæ pedes lædere poterant in ſuo capite recondit. Iam merito à Propheta appellari poteſt. *Aedificator ſepium*, dum videmus, quod undequaque ſarmenta colligat, ſepi ſtruendæ. Iſai. 58. v. 12. Merito dicere poteſt. *Nunquid colligunt de ſpinis uvas*: Matth. 6. v. 16. Cum eas videamus inſitas viti, aliquem fructum ab iis exſpectare poſſumus. Nunc intelligo cur inter arbores ſpinetum voluerit acceptare regnum. Vidit quippe, quod quadam vice in tam ſancto ſolio ſedere

debe-

debebat, unde quamvis esset sterile, non tamen est ausum oblationem tam magnificam recusare. Gaudete, gaudete ò afflicti, Rex gloriæ, prout cecinit sedulius. *Poenam vestivit honore, ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.* In regno patientiæ id quod pungit, coronat In mundo caduca est omnis iurisdictio extra Christum, nec ulla corona, excepta corona Christi in capite radices figit. Quid dicis ò Pilate de inhumanitate tuorum militum? Optime judicare potes eum esse Deum pacis, dum gens bellicosa adeo se ei offensam exhibet Quod sit Rex, ipsemet, fatetur, dum illud non negat. Interim non est rex molestiæ, nam ideo arundinem pro sceptro habet. Quod non sit Rex huius mundi faciliter crediderim. Homo, quippe huius mundi munus tale, ad quod ipse missus est detrectaret tanquam periculosum. *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Vis eum liberare: ostende id populo. Nisi sint canes, lapides, nullum est dubium, quin ad aspectum tam miseri spectaculi commoti, gratiam ei facient. Adsitis huc ò Scribæ, concurrite huc Pharisæi, venite nobiles, properate peccatores, opifices ne emaneatis, hic vester frater est. Quomodo ergo eum tam malè tractastis: Si foret canis credo, quod ita cruentus ad pietatem vos moveret. Asseveranter dico quod sit homo, & vos illum tractatis ut bestiam.

Sedulius

Iois. 18. v. 23.

XVIII. Oro vos Auditores, obturate aures, nec amplius verba illa contagiosa audiatis, quæ aerem inficiunt. Omnes clamant. *Tolle, tolle crucifige eum.* Heus tu plebs indiscreta, patere ut tibi verbum reponam. Quid tibi fecit hic innocens? Cum eius vita tot tibi bona præstiterit, quid boni ab eius morte exspectes? Cur illum non serves, qui oculos potest restituere amicos, linguam mutam reddere verbosam, aures sanare surdas, sanitatem dare amissam, vitam donare mortuam? Ubinam vos estis, qui in probatica Piscina sine illo quondam sanari non potuistis? *Ecce homo.* Ubi estis vos leprosi ab eo mundati, mendici ab eo cibati, obsessi ab eo liberati mortui ab eo resuscitati? Ubi estis Nathanael, Nicodem⁹, Zacheus? Est ne possibile, quod nullus vestrum verbum pro eo loquatur? Ergone tam subitò beneficia ab eo vobis collata memoria exciderunt? O insanas nostras passiones, quæ adeo excæcantur, ut velint pejus, & fugiant melius! Ergone vos etiam clamatis cum Hebræis: *Sangvis eius super nos & super filios nostros?* Ne dubitetis morietur, ille morietur, quem vos non vultis vivere. Vicistis ò Pharisæi, jam non amplius vocabimini *sepulchra dealbata*, vestræ simulationes, jam in tuto sunt, terrefecistis Pilatum, jam vobis vult gratificari, sententiam scripto proferre vult. Ast antequam inquinet manus, eas lavat, cum interim miser non videat, aliam aquam requiri maculæ eluendæ, quæ nec igne infernali, aut per totam æternitatem deleri poterit.

Iois. 19. v. 15.

Iois 19.

Math. 26. v. 22.

Mi dulcis Iesu, quid dicis, de hominibus

minibus qui tam malè tuam agunt causam? Lata est sententia, & iam crux parata est. Tu mi salvator oblivisceris nobilitatis, amabilitatis, & innocentiæ tuæ, & quia nostras miserias sustulisti, ideo inter duos latrones te volumus mori. Nec video cur idcirco dolere possis. Desiderium nostrorum bonorum omnia tormenta tibi suavissima reddit. *Amasti me domine plusquam te, quia mori vis propter me.* Recipe tuas vestes, & hos centones mihi redde. *Hæc sunt lineamina, quibus uulnera mea alligasti, O Samaritane misericors, ut imponeres me super iumentum tuum, & perduceres in stabulum, quoniam langvores, & dolores nostros ipse portasti.* Verum cum via versus montem Calvariæ valde difficilis sit, ut per eam vix eum insequi possimus, iam dum crucem humeris portans, ad eum contendit, parumper respiremus, & quò magis crescunt dolores Christi, eò maiora refocillamenta in pauperibus ei porrigamus.

Aug.

Drog. de Passione.

PARS TERTIA.

XIX. *Venite ascendamus ad montem domini, & docebit nos vias suas,* Quisquis vult rescire viam, per quam ad eum veniamus, ille hodie veniat, & videat quam Christus inambulet. Illa inter cruces tota est invia, & difficilis, atque sine tribulationibus bonum finem nemo potest consequi, imo in despectu nostræ mollitiei solum in cruce, & inter cruces bonum stabile reperitur. Hinc optimè ei dicere possumus

Isaia c. 2. v. 3.

cum Drogone. *Circuire possum Domine coelum, & terram, & nunquam te inveniam, nisi tantum in cruce, ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie.* Sed quid dicis de hac dolorosa processione? Puellæ, adolescentes, cives, milites montem subeunt, ibi locum commodum electuri, illi Hypocritæ, Pharisæi præ gaudio se se non capiunt, nec unquam celebrant jucundius pascha, omnes dicteria parant, minas intentant, injurias evomunt. Sine illis de lege erat actum, Moyses erat perditus, Christus velut falsus Propheta adoratus, nec miseri recogitant, quod Deo amisso nihil conquiratur.

Dorg. Ostens: serm: de cœna & pass. Dom.

Duō Latrones suas cruces gestantes præcedunt, eosque insequitur noster Rex dolorosus, lictoribus truculentioribus commissus thronum suum humeris portans, & quamvis sub onere illius deficiat, nemo tamen est, qui eum sublevet nisi coactus. Profecto nos mortales valde aversamur crucem. Sed quare sunt verba illius Sancti *timent homines crucem nisi quia latrones sunt.* Ego lubens me Simoni Cyrinæo coacto substituerem, nisi timerē mihi à Christo idem obiicendum, quod quondam objecit cuidam novitio Carthusiano. Huic aliquem rigorem ordinis sustinere non valenti, Christus ponderosam crucem humeris portans apparuit, quem dum novitius juvare vellet, à Christo his verbis est repulsus. *Crucem tuam ferre nequis, & alios iuves?* Ego nullum verbum, nullam iniuriam, nullam af-

En Dyon. Carth.

flictionem tolerare possum, quomodo ergo gravius onus, ex alterius humeris meis imponam.

XX. Jam eximus Civitatem, & Christus, ut ei adhuc exiguum tempus pœnitentiæ concedat, sub cruce cadit. Sed audiens eam obstinatiorem, altum suspirium trahit di-
Matth.16. v.4. cens: *Filius quidem hominis vadit, Ve autem ei.* Hierusalem tu me noluisti, interim abi in pace, si eam sine me habere possis. Vale templum valete palatia, valete plateæ, valete fora, igni, & ferro vos destino, & reflectens se ad nonnullas pias Matronas eius
Luca.23. 28. compassione motas dicit: *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Adeo erat bene affectus iis, qui ipsum torquebant, ut in supremis doloribus ostenderet sese dolores non sentire, nisi quatenus in eos erant derivandi. Hic non loquor de occursu, quo matri occurrit in quodam vico. Tacuit Christus, obmutuit illa, solisque nutibus sese intellexerunt, & nisi divina voluntas illa sancta corda solidasset, in illo momento vacillassent. Filius dicebat, o chara mater an me agnoscis? Quin imo replicabat mater. Quid? Tune sine me moreris. Dic quæso, quisnam est gladius, quo iuxta vaticinium Simeonis occumbam?

Ast enim vero, maledicti lictores adeo festinant, ut velut asinum fustibus Christum maturare gressus urgeant, ita ut devota Veronica, vix vultum ejus abstergere potuerit. Huc rogo vos considerate, quantum appetierit meus dolorosus Deus vivam memoriam suæ mortis exprimere in linteo, quam animis nostris imprimere non potuit. Hoc linteum postea Romæ sanavit filiam Tiberii, pro qua ipsemet Christus iussit illud Romam deportari.

XXI. Jam tandem mi dulcissime Domine, pervenisti ad exoptatissimum Calvariæ montem. In hoc monte tu novellus Isaac, tuo Patri immolari debes, Jam hora advenit baptismatis, de qua tam sæpè dixisti: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo* Luca.12. *coarctor, usque dum perficiatur?* Jam v.50.
video, quod vestes tibi detractæ sint, & balneum paratum. Tu novelle Adam es in tuo paradiso, & statum innocentiæ in mundum remittere vis. Ex nativitate tua colligo, quod velis ad pompam ostentare tua vulnera, ita ut nullum permittas vestibus obduci. Verbo, vis significare, & mundo ostendere, quod quamvis ut latro in crucem agaris, nil tamen præter flagra ex mundo retuleris. Tu verus Noe ex nostro amore ebrius, te ad somnum disponis, sed natura pia, & misericors, quæ non patitur videri sui boni patris, nuditatem, tenebris te involuit. Vos oculi m[illegible] hanc novam noctem irrigare incu[illegible]bit, alii in ea non debent spirare venti, quam mea suspiria. Omnes creaturæ indolent, unde forer indignus si ego, pro quo tanta patitur, non flecterer.

XXI. Moribundis nil solet denegari, quid ergo solamen animæ meæ in tua agonia à me petis? Video siquidem quod

quod antequam te extendas super durum lectum crucis innuas, quod mihi loqui velis. Tu vides inquit Christus, quomodo Iudæi me tormentent, affligant, blasphement, execrentur, sed interim scias plures malos Christianos etiam ex iis qui hic præsentes sunt, majora mihi inferre tormenta, quam Hebræos, Nam irreverentiæ Iudæorũ sunt reverentiæ respectu inhonorationum, quibus me dicti Christiani afficiunt. Crederesne non nullos eorum cum pellicibus, & scortis sanctam hanc hebdomadam transmisisse? Persuaderesne tibi, non nullos ad Ecclesiam confluxisse mandato prius dato, de necando inimico, alios pro eo, quod divinis officiis interessent, munus suum pessimè executos esse, alios, qui legendo libros obscenos planxerunt, audita tamen meâ passione, toties in ecclesia prædicari, vel legi, nec ullam guttulam lachrymarum emisisse.

O scelerati abite ab hac ecclesia, *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo?* Ergone hisce diebus afflictionem afflicto addatis? Cito, cito abite, mutate locum, vel animum, alias sane hodie comprehendemini. Sed eheu, quos audio ictus? O miseras manus, pedes, musculos, nervos! Si percuterent incudem, profecto mitius agere non possent. Crux elevatur, ad arma fideles, non frustra quippe dux noster se elevat, ut vexillum sit. Vos qui morsi estis à viperis infernalibus, oculos, affectus ad hunc serpentem æneum, qui ideo evelatus est, attollite. Peccatores, peccatores, qui minas Dei contemnitis, parumper videte, qualiter cruci sit affixus, cernite, an non tergum vertat impiæ Civitati, uti etiam plures Patres observarunt. Videte an non verificetur, id quod dudum dixit: *Ego vado, quæretis me, & non invenietis.* Vultu respicit, occidentem Italiam, Romam, Germaniam, Hebræis reddidit quod promisit: *Dorsum, & non faciem ostendam eis.* Qui ergo fieri possit, ivi vos, qui ideo in peccatis hæretis, quia Deum vobis totum bonum fingitis, omnibus artibus non contremiscatis, dum hoc misericordiarum die Christus tam sævas vindictas repetit.

Isaia 7. v. 13. — *Iois. 7. v. 8* — *Hier. 18. v. 18.*

XXII. Ast enim vero, quæso vos taceatis, cum noster Magister in cathedra jam loquatur, & septem verbis eximia dogmata tradat. *Pater dimitte illis.* Mi domine, quibus veniam rogas? An militibus, qui te transfixerunt, testibus qui te afflixerunt, Iudicibus, qui te condemnarunt, his sceleratis, qui defacto manus contra te exerunt, capita movent, corda indurant? Quinimo, hisce gratiam postulo. O melleum os mei Domini, quod nec felle potatum amaritudinem contrahere potuit! Itane pacem flagitas tibi bellum moventibus gloriam, te spernentibus, salutem, te occidentibus. Et revera plurimi sunt Christiani, & quidem ex iis, qui spirituales videri volunt, qui verbum unicum sufferre nequeunt, ac si esset magis acutum, quam quatuor clavi, & quidem eorum multi sunt, qui dum patiuntur, conqueruntur, quod â pejoribus tolerare

Luca. 23. v. 34.

re debeant, quam tu, & ideo te non imitantur sed plurimis annis duritiem in corde fovent, ita ut ab igne charitatis non liquefiat. Tu hodie cælum, & terram testes contra eos invocas, dum in cruce moribundus rogas, *diligite inimicos vestros*

Mei Christiani amate vestros inimicos. Quodsi hodie vestræ passiones vobis contrarium suadeant, videte, an id, quod tolero, non prævaleat. Itane meus sanguis tam exiguam gratiam non mereatur? O mi domine, tibi pensandum relinquo, an sit charitas in nobis erga hostes, in quibus omnis charitas extincta est erga consanguineos, & amicos. Latroni itaque ignosce, qui duobus verbis gratiosis, tibi cælum rapit. Sed quid dicis de altero, qui animam labris gestans te blasphemat? Sunt plures, qui id faciunt. Propter peccata tecum sunt acti in crucem, sunt infirmi, pauperes, derelicti, persecutionibus agitati, & dum propria delicta deberent agnoscere, in impatientias erumpunt. Tu sitis, sed quid ego possum tibi dare? Omnes dulcedines tecum portasti, nec in terra aliud restat, quam fel. Tu illud gustasti, sed & nobis nostram partem liquisti, minus tamen amarum, ab eo tempore quo tu tangendo, illud condivisti. Tuam matrem, cui moriens nos commendasti, libentissime acceptamus in nostram. Illa erit depositaria nostrorum affectuum, thesauraria tuorum bonorum, post te nullam magis honorabimus, amabimus. Conquereris, quod à Patre tuo sis derelictus, & meritissimè: *In te speraverunt patres nostri, speraverunt & liberasti eos.* Psal. xxi. v. 5.

Clamavit Daniel ex lacu Leonum, & fuit exauditus, tres pueri ex fornace, & fuerunt refocillati, Susanna coram impio tribunali, & fuit defensa: *Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt, in te speraverunt, & non sunt confusi. Ego autem sum vermis, & non homo.* Non velut filium me tractasti, sed ne quidem ut hominem. *Clamo ad te, & non exaudis me,* Iob 30.
adesto, & non respicis me, mutatus es mihi in v. 40.
crudelem.

XXIII. Verum enim vero, cito, cito accurrite huc filii tam boni Patris, ut spiritum eius recipiatis. O mi pater, nobisne non vis benedicere? An nil nobis pro memoriâ relinquas? Vide parumper, ubi nos linquas, in unâ valle miseriarum inter dæmones, inter mille pericula salutis. Uti tu tuum spiritum commendas Patri, ita ego; *In manus tuas commendo spiritum* Lucæ 23.
meum Domine mi IESV, IESV *Domine* Laur Iust.
mi, lumen occulorum meorum, & baculus de Pass.
infirmitatis meæ. Sed Eheu tu vita mea moreris? *Iam Consummatum est.* O hime qualis clamor, qualis planctus, qualis pectoris angustiæ, quales agitationes, quales oculorum contuitus, qualis convulsio colli! Ohime, filius DEI expiravit. Quid? Filius DEI? Illene vitâ est functus, qui nobis datus fuit dux in tot bellis, navarchus in tot tempestatibus, medicus in tot morbis? Ergone ille sit mortuus, qui missus est, ut nobis pupillis esset tutor, cæcis ductor, debitoribus fide jussor? Ita, ille est mortuus, & ego eum occidi.

Illene mortuus, qui magister fuit, ut nos doceret, mammilla, ut lactaret, advocatus, ut defenderet, pretium, ut redimeret, totus bonitas in moribus, gratia in donis, sanctitas in exemplis, authoritas in miraculis? Ita ille est mortuus, & ego eum occidi. Illene mortuus, qui desiderium fuit collium æternorum, cuius adventum tot suspiriis efflagitarunt Patriarchæ, cuius tot privilegia prædicarunt Prophetæ, speciosus inter filios hominum, Angelis excellentior, Nazarenus, Samaritanus amabilis, meus Pastor, Pater, DEUS? Ita ille est mortuus, & ego eum occidi. Ergone ego eum occidissem, à quo nunquam sum læsus, à quo omne exspecto præmium, eum quem si nolebam amare ut patrem, debebam timere ut Judicem, Ego eum, à quo habeo hanc animam, quæ me nobilitat, hoc corpus, quod me sustentat, hunc aerem, qui me vivificat, hanc terram, quæ me alit? Ita ego eum occidi, qui tot titulis sum suus, à quo adeo sum amatus, devinctus. Ego eum occidi meis sceleribus, & quidem morte crudeliori, quam ullus homo possit excogitare.

XXIV. Quomodo ergo totus non resolvor in lachrymas, quomodo non deficio & morior? *Periit finis meus,* & adhuc. *Non est repulsa à pace anima mea.* Ergone vos lapides rumpimini, & ego manebo insensibilis? O corda marmorea! Totâ hac quadragesimâ vos contudi, nec tamen aliquid effeci, nec promissis, nec minis vos domui. Sed quid dicitis? Quomodo non frangimini, dum sanguine Agni mortui, vos aspergo? Vobis loquor mentibus induratis, qui Evangelium instar fabulæ non habetis, vobis, qui hunc discursum scitis non esse piam meditationem, sed veritatem Catholicam, vobis, qui scitis, quod per peccatum mortale denuo crucifigatur Filius DEI, vobis, qui vivitis sine eo, nec tamen ullam delectationem absque eo habetis. Audite; An vel semel coeptis desistere non vultis, sed viam vestram semper prosequi? Si ita, exite ex hoc auditorio, nam ego nebulonibus tam maledictis, & duris hic præsentibus, benedictionem impertiri nolo, nec eam auditoribus impertiar, nisi abieritis. O peccator ne dubites; *Interrogabunt te vincula, sputa, verbera, convicia, petræ scissæ, aperta monumenta insensibilitatem tuam arguent.*

Thren. 3. v. 17. — Laur. Iust. de pass.

Sed quisnam est nostrum, qui non solum excitatus ad hodiernum strepitum totius mundi, & multo magis ad ingentes clamores CHRISTI, suum cor diffregit, lacrymis oculos perfudit, & in his paginis sua grandia peccata legit? Tu mi Redemptor, illis prædica, quia ego amplius non possum. Quid? An forsan eum non auditis? Hic sanguis multo melius clamat, quam sanguis Abelis. Audite Laurentium Justinianum; *Clamant sputa, clavi, Lancea, irritationes, & verbera, clamant, ut ipse toto corde, totuque visceribus diligatur, qui pro dilectione tanta, ac talia perferre dignatus est.* Laur. Iust. de pass.

Audi-

Auditores mei, si Deus vos salvet, ne hodie surdi sitis, quia Christus clamat, & dicit: Filioli mei hodie pro vobis vitam profudi, nil amplius dico, interim cogitate, an mei gratiá non possitis remittere illam injuriam, illam societatem relinquere, illa vitia emendare. Ita mi Domine, possumus. Et quia possumus, cur tui amore, id non faceremus qui pro nobis miseris tanta egisti, & es perpessus? Benedic itaque nobis hodie, ut supremo die simus benedicti. *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ. Et rege eos, & extolle illos usque in æternum.*

CONCIO XXXVI.

PRO DIE SANCTO PASCHÆ.

O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Ose. 13.

Exequiæ mortis, & omnium tristitiarum humanarum.

1. GAudete, gaudete ò mortales, mors mortua est, & ad eius exequias vos invito. Hæc voracissima bellua postquam tot, ac tantos devoravit, tandem uno bolo vitæ est intoxicata; Viscera eius adeo disrupta sunt, ut ab eâ devorati denuo in lucem prodeant. Occidit Christum, & ab eo occisa est; Et ne eius memoria super terram remaneat, humeris eam portans, in inferno eam sepelivit. Tota natura hodie exequias celebrat sui infensissimi hostis, terra lætis gesticulationibus circa eam saltat, cæli cives festivis indumentis amicti, ei insultant. Sancti mille improperia ei obiiciunt. Clamat Apostolus: *Vbi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus?* Omnibus viribus destituta est inquit sanctus Athanasius, nam hæc vespâ molesta, cum aculeo vitam amisit, & omnino perdidit. *Absorpta est mors in victoria* replicat Apostolus, & illud declarat sanctus Chrysostomus: *Mortem Christus, ut mors moreretur accepit; Christus dum occiditur illud, quod omnes occidebat, occidit.* Et ob hanc immensam lætitiam se ipsum non capit præ gaudio magno in antro Bethlemitico Sanctus Hieronymus, ideoque ceto, quod novellum Jonam post tres dies reddere debuit his verbis insultat: *Ille te vicit, ille te jugulavit fugitivus Propheta: Portasti quasi mortuum, ut tempestas mundi conquiesceret, & Niniven nostra illius præconio salvaretur; illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus.*

1. ad Corint. 15. v. 55. — *serm. de pass.* — *ibidem.* — *serm. 82.* — *In epith: Nepot:*

Sed siste inquit Chrysostomus non solum exequiæ mortis, sed & peccati celebrandæ sunt, nam hoc etiam est mortuum : *Linteamina Christi, sepultura peccati sunt.* Quinimo Dæmon etiam mortuus est, & ad hoc bonum nuntium, gaudium hodierni festi est augendum. *Interitum Diaboli divulgemus.* Jam Dæmon sepultus est, & Nazianzenus ei epitaphium ponit: *Sicut merebatur extinctus est & quod tandem illi congruum epitaphium canemus?* Gaudete veri Israelitæ, nam serpens, qui mordere solebat est factus æneus. Hinc dicite ei : *Crux te prostravit, vita auctor tibi necem attulit, exanimis es; mortuus, immobilis, iners, serpentis licet figuram serves, in sublimi loco ignominiose pendes.* Benedictus hortulanus, qui suo baculo caput tot venenosorum animalium elisit. *O vere hortulanus* inquit Chrysostomus, *qui levavit plantaria de gehenna. O vere hortulanus, qui eradicavit mortem.* Itaque tempus est, ut hodie lætemur, dum Christo resurgente exequiæ jucundissimæ mortis, omnium tristitiarum celebrantur. *Christus resurgit* inquit Chrysostomus, *& hostis evanuit.* Jubilemus ergo : *Encænia, encænia solemnitas nostra est.* Alibi non minori affectu clamat idem Chrysostomus : *Pascha domini, pascha iterumque dicam, pascha in honorem Trinitatis.*

Hom. 6. de Resurr.

Orat. 2. de Pasch.

Hom. 4. de Resurr: Nazian: in orat: dem: idem orat: 2. de pasch.

PARS PRIMA.

II. Cedite hodie, & abite cogitationes tristes, dies hodierna nimis privilegiata est; utpote non facta à sole, sed à Domino. Quandoquidem simus cum Christo glorioso, imaginari nobis possumus, quod jam gaudeamus in cælo, ideoque oblivisci debemus, quod simus exules in terra. Post jejunia hodie est dies panis inquit Chrysostomus, & post crassas tenebras est hodie dies lucis. *Omnes alij dies viventium in se tantum continent gaudium, hæc etiam lætitiam defunctorum.* Sanctus Gregorius Nazianzenus hanc diem vocat, natalem humanæ naturæ, sanctus Chrysostomus natalem divinarum gratiarum, eo quod in illa omne bonum nascatur. Ergo sequitur, quod omne malum moriatur. Et hoc forsan Deus per continuum miraculum tot annis in sepulchro Christi continuatum significare voluit; Etenim nocte Sabbathi sancti lampades, & candelæ in sacro illo templo seipsis accendebantur, uti recenset Capharus oculatus testis; absque dubio ad significandum, Christo resurgente exequias mortis celebrandas esse. Hic dies non est dies vulgaris, sed rex omnium dierum, solusque coronam portat. *Sanctum* inquit Nazianzenus *& nobile pascha, diem illum dierum regem.*

Hom. 5. de Resurr: idem Hom. 7. de resur: Nazian: Orat. in novam dom: Chris: tom. 4. hom. de collat: in. sanct.

Vidi Genu in manu scripto apud Raphaelem à Turre.

Idcirco hoc die veluti die magni regis Imperator Valentinianus, & Theodosius carceres aperiebant, & captivos dimittebant. Ideo Ecclesia veneratur hunc diem tanquam regem, ei præmittit quadraginta dies modestiores tanquam satellites, & illi postponit quinquaginta dies jucundiores. Ideo Deus gladium manu gestans videtur ei,

Orat. in funere patris. Ex Baroni Hom. 36. & Ao 85.

ei locū parare dum exercitū Romanū radicitus delevit, ob exiguam reverentiā ergo hunc sanctum diem, dum Atalaricū pugnâ lacessiverat, uti recenset Orosius. Et ideo ab initio Ecclesiæ tanquam rege dierum de eo semper consultatum est, ut debitâ veneratione coleretur. In hunc finem tantum sanctus Polycarpus venit Romam. In hunc finem à conciliis institutus est aureus numerus, & Patriarchæ consueverunt hoc festo literis dictis Paschalibus intimare diem, in quo in sequenti anno illa solemnitas casura erat, uti videre est in Theophilo Alexandrino. DEUS porrò hanc diligentiam tam gratam habuit, ut singulis annis prout elicitur ex Cassiodoro, & Gregorio Turonensi in variis Ecclesiis miraculo comprobarit, dum sacros fontes vacuos sacrâ undâ replevit. Et quia nescio ex quâ incuriâ dies Paschalis non rite semel numeratus erat, distulit fontes aquâ replere, donec ligitima dies adveniret. An non videtis inquit Nazianzenus: quomodo *Princeps anni pars, principi dierum pompam peragit, ac quicquid pulcherrimum, & suavissimum habet dono dat*? Quamprimum terra eius adventum percipit, repetit festivas vestes, maria pacantur, venti tranquillantur, flumina libertati restituuntur, plantæ, & prata ornantur, gestaminibus insignibus spei herbæ, & animalia viventia restituuntur, & ante omnia aves dulcius melos insonant, ac si nobis, cum Alleluia cantare vellent, & ideò inter silvas latentiores sese in suo mirifico cantu exercent. Ita, ita *novum ver mundanum, ver spirituale, ver animis, ver corporibus, ver visibile, ver Invisibile.*

Oros. lib. 7. c. 37.

Apud Baron & alios

In bibliotheca Patrum

Apud Baron in Christ. c. 17.

Nazar. Orat. in novam Dominicam

III. Ut autem hoc verum esse appareat, ipsamet Ecclesia hoc tempore Paschali tota rosea fragrat in tot martyribus, Apostolis, Evangelistis, Prophetis, Virginibus: *Omnia nobiscum contriumphant.* Quod si videatis Angelos candidis amictos, recordemini vestes albas in triumphis adhiberi solitas. Eia ergo tripudiate in illa die, quâ ipsi austerissimi Eremitæ pacem secum inibant; herbasque sale, & oleo condiebant, & uti de magno Hilarione narrat: Hieronymus, præ lætitiâ barbam, & crines recidebant. Argumentum nostri gaudii quodlibet gaudium fomentare sufficit; celebramus quippe exequias & anniversarium nostrarum tristitiarum, unde non immeritò gaudium nostrum hac die immensum esse debet.

Nazianz. ibidem.

Chrysolog. serm. 5. de resurrect.

Hieron. in eius vita.

Ego qui desidero vos replere omni spe, nec minimum timorem vobis incutere vellem, aut ullo tædio afficere, adeoque ne gaudium hodiernum turbem, brevissimus esse conabor. Imitari conabor sanctum Zenonem, qui hodiernas Conciones ad paucas lineas reduxit, aut ad minus Nazianzenum, qui hodie protestabatur. *De die omnium dierum maximo sermones sacrificans curabo, ut oratio nostra sit maximè compendiosa.* De reliquo vobis facillime probavero omnes tristitias, quas Adam per suum

Zeno in Operibus.

peccatum in nos derivavit, Christo resuscitato esse mortuas. Pellite, pellite ergo O mortales cathalogum miseriarum vestrarum, quia timores, dolores, afflictiones, tormenta, agoniæ, defectiones animi hodie nil aliud sunt, quam infelicitas vitæ, & necessitas mortis. Unde cum Christus suâ resurrectione sustulerit dolores unius, & terrores alterius, quid vetat, quo minus hunc diem vocemus aniversarium omnium miseriarum humanarum, in quo cunctis afflictionibus parentamus, & exequias celebramus?

Ob unicum bolum, quem Protoparens noster contrà jussionem DEI manducavit, Majestas illa indignabunda calicem paravit amarissimum, quem juxtà Prophetam omnes eius Posteri ad fœces usque epotare deberent. Christus summo flagrabat desiderio, ut nostram sitim quocunque tandem liquore mitigaret, ideò prostratus in horto Gethsemani calentissimè oravit dicens: *Pater transeat à me calix iste.* Matt. 26. v. 39. Et exploratissimum est, quod fel ab eo gustatum, qui erat totus mel, debuerit exvere omnem amarorem. Heb. 5. v. 7. Et *exauditus est pro suâ reverentiâ*, eumque omnino ad fundum usque exhausit, ita ut eum refutans dicere potuerit: Ioh 19. v. 30 *Consummatum est.* Triginta tribus annis, quos vivens, trivit omnibus tormentis adversantibus corpori, & afflictionibus torquentibus animam se oneravit, & ita oneratus fuit, quod. *Procidit in faciem suam pronus.* Matt. 26. v. 39. Et quidem tantam sibi intulit violentiam & vim, quod tandem: *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit:* Isaiæ. 53. Portavit porrò dolores extra mundum ad insulam crucis, & dein eos recondidit in sepulchro, illudque tam firmiter lapide, & saxo obfirmavit, ut redire non possent. Quinimo sublato lapide Custodes adhibuit Angelos, qui caverent diligentissime, ne generatio tam prava cum ipso sepulta cum damno nostro resurgere posset. Et ita ut inquit Cyrillus: *Factus est nobis resurrectio, abstulit lamenta, & lacrymas, abstulit opprobrium peccati.* Cyrill. in Isai.

Mi charissime Redemptor paucis ante diebus te vidi velut: *Virum dolorem, & scientem infirmitatem*, Isaiæ 53. v. 3 totum lividum, sauciatum, vulneratum, infamatum, irrisum, conculcatum, caput spinis transfixum, cor mari dolorum immersum, vultum sputis deturpatum, manus clavis transfossas, verbo, nullus fuit dolor, nullus angor nullus cruciatus, nullum tormentum, nulla infamia, vel ignominia quæ te non invaserit. Oro te enixe, & efflictim, fac ut videam, ut intelligam, ut capiam, & comprehendam, quomodo tam prava generatio tam dira prosapia, & progenies tecum fuerit sepulta, & non resurrexerit.

IV. Huc

IV. Huc mecum adeste ò fideles, & videte, an non sit verum illud Chrysologi: *Resurrectionis gloria sepelivit morientis iniuriam.* Penetrate illud sanctum cor, in omni angulo indagate illos horrores, tœdia, angores, apprehensiones infamiarum, confusiones ob ignominias, desolationes ob agonias, & videbitis scenam mutatam, ita ut nec vestigium eorum remanserit. Hinc dum discipuli in Emaus illa ipsi in mentem reducerent, denuo jubilavit, exultavit, triumphavit. Et ut hodie detur locus gaudiis Paradisi, omnes afflictiones, angores, tœdia, cruciatus animi evanuerunt. Redite ad illud sanctum corpus, cujus caro tam atrociter fuit lacerata, nervi distracti, musculi contorti, & si nullum signum, vel vestigium vulneris, aut vibicinis inveniatis, centies alleluia alleluia intonate. Siquidem videbitis, & experiemini dolores mutari cum dote impassibilitatis, vincula cum dote agilitatis, clavos cum dote impenetrabilitatis, contusiones cum dote claritatis.

Jo jam semel video nostros crudeles hostes annihilatos, video vos mortuos in nostro Assertore, sed cum sitis mortui in ipso, etiam moriemini in nobis. Hinc Gregorius: *Si capitis gloriam sequentur membra.* Et sanctus Maximus: *Omnes Christo surgente surreximus, omnium enim revixit saluti, qui pro omnium peccatis addictus est passioni.* [14. Mo- ... 3. de ... b.]

Nec sit aliquis qui mea gaudia turbet, nam cerno hodie & video meum Pædagogum, Magistrum, Doctorem, fratrem, Patrem, DEUM totum gloriosum, totum lucidum, totum micantem, & splendentem, totum beatum, unde & meritò exulto, ac si beatus essem: *Vbi enim portio mea regnat, regnare me credo, ubi dominatur sanguis meus, me sentio dominari, ubi glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco.* (*Maximus ibid.*) Permittite, permittite, ut cum sancto Hieronymo ei gratias agam, qui in se ipso omnes hostes nostros occidit: *Gratias tibi CHRISTE salvator tuæ agimus Creaturæ, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideretis occidisti.* (*In Epitaph. Nepotiani.*)

Sed quis sit ille tam politi, & subtilis ingenii, ut credat quod me convicerit. Heus, tu si omnes afflictiones sint mortuæ, quomodo adhuc hodie iis implicamur? O aphrehensiones puerorum, qui & valde mortuos timemus! Quis amabo tibi dixit, morbos esse morbos, postquam eos Christus consecravit? Vade, & disputa cum Paulo dicente: *Cum enim infirmor tunc fortior sum.* (*2. Corinth. 12. v. 10.*) Quis tibi dixit vincula esse ignominiosa? Non ita sentiunt Apostoli, qui *Ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati.* (*Act. 5. l. 41.*) Quis oro tibi dixit mortem adeo esse horrendam? Revera eam non esse talem judicavit iste qui dixit: *Mihi vivere CHRISTVS est, & mori lucrum.* (*Philippen. 1. v. 2.*)

V. Quid ergo sunt adversa, quibus quotidie conficimur? Sunt retia ad piscandum merita, spongiæ ad delenda peccata, nummi ad emendum cælum. Afflictiones nil aliud sunt, quam magnetes, qui DEVM trahunt. Procul recedite, procul abite à cordibus nostris cogitationes moestæ, nam ut dicit Chrysostomus: *Resurrectio mortuorum non sinit nos lugere.* Cum hodie certa nobis detur spes resurrectionis nostræ (nam juxta sanctum Leonem: *Dubitandum non est de consortio gloriæ, sicut dubitandum non est de communione naturæ:*) Nescio quid amplius nos affligere possit. Quod si hodie hoc nuntium ferrem in tumulis reconditis, timerem ne præ jubilo foras prosilirent. Interim iis prædicet Isaias: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate, qui habitatis in pulvere.* Audite vos mortui, Propheta non solum vivos, sed & mortuos ad hoc nuntium resuscitari vult.

Hom. 2. de Resurr. in Epist. 1. ad Corinth.

Cap. 26.

Cap. 66.

Hinc & dicit alibi: *Ossa vestra quasi herba germinabunt.* Et ad despectum Saducæi Hemero Baptistæ, Cerdonistæ, Marcionistæ, Basilidiani. Valentiniani, Carpocratiani, Appellis, Hieracitæ, Manichæi, Celeucii, Hermiæ, Philopponi, qui resurrectionem negarunt, hæc ossa, quæ videtis tam sicca, arida, carne, pelle, venis, arteriis, musculis, medullâ revestientur. Sed quid, Ergone, ego mortuus, & sepultus solum sim traditus terræ in deposito, ita ut plane non sim annihilatus? Quis de hoc dubitet? Post aliquot annos inquit Chrysostomus: *Telluri mandabit Deus, ut depositum reddat.* O anima mea, postquam ero in cineres redactus, tu rursum incoles hanc domum non amplius ruinosam, denuo hos sanguines calefacies, hos spiritus vivificabis, hæc membra ornabis. Et hoc post Theodoretum, Cyrillum, & alios Patres adeo certum est, ut dicat Damascenus: *Si non est resurrectio non est DEVS, nec providentia.*

Ex Baronio & theolog.

Apud Suarez in 2. par disp. 44. Sect. 1.

Lib. 4. de fi

DEVS quippe nequit esse, quin sit justus, nec erit justus, si probiores in hac vitâ atrocius affligi permittat, ut iis in alterâ vitâ præmium non retribuat. Audite Apostolum: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Et merito; nam si non sit alia vita, ad quid in hac nos adeo torquemus? Magna foret stultitia animo tam obfirmato defendere legem Christi, si in altera vita nil sit expectandum præter tormenta. *Si secundum hominem* optime subjungit idem Paulus *ad bestias pugnavi Ephesi; quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Profecto immerito fuisset Christus humanatus, & tanta passus, si post quatuor dies interire deberemus. Ita Chrysostomus: *Neque enim tam multa DEVS esset operatus, si non esset nos suscitaturus, sed dissoluturus, & in nihilum redacturus.*

1. Corint.

Ibidem.

Hom. 17. 1. ad Cori

VI. Datur

VI. Datur alia vita ô mortales, & quidem tam certò, ac datur Deus, adeoque amplius nolite timere mortem. Si hic articulus vacillet, Deus non vult, ut aliis credatis, quia, ut bene dixit Chrysologus: *Tota spes Fidei Christianæ in resurrectione constituta est mortuorum.* Hac veritate admissa, nihil amplius est incredibile, & hoc cognovit Festus, dum de hac materia audierat Paulum; ita enim exclamavit: *Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* Et sanè sine hoc articulo è sensu ipsius Chrysostomi Apostoli ad prædicandum Evangelium missi meritò habuissent totum mundum adversum; cum enim constringerent conscientias, delitias verterent in acerbitates, naturæ contraria prædicarent, irrationabiliter processissent; econtra, qui hanc solam veritatem annuntiarunt, quantumvis viles viderentur ipsis Areopagitis, tamen meritò condiderunt leges. Et sanè non frustra, inquit idem Chrysostomus, hunc articulum præ omnibus aliis oppugnavit, & adhuc oppugnat dæmon.

[Ser]m. 118.

[Ac]t. 26.

[Ser]m. 5. in [1.] d Cor.

[Ch]rysost. [Ho]m. 17.

VII. Optimè scit, quod sublato hoc articulo, virtutis opera dissolventur, & quod omnes pro libitu nostro vivemus. Conclusissimum hoc habuit quidam hæreticus Genevensis. Hic, dum quadam vice in consultationem traheretur, quomodo Ecclesia posset subverti, & in diversas iretur sententias, uno asserente, optimum esse medium, si tolleretur reverentia erga Sacramenta, alio, si obedientia erga prælatos, alio, si Scriptura, alio, si Theologia; subdidit, hæc omnia irrita fore, quamdiu mundo non fieret persvasum, cum hac vita omnia interire; nam si mundo persvaderetur Pietatem, Charitatem, Justitiam, reliquasque virtutes, cum vita desinere, omnia acta forent. Et revera ingenio sensato polluit, si illud potuisset applicare.

Et veluti ipse efficacissimum medium censuit, hujus doctrinæ abolitionem ad tollendam Ecclesiam, ita ego ad eandem reformandam hanc ante omnes stabiliri vellem. Pareamus consilio Petri Chrysologi dicentis: *Resurrectionem mente, ore, oculis spectet, cantet, cogitet Christianus,* & sitis certi, non solum hunc fructum hominem habiturum, *ut totam mortis possit despicere, & calcare formidinem*, sed mente à terrenis abstracta seipsum daturū totū cælestibus. Ast ego hodie vereor, ne præ excessu jubili insaniam; nam summa me consolatione afficiunt verba Job: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* Tanta certitudine hoc scio, ut maior dari non possit.

Serm. 118.

Job. 19. v. 25.

Venias itaque, quandocunque velis ô mors, quę quidem alias me terrefecisti. Et quamvis multi scripserint de bono mortis, tamen sine Resurrectione non alia es, quam te depinxit eloquentissimus Chrysologus: *Desperationis domina, germana corruptionis, inferni partus diaboli coniux, omnium malorum Regina.* Quia tamen per te ex vita temporali transeo ad æternam, veni, quando Deo meo placuerit, quia vel in me-

Serm. 118.

moriam revocabo illud sancti Zenonis: *Pene omnia suis mortibus vivunt, & stellæ funereæ faces solemnitate in occasus suos, quasi quibusdam deducuntur exequiis.* Nec tamen ob hoc desinunt, quin redeant vivaciores, & clariores, vel illud Tertulliani, quod Phœnix, cujus sepulchrum sunt venæ, & ubera cineres, sit heres suiipsius, sibique succedat, vel (ut omittam exempla antiqui Athanagoræ, & aliorum Patrum) accipiam id, quod dicit Apostolus, & fusè declarat Gregorius, nempe semen arborum postquam emarcuit, renasci in truncum, ramos, medullam, frondes, nodos, fructus.

Serm. de Resurrect.
De Resurr. carnis.
In lib. de hac materia.
1. ad Cor. 11.
Greg. in moral.

Et cur vultis, ut finiam? Revera gratus est hic discursus, hinc Chrysologus: *Semper de Resurrectione libet dicere, jugiter de Resurrectione delectet audire.* Oro vos, ne me turbetis: *Resonet in ore nostro Resurrectio semper, semper Resurrectio ad nostræ mentis transmittatur auditum, ut mors, quæ semper nostros obsedit sensus, cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur.*

Ibidem.

PARS SECUNDA.

VIII. JAm feliciſſimum Paſcha omnibus vobis in altari à Deo rogavi, isque illud non solum hoc anno, sed & plurimis aliis largiri dignetur. Quomodo putatis à sancto Chrysostomo hunc diem vocatum? Nuncupavit eum advocatum pauperum. Audite ejus insignem conceptum. Ponderat, cur sanctus Paulus, postquam jam ordinaverat, ut apud Galatas collecta fieret pro pauperibus die dominica, consecrata resurrectioni DOMINI, eadem quoque fieret apud Corinthios, & varias adducit rationes: *Quia tunc à labore omni cessatur, relaxationeque, & feriis alacrior fit animus*, & postea concludit: *Diem illum in medium attulit, ipsum in advocatum assumens, qui cuique diceret: Cogita homo, quanta, & qualia bona accepisti hoc die, quantis malis es liberatus.* Omnes tristitias sepelivimus, & earum exequias celebravimus. Verum una erigit caput, & me turbat, sed qualis est? Ingenuè id dicam. Ego lætissimus eram, non solum ob caussas dictas, sed etiam, quia putabam me vos omnes videre dealbatos in sangvine Agni mediante bona confessione, & communione. Verum hæc molesta cogitatio ita me vellicat. Optimè, sed quamdiu hæ animæ mundæ manebunt? Nescivi, quid responderem, sed solum intra me dixi: Si more consveto in mundo agatur, hæc mea satisfactio parum durare potest.

Tom. 4. hom. de collat. in Sanctos, & Eleemosyna.
1. ad Cor. 1

Et quamvis de omnibus bene sentiam, tamen in sanctum Chrysostomum incidi, qui dolebat, quod plures Antiocheni gauderent diem paschalem illuxisse, eo, quod Quadragesima jam finiisset, & dein in sanctum Basilium, qui, postquam per septem septimanas Cæsariensibus prædicavit, doluit se tam parum profecisse, ut domicellæ diem sacrum Paschatis ornamentis vanis templa profanatura accesserint, porro, ultimo incidi in sanctum Bernardum, qui plusquam omnes effervescens, *Proh dolor!* inquit, *peccandi tempus,*

Hom. 9. in popul.
Serm. 14. de variis.

pus, terminus recidendi facta est resurrectio Salvatoris. Sunt plures, qui totâ Quadragesimâ ad hunc diem anhelant. Scitis cur? *Heu! ut liberius indulgeant voluptati.* Hodie reditur ad ludos, choreas, nugas, scorta. *Quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis propter iustificationem nostram.* Siccine vos Christiani infelices celebriora festa CHRISTI transigatis? Hiccine sit fructus tot concionum? Hæccine emendatio post concionem? Hæccine reverentia erga Communionem? *Obnubilat fratres solemnitatis lætitiam materia tristior.* Sed quid faciendum? *Ipsius plangimus solemnitatis iniuriam, quam dissimulare non possumus, nec in ipsa, imo minus in ipsa.*

Interim hodie non stomachemur, quin potius in id connitamur, ut hanc suspicionem melancholicam sepeliamus. Porro, in hunc finem duo à vobis posco. Primo, ut celebretis Pascha, hoc est, transitum; ut enim inquit sanctus Maximus: *Bonus transitus, transire de peccatis ad Iustitiam, de vitiis ad virtutem.* Charissime, moneo te cum Nazianzeno, muta cogitationes, opera, in veteri novus efficere, animaque encœnium celebra. Alias nil facimus. Secundo, postquam Pascha celebrasti, caveas, ne illud dissolvas; nam ut inquit Valerianus, *Diligentia naturam vincit, negligentia revocat ad naturam.* Nisi aliquo modo naturam violentaris, ad pristina remeabis.

[Ho]m. 4. de [Re]surrect.

Hom. 3. de bono martyrii.

Sed quale remedium, si casu in antiqua relabaris peccata? Non exspectate sequens Pascha, mei Auditores. Cur suspensus hæsit Absolon? Id dicet Drogo: *Quia gravabat eum Cæsaries, & non nisi semel in anno tondebatur.* Cur tot damnantur Christiani? Quia non nisi semel in anno (Deus scit qualiter) confitentur. Vultisne semper vivere læti? Agite, ut quilibet dies vobis sit Pascha, hoc est transitus ab affectibus, & desideriis temporalibus ad æterna. Bene addiscite illud Nazianzeni, & continuò cogitate, dari aliam vitam veris Christianis promissam: *Præstat cum Christo, & pro Christo pati, quam deliciis, voluptatibus, que cum aliis indulgere.*

Drogo serm. de pass.

Naz. orat. 2. in Pasch.

CONCIO XXXVII

SPES DESPERATORVM.

PRO DIE SECVNDO PASCHÆ.

Qui sunt hi sermones, quos confertis adinvicem, & estis tristes? Lucæ 24. cap.

Humana natura virtute divinæ gratiæ plurimum valet.

I. VOs Prædicatores Evangelici vel iam semel fatigati descendite ex pulpitis. Mundus vestris cedit rationibus, sed tamen ea, quæ svadetis, censet infactibilia. Vos peccatores afflixistis, sed non correxistis. Quod si via versus Cælum sit talis, qualem eam describitis, omnes exanimati de eo conquirendo desperant. Averroes id intellexit speculativè, quod nos practicè, nempe, quod *lex Christianorum sit lex impossibilium.* Nostræ vires non sunt pares iugo Christi, nostri pedes eius viis sunt inepti. Videmus bene, quod eius sequela sit nobis utilis, sed propter difficultates obvias redditur impossibilis. Cur prædicatur Constantia, si nos simus vitris fragiliores? Cur svadetur Gravitas, si nos omni pluma simus leviores? Cur Mansvetudo, si nos omni bellua simus magis vindicativi? Cur Humilitas, si omni gigante simus superbiores?

Hæc omnia idem sunt, ac si mandares avibus, ne volent, piscibus, ne natent, quadrupedibus, ne ambulent, ventis, ne spirent, fluminibus, ne inundent, maribus, ne sæviant. Nobis vitia sunt naturalia. Politicus est vulpes, & ideo nequit non fingere, latro est vultur, & ideo nequit non insidiari, malignus est scorpio, & ideo nequit non pungere. Sanè vita proba nobis non convenit. Vos ipsi, qui eam svadetis, nunc supponitis, quod sit iter difficile per rupes, invia per dumeta in desertis, & per spinas in pratis. Supponitis, quod sit fluvius, qui non est navigabilis, torrens, qui valde furit, labyrinthus, ex quo non exitur. Permittite ergo, ut cum Elia desperantes gressus figamus, & sub umbra cuiusdam iuniperi quiescamus.

Vos depingitis eam, quod sit navigatio infestata à scopulis, qui non quiescunt, nisi sint fracti, impetita à pyratis, qui non videntur, nisi, quando vicerunt, occupata à vorticibus, qui non timentur, nisi, quando absorpserunt. Permittite ergo, ut in terra degentes

paucos

paucos dies tranquillè transigamus. Vos eam describitis, quod sit militia, cui omnes dæmones sunt infensi, qui in inferno sunt, omnes passiones adversæ, quæ in corde nostro uniuntur, omnes occasiones hostes, quæ in pravis obiectis videntur. Nos homines pacifici non habemus oculos, quibus continuas excubias agamus, multò minus habemus arma, quæ ad continuum certamen stringamus. Jam id experti sumus in pluribus præteritis festis paschalibus. Expedimus nos à peccatis, sed post duos dies illa repetimus. Cursus præsentium non finit, quod nos reflectamus ad futura.

O Deus, ô cæli, nobis non sunt scalæ, quibus ad vos scandamus. Vos estis pro Apostolis, Prophetis, Virginibus, Martyribus. Nobis verò peccatoribus tot pravis habitibus irretitis non est possibile, quod ad tam sublimia aspiremus. Enimvero sistite, ô pusillanimes, ego, qui vestras spes tam malè fundatas sæpius temerarias esse convici, nunc interim nolo vestras diffidentias destitui omni remedio. Pellite è cordibus illos tristes cogitatus, quos infernus vobis instillat. *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Ergone unquam verum sit, quod ex meis concionibus eliciatis id, (siquidem idem, quod ii dixerunt, dicetis) quod Hebræi ex prædicationibus Ezechielis eduxerunt? *Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo vivere poterimus?* Quomodo vobis vivendum sit, chari Auditores, nunc audietis, sed prius è templo eiicite illos obstinatos, quorum duritiem frustra pulsavi. Hic meus discursus pro iis non est, sed solum ad eos dirigitur, qui viam meliorem ingressi timent de Constantia. Volo, ut hi per varios tubos opticos conspiciant, quid possit humana fragilitas à Deo adiuta, qui, ut bonam voluntatem stabiliat, omnibus modis potentiam experitur.

[Margin: Luca 24.]
[Margin: Cap. 33.]

PARS PRIMA.

II. Quod si viribus naturæ ferendum foret onus Legis Evangelicæ, ego primus desperarem; nam à me ipso impeditus, nec bonum possum cogitare, nec facere. Duas sacras syllabas non possum connectere, multo minus me eximere infamibus basiationibus mundi, voluptatibus bestialibus sensus, amicitia fraudulenta diaboli. De omnibus nobis actum est, nisi virtus extrinseca nobis succurrat, quæ non potest esse alia, quam gratia divina. Hæc, porro, dum nos videt animo relictos, è suo solio clamat: *Et quare moriemini, domus Israel?* An vos forsan creditis cum Epicuro *Deum esse inexercitum, &, ut ita dixerim, neminem humanis rebus?* Proponite, quod me in vestrum auxilium velitis, & statim videbitis, quod sim Deus, qui neminem mihi confidentem deserit. Quod si aures meis vocationibus præbeatis, quodlibet difficillimum opus aggredimini, quia vobis possum dare velle, & volo subministrare posse. Et cur ergo vos homunciones pusillanimes animo cadatis? Illæ anchoræ innitamini, & dein ridete omnes fluxus & refluxus, quos in vobis causat spes & timor.

[Margin: Tertull. l. 7. Apologia.]

Simus nos ipsa ineptitudo, ast quid hoc refert, inquiebat Paulus? *Fortissimum*

[Margin: Ad Hebr. 6. v. 10.]

enum solatium habemus, quo confugiamus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus omnes tutam, ac firmam. Vires nobis non sunt congenitæ, sed extrinsecus adveniunt, sufficit, quod in occasionibus nobis ad manum sint. Ast verò progredere mecum ulterius, & mecum considera, quantum Deus possit, & quomodo nobis succurrere velit in necessitatibus spiritualibus; nam hac consideratione nullum invenio pharmacũ valenti⁹ diffidentiis nostris.

III. Heus tu, qui adeo dejectus es ob præteritos lapsus, ut credas in via Sanctorum ultra duos passus te non posse progredi, succenset tibi sanctus Pater Augustinus, quod adeo diffidas tuis viribus naturalibus, ut nil, vel parum te reflectas ad essentiam divinæ gratiæ: *O homo, quicunque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & Omnipotentiam cœlestis Medici non attendis?* Scio, quod ob pessimos habitus valde sis infirmus, interim tibi non palpo. An tu forsan sis primus, qui se tanto Medico committat? Permitte te ab eo curari, & post paucos dies fateberis, quod *ipse est humanarum ægritudinum Pæonius Medicus, & sanctus ægrotæ animæ incantator.* Habet quoddam *Elixir vitæ*, & quintam essentiam gratiæ, qua incantat omnia mala, & hactenus nusquam visâ magiâ illa vertit in bonum.

Serm. 18. de temp.

III. Pastores transformat in Prophetas publicanos in Evangelistas, persecutores in Apostolos. Quod si hæc non sufficiant, in latrone crucifixo *pœnam mutavit in martyrium*, [sunt verba Cypriani] *sangvinem in Baptismum.* Huc adeste timidi pœnitentes, *venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Admiramini mutationes, quas in nobis terreis hominibus patravit. *Annunciate inter gentes studia ejus.* Aquila legit *metamorphoses ejus.* Dicite Poetis, ne me amplius vexent suis miris metamorphosibus in maribus Siciliæ, fluminibus Italiæ, fontibus Arcadiæ, arenis Lybiæ, marmoribus Phrygiæ, in cunctis angulis Græciæ, in ædibus Phaetontis, Cadmi, Pandionis, Priami, Licaonis, Danai; nam hæ vel indignationi, aut recreationi Deorum sunt tribuendæ. Quotquot lacrymas finxerunt mutatas in saphiros, sangvines in rosas, naves in stellas, capillos in serpentes, dentes in viros, puellas in arbores, venatores in cervos, rusticos in ranas, nec minimè transformationi, quæ quotidie fit in peccatoribus virtute divinæ gratiæ, componi possunt.

Serm. de cœna Domini.
Ps. 45. v. 9.

IV. Ego, qui id incomperto habeo, inquit Augustinus, hoc vobis monstrare volo. Ego, & plures alii intemperantissima fuimus terra, & quidem terra immundissima, & en, instar exhalationum, quæ sunt terreæ, *hoc dono accendimur, & sursum ferimur, igne bono inardescimus, & imus.* Evadimus novi Seraphini in Cælum novum, immortales pyraustæ transimus in ignem vivum. *Spiritus ejus ornavit cœlos* Quod si velitis in stuporem rapi, notate, quibus stellis eos ornavit. Capita inquieta, & vaga, quæ nec per mediã horã uni rei intenta esse potuerunt, attraxit, & affixit astro suæ legis, & tanto lumine ea illustravit, ut totum mundum illuminare potuerint. Videte, quot non Saturni, hoc est homines barbari ignoscere non assveti, nec quidem suo sangvini, nempe Moyses, qui ex latrone factus est Eremita, nempe Saul, qui ex duce lictorum factus est Apostolus, illos cælos ornant.

In confess. cap. 13.
Iob. 26. v. 13

Videte,

Videte, quot non in iis reluceant Joves, hoc est, adulteri, & libidinosi sceleratissimi, qui toti in hoc fuerunt, quomodo suis bestialibus lasciviis nova invenirent oblectamenta, nempe Bonifacius; qui ex æde dæmonum fecit templum Dei, nempe Genesius, qui ex luxuriosissimo comœdo evasit in prædicatorem, & martyrem Christi.

Cernite, quot sint ibi Martes, qui ab usu ferrei facti semper spirarunt vindictas, & ulciscentias, qui suâ audaciâ, & generositate omnibus formidabiles facti fuerant, velut Eustachius, qui sub nomine Placidi crudelis fuit belli Dux, velut Sebastianus, jam famosissimus belli decurio, qui elatus omnia pericula contempsit. Conspicite, quot ibi sint Veneres, hoc est pellices, quæ minimo pretio usum corporis prostituerunt, ad hoc solum natæ, ut parentes inhonorarent, incautos in mille ruinas inducerent, velut Pelagia, quæ fuit Circe Antiochena, & Maria Ægyptiaca, quæ ad fluvium Nilum Sirene fuit. Videte, quot ibi sint Mercurii, hoc est, mercatores, qui solum ditati ex facultatibus pauperum, & à Regibus, & subditis sublatarum, velut Matthæus à telonio vocatus ad seminandas gratias, Zachæus ab usuris promotus ad prælaturam Ecclesiæ. Conspicite, quot sint ibi Lunæ, hoc est, animæ imperfectissimæ, à qualibet umbra offuscatæ, à quolibet pulvere terræ maculatæ, terræ alligatæ, velut illi, qui relictis aulis se contulerunt ad Eremos, & ex Monarchis orbis se fecerunt perpetuos mancipes Dei.

V. Verumenimvero, quid illi præ nobis habuerunt, ut eousque, quo ipsi pervenerunt, etiam nos non possimus progredi? *Prætendat alter meritum*, inquit Bernardus, *mihi bonum ponere in Deo spem meam.* Quamvis experiar me debilissimum, tamen, quando portor, vel propellor à curru talium auxiliorum, iis me futurum parem, & ad eos me venturum confido. Quid opus est, inquit S. Leo, ad Cælum nos scandere, ad tantam potentiam videndam, cum millies hic in terra prodigiosissima visa sint? Eamus, & videamus illam pluviam lingvarum ignitarum, quæ sacro Pentecostes die è Cælo manavit, ut hominum corda frigida accenderet, & attoniti clamabimus: *Ubi Deus magister est, quam citò discitur, quod docetur!*

Serm. 9. in psalm. Qui habitat.

Serm. de Anth.

Ille ros gratiarum, qui decidit horâ tertiâ, invenit piscatores, & effecit Principes, reos, & formavit Judices, discipulos, & fabricavit magistros. Ex cuniculis fecit leones, talpis aquilas, pecoribus pastores. Jejunia corporum transformavit in ebrietates spirituum, timores in intrepiditates, silentia in torrentes verborum, ita, ut, conversi in alios homines, *ardentius velle, & efficacius posse cœperunt, proficientes à præceptorum scientia, ad tolerantiam passionum.* Sed quid hæremus in cœnaculo, ut videamus prodigia, quæ sunt dispersa per totum mundum? Huc, huc adeste pusillanimes, inquit Cyrillus Hierosolymitanus & contemplamini mecum *magnum Præsulem, & gratiarum Parochum, quomodo in universo mundo aliis Castitatem, aliis paupertatis studium tribuit.*

Cat. 16.

Qui estis vos filii hominum, qui diffidatis? Videte, quot, & quantos Deus sublevet per extases in aera, quot, & quantos introducat ad domesticam familiaritatem Angelorum, quot, & quantos

quantos constituat velut publica remedia cunctorum malorum. Videte, quomodo verissimum sit illud Basilii: *Huius gratia Deus quisque est Sanctorum.* Unus loquebatur uno idiomate, & intelligebatur ab omnibus, alius secreta cordis penetrabat, alius montes transtulit, alius mutis lingvam, alius mortuis vitam dedit. Hic sine nave navigabat, alius sine annona populos satiabat, aquas solidavit, ignem frigefecit, pisces prædicans auscultantes habuit, leones provocavit illæsus.

Hom. de Spiritu sancto.

VI. Et sanè hoc minimum est argumentum, quamvis sit magis sensibile, probans, quid in nobis possit gratia Dei. Enimvero, dum videmus, qua svavitate mutet affectus, eosque trahat ad res amandas nobis odiosissimas, illas odiendas, quæ nobis sunt charissimæ, sine alio maiori spei viam aperiet. Fuit, qui maximè consectabatur vitam Epicurei continuis deditus lasciviis, lautioribus vescens ferculis, familiaritatibus assvetus dissolutissimis, at illicò, ut audivit indici ieiunium quadragesimale, reverentiam Ecclesiis, pœnitentiæ opera, statim sic secum discurrit: Ergone sit possibile, ut talpæ fiant aquilæ, lepores leones, formicæ elephantes, & ego adeo delicatus ad rigores me non accingam?

Serm. 1. de Pentecost.

Hic, hic, inquit Bernardus te habeo, dum convictus es ab experientia tam multorum, qui iureiurando possunt affirmare id: *Quod per naturam est impossibile, per gratiam Dei non solum possibile, sed & facile fieri.* Nec te pigeat, quo minus mecum consideratione concedas ad Eremos, ut videas tot, & tantos, qui conversationibus se exuerunt, ut solitariæ vitæ vacarent, crapulis valedixerunt, ut ieiuniis assvescerent, plumeis culcitris, ut cubarent super saxa, vestibus sericis, ut vestirentur ciliciis. Viden, quomodo pluribus annis ad ripam Nili convivant crocodilis, in desertis Ponti semper dimicent cum dæmone, quomodo inter nives Scythiæ congelentur, quomodo ardeant in arenis Libyæ. Quid dicis de eorum cibis? Pugno olerum celebrant Pascha, aquam bibunt ad mensuram. Sabinum dicunt nil gustasse, nisi panem bis coctum, Julianum non nisi avenam, & hordeum. Quid censes de raris inventis, quibus horrida reddiderunt deserta, aut difficilem somnum? En, Hieronymus se petris contundit, Onuphrius se flagris proscindit, Benedictus in spinis se volvit, Bernardus in balneis se mergit. Conspice Eusebium ducentis quinquaginta pondo chalybis onustum, Thaddeum inter acutarum cuspidum cincturam circumdatum, Zenonem in una tumba vivum sepultum, Baraditum arcâ conclusum. Videsne illum senem adeo curvatum? Sunt viginti anni, quibus Cælum non conspexit. Cernisne illum, qui consistit in illa basi columnæ? Sunt quadraginta anni, quibus non descendit. Macedonius delituit in illa fossa quinquaginta quinque annis, & sexaginta Aceplema in illo antro conclusus fuit. Non fuerunt nati inter saxa Deucalionis, nec habuerunt corda chalybea, sed plautissimè in ædibus paternis fuerunt educati.

Antonius parentum ditissimorum heres

heres fuit, Arsenius duorum Imperatorum Pædagogus, Ægidins nobilissimo sangvine natus. Quomodo ergo tu possis videre implicantiam, quod ille Deus, qui illis dedit tantum vigorem, non possit tibi reddere levia nonnulla jejunia præcepta aut alia quædam incommoda reddere svavia, ut jugum Christi faciliter portare possis?

VII. O ambitiosi, non diffiteor, quod inter tot verba, quæ Deus ad posteros Adami dixit hoc unicum, *dominamini*, eorum cordibus impressum maneat, si tamen humilitatem velitis amplecti, svavis flatus divini Spiritus actutum omnem fumum è vobis pellet. Videte Ambrosium fugam arripientem, ne mitrâ donetur, Gregorium sese occultantem, ne à dignitatibus quæratur, Aumonium aures sibi præscindentem, ne eum prælaturæ insequantur. Conspicite Carolomannum à sceptro ad pecorum custodiam sese dimittentem, Gallicanum Consulatu abdicato servitiis vilissimis in hospitali sese dantem, Alexium in ædibus paternis velut extraneum gaudentem, quod fuerit scopus irrisionum à vilissimis servis sibi irrogatarum, Simonem Salonium, alias doctissimum, sese stultum simulantem, ut ita contemptibilior reddatur. Quomodo ergo nos animo deficiamus, quantumvis simus fragiles, si Deus tot, & tantos adeo animavit?

Generosiora proposita concipite, vos meæ irrationabilissimę diffidentiæ. Sumus in manibus Dei, qui pœnitentias potest reddere delitiosas Sed parum dico, sumus in manibus illius Dei, qui potest mutare humiliationes in dignitates, minus dico, qui potest efficere mortem vita amabiliorem. Profecto virtus divinæ gratiæ non parum corroborat quamlibet fragilitatem naturæ. Quod si aliquis id non credat, is hoc videat in sanctis Martyribus practicatum.

Dæmon ad primum sonum tubarum Apostolicarum in furias actus, statim totum infernum ad classicum evocavit, & crudeliores mortes, quam sua, vel alterius ferocitas possit excogitare, statim paravit, & offensione corporum animabus omnia subsidia præscindere putavit. Interim Ecclesia si poterat, sub quatuordecim atrocissimis persecutionibus vivere debebat; nam ejus filii, quocunque se vertebant, conspiciebant apparatus, ut caperentur, ligarentur, compedibus vincerentur, lacerarentur, præcipitarentur, lapidarentur, torquerentur. Videbant acinaces, gladios, rotas, sagittas, secures, equuleos.

IX. Conspiciebant tauros Berylli, equos Hippolyti, crateres plumbi liquidi, balnea stagnorum congelatorum, ahena bullientia, in quibus amburerentur, craticulas, quibus torrerentur. Cernebant in manibus carnificum subulas, quibus oculi eruerentur, forcipes, quibus dentes extraherentur, faces, quibus urerentur, fustes, quibus fustuarentur, pectines, quibus lacerarentur, scorpiones, quibus excarnificarentur. Ubique intuebantur bestias fermè fame necatas, fornaces accensas, cassides ignitas, vespas, à quibus nudi tormentarentur, fumos, quibus suspensi suffocarentur, scrobes, in quibus vivi sepelirentur, ut interim sileam de diversitate patibulorum, equuleorum,

catastarum, cipporum, laqueorum, præcipitiorum.

Sed quid non potest gratia Dei in quolibet homine? Simeon senex centum viginti annis natus instar cygni cælestis cantat in cruce, eique respondent pueruli septem annorum Mammetes, & Vitus. In craticula gaudet Laurentius, & Theodorus in suis tormentis jubilat. Nulla sponsa tanta jucunditate ivit ad nuptias, quantâ perrexit ad mortem Agnes. Barbara nunquam se magis à patre diligi sensit, quam dum vidit, quod ab eo, tanquam à carnifice, occideretur.

Dicite Sodes, an non hæc sunt sancta incantamenta divini Spiritus, qui tantam multitudinem unius cordis esse effecit, (res profectò valde rara) & maximè, dum ageretur de tormentis, & non delitiis? Vide in valle Agacena plus, quam sex mille Thebeos, in monte Ararab centum mille occisos, & crucifixos, prope Coloniam undecim millia virginum neci tradita, Nicomediæ Ecclesiam multitudine confertam, & in Phrygia integram urbem populosissimam martyrio affectam, ita, ut nullo dempto omnes ad mortem, velut lautissimum convivum, cucurrerint.

X. Conspice matres, quæ tam affectuosè proles superstites optant, mutantes affectus, & earum tormentis delectari. Ita Martha sangvine Abacum, & Audifacis genas suas sangvine pingebat, sic Antiochena sub Valente filium brachiis gestans ocyus advolavit, eundem martyrio oblatura, ne aliquis superesset. Sic illa Heroina Sebastensis suum charum Melitonem seminecem currui injecit, quo vehebantur quadraginta Martyres jam occisi.

Intuere parumper, quomodo tot innocentes pueruli, lac adhuc sugentes, suum sangvinem pro Christo fundant. Ita Justus, & Pastor, è trivialibus scholis ad theatrum accurrerunt, ut se magistros consummatos patientiæ ostenderent. Ita Antonius candidis vestibus, tanquam ovans, neci se obtulit, ita Julianus Podagricus à duobus servis ad macellum se portari fecit, ut ita in Cælum volaret, ad quod ire non poterat. Ita Theodora virgo contendit cum milite, qui eam & lupinari extraxerat, volens in omnibus cedere benefactori, præterquam in primatu martyrii, ita suo modo invidit Tranquillinus Zoe. Et ne dicere quis posset feminas viris promptiores fuisse ad martyrium subeundum. Audite quorundam fortitudinē, plures sanè fuerunt, qui, ut feminas tormentis subducerent, & in se illa derivarent, vestes cum iis mutarunt. Ita Comœdus Philemon vestes induit Apolloniæ, ut furiosam barbariem in loco magis desiderato satiare posset. Sic Cyprianus carnifici, à quo capite minuendus erat, gratificaturus eum heredem instituit non exiguæ summæ auri. Ita præter Apolloniam trecenti fideles promptiores ad ignem sufferendum, quam essent persecutores, ut illos in eundem conjicerent, fuerunt.

Profectò patet, verissimum esse illud Chrysostomi, quod, animati à divina gratia, *adamantinum corpus habent*, & illud sancti Bernardini, nempe, hanc virtutem *in Cælum volare, & cælestes facere, quos replevit*, & illud alterius: *Esse hoc philtrum divinum, & amatorium incantamentum.* Quid ergo quereris, ô peccator diro morbo correptus, ac si sanitati perfectissimę non posses restitui. Tu nescis, quale

Hom. 52. in Act.

Serm. 1. de 7. donis.

Ex Mystag. Cresol.

quale nectar Deus habeat in suo cratere, aperi os, & cape efficacissimos morsillos, qui ad æternam vitam te disponent. *Nunquid est abbreviatus Spiritus Domini, ut ad te quoque non pertingat?* Totum replevit orbem, nec te vacuum permittet, qui tam ardua Martyribus facilia redderit, an non levi brachio tuas potest illustrare tenebras, tepores calefacere, culpas emendare? *Convertamini in Domino, & in potentia virtutis ejus,* vos omnes, qui adeo virtutibus vestris diffiditis. Necdum vos video pacatos. Sed quid sibi hoc vult? Audio mihi unum respondentem, quamvis sim certus, quod Deus in me omnia possit, tamen valde dubito, an hoc velit facere. Ergone tu tam viliter sentias de infinita bonitate, quæ à principio mundi hucusque novos semper vestigat modos, quib. nobis bene faciat? Adeone Deus tecum hucusque ita egit, ut fundamentum habeas suspicandi, quod te nolit recipere, quamvis ad eum vadas?

Mich. 2. v. 7

Eph. 6. v. 10.

XI Te creavit ex nihilo, & quidem hominem capacem præcipuis ejus donis, & gloriis, te collocavit non in adusta Caphraria, aut congelata Tartaria ubi si natus fuisses, viveres velut bestia, sed te constituit in amœnissimo viridario, optimè exculto, & Catholicæ Italiæ, Germaniæ &c. Mox, ut fuisti renatus per sacrum Baptismum, te militiæ suæ adscripsit, custodem tibi dedit Angelum, insignem tibi dedit Magistrum, & quamvis ingratus ei vertas tergum mortaliter peccando, non tamen in tot periculis desinit te adjuvare, tot basiationibus suaviari, tot vocationibus trahere, quinimo, quotiescunque te pœnituit erratorum, non solum tibi ignovit, sed & suo corpore, & sangvine refecit. Quod si dæmon, tuus capitalis inimicus, tibi laqueos struxit, quibus te inferno invehat, ille eos diffregit.

Et ne mors te inopinatū obrueret in statu peccati mortalis, eā semper longè abegit, & hoc quidem eo tempore, quo fœdere cum ejus hostibus innexus eras, eo tempore, quo ejus consilia spreviisti, præcepta violasti. Quomodo ergo nunc ita insanias, ut in dubiū trahas, nū te velit recipere, quando ad eum vis redire? Quod si aliquis filiorū tuorū ebrius in puteū lapsus fuisset, & tuas auxiliatrices rogaret manus, profectò eas illi non denegares. Quomodo ergo Deo temerè illā crudelitatē affrices, quā non potes imaginari, quod tibi queat convenire?

XII. Siccine ergo Deus non velit nobis assistere, qui festū instituit, dum aliquis peccator convertitur? Qui promisit, quod eū in cælesti aula magna eminentia donare velit, qui aliquē misellū peccatorē ad viā Cæli reduxerit, qui, dū peccatores ad eū revertuntur, suā ponit majestatē, iisq; obvi⁹ procedit tot gratiis prævenientibus, ut eos justificantib⁹ gratiis amplectatur, qui eos proprio balteo vestit, & in proprio sinu recondit? Ergone Deus nolit excolere illa desideria, quæ ipsemet seminavit, ut maturescerent, ob quæ adeo desudavit, ut cordi alligarentur, nunc adhibendo gratiosa promissa, nunc minas horrendas, in subsidiū vocando omnes admonitiones prædicatorū, omnē efficaciam Sacramentorum, omnem virtutem impetrativam sacrificiorum, bona exempla sodalium, utiles svasiones amicorū?

Ergone Deus non stet promissis tam asseveranter juratis, quibus addixit, quod

quod velit se convertere ad peccatorem, qui convertitur, omnem memoriam peccatorum ex suis libris delere, enormissima delicta in abysso sepelire maris, ei affici instar matris, eum lactare instar nutricis, ei providere instar patris, eum custodire instar pastoris? Ergone velit mutare suum genium, quo gratias dedit eas non postulantibus, ut nec in minimo velit se incommodare, ut ex sua majestate ad nostras miserias extremas descendat? Ergone velit perdere fructum tot sudorum, tot sangvinum, tot laborum, tot Sacramentorum efficacium? Ergone veritas velit mendax haberi, & ludere suam fidem, ut ad se venientem repellat, postquam dixit: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras?* *Ioann. 6. v.37.*

XIII. Apage, apage, qui has suspiciones de Dei bonitate foves, necdum legisti in vitis Sanctorum, qui maximi fuerunt peccatores, quam non familiariter à prima die conversionis cum iis egerit. Cum Angela à Fulginio tam arcta amicitia fuit conjunctus, postquam *In vita.* illa sua sacrilegia agnovit, ut sæpius eam in suo cubili visitarit, familiariter ei assederit, dolores in vita toleratos narrarit, caput in ejus sinu reconderit, ut melius conspicere posset vulnera à spinea corona inflicta. Margaritam Cortonensem puellam impurissimam, & libidinibus totam deditam, proprius parens fuste abegit, sed Christus cruci affixus, ut vidit eam compunctam, suam ei protectionem obtulit, disertèque asseruit se è Cælo negotiatorem descendisse, ut margaritam adeo pretiosam compararet, cum ea amicissimos trahebat discursus, dicens eam suam esse peccatricem, circa quam nullus alius laborasset, eam esse rete suum, quo plures animas piscari vellet.

Et profectò, si veritatem edicere velis, quoties non legisti, quod eos insecutus fuerit, & stiterit, ne in infernum ruerent, qui ab eo velocissimè fugiebant. Mihi exploratum est nonnullum Indum Peruanum sub annum millesimum quingentesimum octuagesimum nonum, in ejus despectum voluisse se in interitum dare, & in hunc finem in mare se præcipitasse, sed cum non potuit submergi, silvam quandam intrasse, & leænam contra se concitasse catulos ejus lædendo. Sed quid egit Deus? Humanos affectus instillavit belluæ, ut parceret ei, qui affectu iam bestia erat, dein sanctis inspirationibus eum tam efficaciter movit, ut ad quendam è nostra societate Patrem eum duxerit, & ita eum salvarit. Quomodo ergo te non velit admittere, qui cum aliquo affectu eum quæris? Valde ei iniurius es, uti ipsemet revelavit sanctæ Catharinæ Senensi, quinimo his tuis diffidentiis gravius eum offendis, quam reliquis tuis culpis, & hoc modo, ut inquit Augustinus, tibi Cælum claudis; *Cum enim Deus velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est, ipse contra se divinæ bonitatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri aut nolle aut non posse credit.* Quomodo ergo tu credas, quod ardentius velis è tuis vitiis emergere, quam Deus, qui tanta providentia tam multos successus longa serie præmisit, & disposuit, ut ad emendationem te perducat; quam iam proponis? Audi, quomodo vocetur in Deuteronomio: *Scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ.* Vult subire vices armorum offensivorum, & defensivorum in bello *Ex Blosio Monil.* *Serm 18. temp.* *Deut. 33.*

bello tuo. Audi, qualiter tibi miserabili
Isai. 43. loquatur per Isaiam: *Noli timere, quia te redemi, & vocavi te nomine tuo, meus es tu.* Ergone hæc ad me Deus loquatur, qui toties, & tam graviter eum offendi? Ita; nam si de præteritis doleas, nullum tibi vult nocere peccatum; nec enim tibi illusit, dum per Prophetam dixit:
Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit.* Hæc mihi dicantur, qui tam serò, & quasi decrepitus ad Deum me converto? Ita; nam esto incipias hora undecima, attamen totum diem munerare vult; ut enim in-
Leo epist. 91. quit sanctus Leo: *Nullas patitur veniæ moras vera conversio*, & confirmat san-
Cypr. serm. de Cœna Dom. ctus Cyprianus asserens, quod quolibet momento, & æqualiter *in amplitudine sinus sui mater Charitas prodigos suscipit revertentes.*

Ergone hæc mihi dicantur, qui nihil boni egi, qui tot eius inspirationes irrisi, qui tam malè eius sanctis Sacramentis abusus sum? Ita; nam si vitam emendes, tuam animam mille benedictionibus replebit, quia *benedixit omnibus, pusillis cum maioribus*, nec frustra dici
Psalm. 113. de se voluit: *Homines, & iumenta salvabis Domine.* Desperet de tanta bonitate, qui eam nunquam cognovit, qui nunquam cum ea egit, ego, quamdiu bonæ ero voluntatis, de ipsius non possum dubitare. Nullibi lego, quod Magdalenæ, Matthæo, Petro conversis, obiecerit pristinas lascivias, iniustitias, negationes, sed ita cum iis egit, ac si nunquam peccatores fuissent. Omnes Sancti hanc eius bonitatem nobis promittunt; nec enim solus dixit Nazian-
Orat. de plag. grand. zenus: *Ego plane sum divinæ misericordiæ sponsor.* Quod si dæmon me terreat, dicam cum Mellifluo: *Turbatur conscien-* Serm. 6. in Cant.
tia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Velut columba persecutionibus agitata, in illis sacris cavernis nidum suum, ideo namque eas non clausit. Manebo constans in sanctis propositis, de reliquo quantumvis sim miser, dicam Deo meo: *Spes mea* Psalm. 25.
ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum ex utero. Sit mea miseria quantumvis magna, attamen tua misericordia eam potest absorbere. Certus sum, quod me non fallat sanctus Valerianus dicens: Hom. 11.
Nunquam deserit Deus voluntatem religionis studio flagrantem, nec desunt solatia Divinitatis, ubi sunt actus bonæ conversationis.

PARS SECUNDA.

XIII. CHristus revelavit sanctæ Bir- Blos. in mon.
gittæ, quomodo post exiguum temporis spatium esset sine confessione magnus quidam Dominus moriturus, & damnandus. Per Confessarium curavit eum moneri, sed frustra, quia varia negotia prætexuit, quamvis sciret, quod spatio sexaginta annorum non fuisset confessus, nec communicasset. Sancta zelo repleta ei significavit, quod septem haberet dæmones, unum in corde, ne compungeretur, alium in oculis, ne sua mala videret, tertium in ore, ne Deum laudaret, quartum, & quintum in manibus, & pedibus, ut in vitia irent, sextum in corpore, qui illud in libidines pellebat, ultimum in anima, ut divinas vocationes respueret. Insuper asserebat adhuc esse tempus pœnitendi. Quid? replicabat, ergone homo, qui diabolo se totum devovit, adhuc habeat remedium? Et

certificatus, quod sic tantam contritionem elicuit, ut intra sex dies, quibus supervixit, Paradisum coemerit, sæpe dicendo: *Lacrymas, quales nunc habeo, nunquam me recordor habuisse.*

Peccatores, qui ad pœnitentiam vos disponitis, desperationes linquite damnatis. Qualiter creditis, quod vestra peccata præterita possint opponi divinæ gratiæ? Audite Chrysostomum hoc dicentem: *Quid est peccatum ad Dei misericordiam? Aranea, quæ vento flante nusquam comparet.* Quod si tot explosionibus machinarum æneArum arx co dis vestri oppugnata sit, & necdum de deditione cogitetis, timete, quia caussam habetis. Verum, si in potestatem Dei cõcedere velitis sic citote quod maxima voluptate eum perfundatis, nec tam vobis, quam illi fidatis. *Nihil à nobis*, sunt verba Chrysostomi, *tam requirit Deus, quam ut semper ad eum inhiemus.* Ille est pater, promotor, protector, præmiator omnis bonæ voluntatis. Ad quid tot monitiones, prædicationes? An Evangelio verè creditis? Ita, an verè infernum effugere vultis? Ita sequimini ergo monitum Senecæ: *Constituendum est, quod velimus, & in eo persistendum.*

Hom. in psalm. 50.

Hom. in psalm. 142.

Epist. 23.

Quod si virtus vobis arrideat, eam vobis desponsate, ita, ut nec per duos dies divortium cum illa faciatis, alias eritis fabula mundi instar illius Mecenatis, quem irrisit Seneca, quia *uxorem millies duxit, cum unam semper habuerit.* Quod vivatis in gratia Dei per septimanam sanctam; & duobus diebus post Pascha redeatis ad vomitum, est signum certissimum, voluntatem vestram non esse bonam. *Maximum indicium malæ mentis est fluctuatio, & intersimulationem virtutum, amoremque vitiorum assidua jactatio.*

XIV. Væ talibus lusoribus; nam de quodam Clerico lego, quod cum sæpius vitæ se virtuosæ dedisset, & ad vomitum rediisset, quod ei fuerit ostensum, toties eius nomen fuisse expunctum, & rursus inscriptum libro vitæ, ut nil chartæ restiterit, in quo annotari posset. Manus operibus sunt impendendæ; nam, ut ait Augustinus, id continuò Christus in cruce prædicat, manuum elevatione. *Id manuum extensione fecit, ut nostras etiam admoneret, & provocaret.* Nam sicut magister manum ducit discipuli scribere nescientis, idem nos, qui sumus insufficientes ad opera bona, facere debemus. Et meritò, cum Deus nos animet per Isaiam: *Noli timere vermis Iacob, ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam.* Sed ne putetis, quod unico actu omnia agere possitis? Ex Ægypto non est iter unius diei Hierosolymam. Unico saltu in Cælum non scandimus, sed oportet ascendere gradatim.

Isaiæ 41.

Ne credatis, quod postquam estis confessi, nullis amplius stimulis carnis exagitandi sitis, vel aliis tentationibus impetendi. Post furias ventorum cessat quidem tempestas, sed tamen mare non statim pacatur, sed per plures adhuc dies turbidum manet, donec sensim serenetur. Plures mihi in memoriam reducunt successum, qui evenit Innocentio septimo cum Andrea Mantineo pictore illustrissimo. Hic pluribus mensibus variis, iisque illustribus tabulis, operosè incubuerat capellæ Vaticanæ exornandæ, unde & pingve stipendium sperabat; sed videns, & experiens

riens Pontificis contractas manus, quadam die bile inflammatus, dum septem peccata capitalia efformare deberet, & septem loca delineare, iis pingendis, delineavit octavum. Pontifici interim maximo eum monenti, septem solum esse peccata pingenda, argutè reposuit pictor: Beatissime Pater, præter septem octavum, & id quidem omnium fœdissimum, ingratitudinem nominabat, efformandum est. Cui non minus acutè replicavit Papa: Per me licet, pinge eam coloribus nigerrimis, quantum potes, sed & ab altero latere effinge Patientiam, virtutum generosissimam, quam si habuisses, plurima in te bona contulissem, quæ tibi dare proposueram. Hisque dictis eius filio beneficium pingvissimum dedit.

Vestro sensu Deus non est gratus obsequiis vestris, eo quod non statim vobis donet ectases sanctæ Teresiæ, revelationes sanctæ Brigittæ. Sed parum patientiæ habeatis, inquit sanctus Faustus: *Tom. 2. bibl. Patrum.* *Gratia de gratia nascitur, & profectus profectibus serviunt, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt.* Vas bene purgandum est, antequam impleatur nectare cælesti. Vos vana gloriâ corripimini, quando sparsistis unam lacrymam. Quid ergo non faceretis, si consolationem magis extraordinariam haberetis?

Charissimi Auditores, iam conciones finivi, nil restat, quam ut dicam cum Paulo: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* *1. ad Cor. 6.* Nullum vestrum esse credo, qui non sentiat sua vela aura secunda Spiritus divini expandi, attendite, ut iis bene utamini; pandite vestra desideria, ut omnia illa fruantur; nam si vela fuerint densa, ventus ea perflabit. Ita Chrysostomus: *Hom. 34. in epist. ad Heb* *Sicut in velum laxum ventus incidens nihil operatur, ita Spiritus sanctus in anima remissa, & segni permanere non sustinet.* Si vos non deseratis Deum, ille vos nunquam deseret, quin potius, *qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.* Amen. *Ad Phil. 1. v. 6.*

CONCIO XXXVIII.

PRO FERIA TERTIA PASCHÆ.

VENATIO PACIS.

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis. Lucæ 24.

I. VOs, qui hic adestis concionem audituri, invitamini mecum hodie ad instituendam venationem delicatiorem, & vaviorem, quam unquam instituerit Achilles in Thessalia, Meleger in Arcadia, Hippolitus in Attica; absque eo, quod retia, laqueos, sagittas, calcaria, hastas, ignes adhibeatis. Venabimini non cervam Menali, aprum Erimanti, non taurum Cretæ, non leonem Nemeæ, omnes venationes fictæ à Poetis, & reservatæ Herculi,

culi, sed verum nidum rei, quæ cunctis hominibus est gratior, objectum omnium desideriorum eorundem, motivum omnis eorum motus, mercedem omnis laboris. Hæc est venatio pacis, quæ instituitur, non illius pacis, quæ sopitis tot bellis Europam pacabit; nam hanc quærere (uti Deus optimè scit) si non sit plane ludere operam, attamen est valde difficile; ut enim me monet Secretarius Verbi quidam nobilis ne in mundo reperiretur, eam in Cælum attraxit: *Exivit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra, ut invicem se interficiant.* Apoc. 6.

Pax, quam ego volo, non unit regna, & coronas, sed meipsum. *Pax vobis*, & nulli alii extra vos; Hæc est illa, quam Christus attulit. Pax, quæ omne componit bellum rationis cum sensibus, quietando appetitus, qui tam difficulter sopiuntur, tœdia, quæ tanto impetu nos lacessunt, timores, qui cor angunt, amores, qui illud adurunt; Pax, quæ interiora nostra in tali collocat statu, ut pacatissimi & tranquillissimi illud probemus Soloni hominem in hac vita posse vivere felicem.

Tantum bonum ad nos venit per occasionem, dum Cælum aperiretur, quando unigenitus Patris in terram descendit. Id Angeli nobis amicissimi eadem nocte cantando significarunt: *In* Luc 2. v. 14. *terra pax hominibus.* Et ne aliquis putaret, quod more mundi interessati illam redeundo in Cælum repetiturus esset, antequam à nobis discederet, dixit: Ioann. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,* v. 27. *non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Vnde generosiores, & sagaciores his magnis verbis innixi, venatores sese fecerunt tanti boni in terra remanentis, sed incogniti nulli parcentes labori, ut illud assequerentur. In hunc finem video Benedictum spinis involutum, Bernardum aquis congelatis immersum. Ideo tot myriades Eremicolæ in obscurissimis antris vigilant, & casu quo alata evolaret, Simeon Stilita eam per quadraginta annos columnæ innixus expectat. Accingamus ergo nos Auditores, ad venationem pacis, si eam desideremus; nec enim hæc venatio Clericis vetita est, quinimo, ut huic operosè incumbant, à sæculo semoti sunt. Hodie igitur meis canibus omnes vias silvæ hujus mundi lustrare volo, ut obediam ei, qui mihi dixit: *Inquire pacem, & persequere* Ps. 33. v. 15. *eam.* Et quod si eam invenero, in signū mei affectus illam vobis linquam.

PARS PRIMA.

II. NEc sanè doleo, quod mundum dixerim esse silvam. Asperitates, quæ in eo sese objiciunt, feritates, quæ in eo occurrunt, umbræ, quæ eum infestant, eum silvam esse probant. Quotquot nascimur, dum fasciis evolvimur, venationi nos damus, nec aliud venamur, quam quietem, & pacem. Totus mundus sine fastidio per tot vias diversas nonnisi eandem pacem insectatur, & primus, qui sese mihi objicit, magnum habet comitatum. Video mandras rusticorum messe oppletas, officinas opificum lucro totos inhiantes, medicos onustiores ducatis, quam præscriptionibus, Doctores magis sese exercentes ponderatione scutorum, quam rationum; nec desunt processiones Principum, & Magnatum, qui dedecori

decori ducentes; quod videantur in plateis commixti mercatoribus, quorum munus videtur sordidum, oculos pileo involvunt, & magis festinant, quam alii.

Quæso vos, pergamus, & eorum cursum sistamus; nam, dum video omnes à cœca avaritia duci, timeo, ne in foveam cadant. Hi, porro, ut id vobis dicam, nil aliud sunt, quam homines sibi persvasum habentes, quod pax consistat in cumulo pecuniæ, & ideo nil aliud venantur, quam lucrum. Et ideo eos vocavit sanctus Ambrosius *accipitres pecuniæ*, falcones, qui ungvibus curvis continuò pecunias corradunt, dumque volare volunt, immori sistunt, & quamvis sint metalla, tamen, juxta Sapientem, *facient sibi pennas quasi aquilæ.*

Orat. in obi-tu Satyri.

Prov. 23. v. 5.

III. Et sanè video, quod non pauci sint, qui per hanc viam currant, quia divitias sectari nemini non arridet. Non esse nummatum bellum est assiduum, quod cum nostris cogitationibus habemus, ubi econtra cum nummis possumus omnem pacem emere. Vide amabò, an esse divitem non sit felicitas. O quam basilica palatia, quam delitiosi horti, quam lauta convivia, quam lecti molles, quæ aulæa, tapetes, picturæ, vestes, servi! Non sine ratione Phœnices, exprimere volentes omnipotentiam Dei, bursam nummis confertam in eorum manibus reponebant; nam qui bene nummatus est, adoratur ut idolum.

Ex Suida Cresol. in Mystag.

Sed sistite amabò. Quisnam est, qui ex ipso Cælo me sua voce compellat: *Væ illis, qui sectantur illud?* Scio, quis is sit. Est Ecclesiasticus. Sed quos afficit illud *væ*? Venatores auri. Sed an non directè vestigaturi tendunt pacem? Hucusque credo, quod hæc via sit bona. Sed pergamus, ut finem videamus. Eheu, quam non funesta tragœdia sese mihi objicit! Hic grando furiosa proterit fruges, ibi flumen ripas excurrens prædia diruit, ibi palatia ardent, alibi amœni horti destruuntur, hic thesauri sensim deficiunt, ibi servi perfidi fugiunt, ibi satellites, milites scrinia diffringunt, arculas expilant, conclavia spoliant, evertunt, devastantur, flammis omnia corripiunt. Profectò conclusi sũt intra ędes obfirmatas afflictionum, & ærumnarum, & video, quod non infundatè Nazianzenus vocet divites *compeditos terræ*, & Pelusiota *ad metalla damnatos*, & Poeta Græcus, qui prosapiam auri descripsit, ei pro matre assignat sollicitudinem, & pro patre dolorem. Querelæ unius efformant echo in ore alterius, omnes accurrerunt insectaturi pacem, sed in abyssum bellorum deciderunt.

Eccles. 31.

Orat. in nativ. Dom.

Lib. 2. ep. 233

Ex Mystag. lib. 4.

IV. Vnus desperat, quod, dum per plures annos sordidè insectatus fuit quatuor teruncios, eos amiserit, dum voluit illos in tuto collocare. Hic digitos mordet, quia omnia sua illi navi invexit, quam vel pyratæ deprædati sunt, vel, quę in scopulos collisit, & mari hausta est. Alius fermè necatur, quod illa iis, quæ eum sustentabat, elabatur. Alius evellit sibi crines, quia correspondens fidem fallit, vel quia proditiones servorum eum illuc duxerunt, quo nunquam somniavit venire.

Video Crœsum subiugatum à Cyro, quod si quæram caussam, dicunt: Eo, quod auro sit dives. Video Polydorum à Polymnestore discerptum, caus-

ſam indagans intelligo, eo, quod fuerit opulentus. Cerno illum, quia ſolum eſt nummatus in vincula, & carceres conjectum. Alium conſpicio veneno hauſtum ſolum, quia eſt dives. Et ideo in illo climate ſublimi omnes eos irridet Diogenes, cum ſuo Menippo contentior fruſtillo panis, & allio, quam Sardanapali, & Apicii donis melioribus cujuscunque elementi. Liber ibi conſiſtit, & exemptus ab indigeſtionibus, & podagris, ſine plumis ad ſomnum capiendum facilis, ſine tot ferculis, ad digerendũ cibum quemcunq; diſpoſitus.

Ergo Auditores mei, greſſus retrotrahite; nam hæc ſemita nec veſtigium pacis numerat, nec aliquo ejus ſigno notata eſt. Ego credebam divitem nullius indigere operâ, ſed deluſus ſum; nam cerno, quod ſit omnium manceps. Servus eſt ſervi, metuens ne qualibet nocte iugulum ſuum petat, ephebi, ne burſam latenter expilet, militum, ne eius bona deprædentur, Advocatorum, ne ſententiã contra eum pronuntient, ruſticorum, ne meſſem diripiant, apparitorum, & ſatellitum, ne debitorem eius in vincula dent. Sanè Seneca id melius dixit, quam practicarit: *Opes auctoramenta ſunt ſervitutum.* Epiſt. 104.

Applaudo Ariſtonimo, qui eorũ vitã comparat convivio, quod inſtituitur inter conſangvineos in exequiis, ubi fercula quidẽ abundant, ſed lætitia eſt exigua. Non ſine myſterio priſci, uti refert Pelusiota, lyrã plectendo poſt prãdiũ, dũ eſſent alacriores divitias, quietis inimicas, quibusdã cantionibus execrabantur: *O Plute ô Mammon ô divitiæ, utinam neq; in terra neq; in mari videamini!* Stob. ſerm. 10. Lib. 2. epiſt. 146.

V. Maneat in hac via, qui vult; nã in aliis pax veſtiganda eſt, & doleo, quod fides nõ adhibeatur S. Franciſco, qui revertens ad conventũ ſuo ſocio dicebat: *Quia in his non eſt perfecta lætitia.* Inſuper non credimus S. Paulo, qui prædicavit, quod ii, qui in hac via pergunt, dũ volunt illaqueare, illaqueentur. *Incidunt in laqueũ diaboli, & deſideria multa, & inutilia, & nociva quæ mergunt hominẽ in interitũ.* 1. Tim. 6. Citò, citò ergo ex hac abeamus, quia nos demirans clamat Auguſtin⁹: *Quæ eſt iſta rogo, animarũ inſania, acquirere aurũ, & perdere Cælũ!* Serm. 13. de verbis Dom. Ne, quæſo, ſancte Pater, exclames, quia à nobis ipſis ſumus ſatis confuſi, dum in hac via invenimus illud eſſe veriſſimũ, quod ſcripſit Bernardus, Epiſt. 103 nempe, ea, quibus tot, & tanti ſuos appetitus contendunt tranquillare, *poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant.*

Agedũ, agedũ, aliã largã viam in hac ſilva diſcooperio; in hac ſine dubio progredi nõ erit inconſultũ, & inutile. Video eã confertã, ſed nõ, velut altera, ex omni genere hominũ; nã hic ſolũ gẽtẽ conſpicio ſelectã. Enimvero video, quod ambitio equo Pegaſi inſidens viã monſtret. Principes porro, qui tot habent conſultores, primi ſequuntur. Plures cerno pileo tectos viridi, alios rubeo, & quidẽ aulici ſunt hic ſine numero, verbo generoſiores, ſubtiliores, qui aſpirant ad ſceptra, mitras, coronas, diademata tricoronata, hic ſuã ſatisfactionẽ venantur. Et quidem viri adeo ſenſati, & præclari nos ad ſui ſequelã invitant, quia maxima eſt oblectatio, & ſolatiũ audire, quod aliquis inſtar Dei indigitetur beatiſſimus, vel inſtar montis eminentiſſimus, inſtar Cæli ſereniſſimus, inſtar Solis clariſſimus Summa eſt conſolatio, quod aliquis excipiatur baldachi-

-Zachino, ſalutetur tormentorũ exploſione, ab omnibus honoretur, cunctis poſſit benefacere, byſſinos calcare tapetes, trabeâ acupictâ veſtiri, myriades alere ſervorum, in campum plures educere exercitus.

VI. Verũ, cũ in hac via tot videã belli duces, timeo pacẽ conſternatã longe avolaſſe. Sed qualis eſt hæc proceſſio Religioſorũ, quã ibi video? Video Petrum Moronũ, qui in Pontificatu fuit vocatus Cæleſtinus, Carolomannũ, Pepinũ, Ramirũ, Deſideriũ, Ælredũ, Pelagiũ, & tot alios, qui purpuras mutarunt cum cucullo. Eos inſequuntur baculo peregrinationis innixi, Rochus, & Alexius, magni Domini, nec me cohibere poſſum, quin eos interrogẽ, cur tã celeriter revertantur, & greſſus revocent. Heus, mei Sancti, quo contenditis? Reſpon-

Luc. 1. v. 79. dent: *ad dirigendos pedes noſtros in viã pacis.* Aſt veſtrâ veniâ unum reponã: Nonne hæc eſt via pacis, dum aliquis adoratur, habet famulos, amicos, dũ leges condit, iuſſa dat, theſauros erogat? Perge ulterius, replicant, & id videbis, quia tu forſan es è numero illorũ ſtultorũ qui, iux-

Sap. 22. ta Sapientem, *in magno viventes inſcitiæ bello tam magna mala pacem appellant.*

Quandoquidem ergo ita ſvadeant, pergamus, & ſemel videamus, nũ res ita ſeſe reipſa habeat, qualis quotidie deprædicatur. Papæ quot Icaris totus aer refertus eſt, qui, à propriis inventionibus traditi, quo altius evolarunt, eo graviori lapſu deciderunt? Nunc vide, an nõ ſit veriſſimũ, quod omnis dignitas in grandẽ ruinã deſinat. Scandamus quæſo, illũ clivũ, & in valle illa conſpiciamus Papas captivos Anagniæ, Cardinales in pontibus capite minutos, Agidẽ laqueo ſuffocatum, Phocionẽ veneno necatũ, Manfredos in aviario occiſos, Baiazettas cultro transfixos, Seianos, Albanyos, Flavios, Stilicones, Ruffinos, qui antea dominabantur Imperatorib⁹, nunc canib. obiici, Manliũ Capitolinũ ex arce præcipitẽ dari, quã ſtruxerat, ut ſe ſalvaret, Beliſariũ ab eodẽ Juſtiniano excœcatũ, qui eũ defenderat, Dionyſiũ à ſolio relegatũ ad ſcholã. Xerxẽ tot exercituũ ductorẽ, ad ſcaphã, Dariũ purpurâ fulgentẽ, Nabuchodonoſorũ cõdemnatũ ad beſtias unde & meritiſſimè Plauto concinere poſſumus, qui has omnes dignitates vocavit *ſolſtitiales herbas*, quę eodẽ die, quo naſcuntur, marceſcunt, & Clementi Alexandrino, qui ea definit *picta ſomnia*, utpote in imaginatione conſiſtentia, & Luciano, qui ſuppoſuit, quod eſſent ampullæ inauratæ, qui à minimo deſtruuntur, & annihilantur.

V. Mehercule iam adverto, quod fruſtra hanc viã pererraverimus. Quomodo namq; ibi poſſit conſiſtere pax, ubi ambitiones, & invidiæ tanta bella movent? Sanè hi honores non ſunt tales, qui ad vitam bonam, & felicem mortem conducant; & hoc eſt, quod ſignificare voluit illa Illuſtris Heroina Monima coniux Mithridatis, quæ, vitæ pertæſus, capiti ſuo diadema detraxit, (quod, ut ſcitis fuit longa faſcia) eoque mortem ſibi inferre tentavit; aſt cum faſcia illa nimis debilis foret, & in terram decideret, pedibus eam conculcavit dicens. *Execrabilis faſcia, nec in vita ſuave quidquam mihi attuliſti, nec in tam triſti obſequio quidquam mihi vales opitulari.* Tiburt. in Lucullo.

Ite nunc vos camæleontes deluſi, & hoc ære paſcimini, quia erit, cum do-

 lentes

lentes videbitis omnes illos conatus terræ inferri, quibus Cælum lucraturos vos putastis. Vestræ pyramides, ô Ptolomæi, vestri colossi, ô Rhodiotti, vestra amphitheatra, & thermæ, ô Romani, vos insuper litterati, qui iactatis, quod res producatis perennes, tandem conspicietis, quod papyrum præparetis igni, & flammis. Relinquamus ergo, permittamus oro, hos Damocles mensæ assidentes, sed sub gladio è filo pendente, abeamus ex hac via, & ne iter molestum sit, audiamus, quid illi aulici otiosi, qui uti nos revertuntur, inter se dicant: Quid censet de meo profectu, incipit unus? Mihi id evenit, quod successit cani Æsopi, qui carnem perdidit, ut acquireret umbram. Censum annuum certum consumsi, & nunc incertis auxiliis fruor. Registrum mutatum est, & ego, qui annotatus eram in prisco, non sum in novo. Meus Christophorus defecit, qui in alio non ceteravit, quam quod ex præsenti mihi semper faceret futurum.

Viginti quinque iam ierunt anni, quibus venatus sum illud officium, nullus transiit dies, quo non retia ieci, quo non servieriim, & fuerim adulatus, sed sine fructu, unus vertagus, ceu canis venaticus, qui heri solum advenit, quatuor saltibus illud obtinuit. Et ego misellus, excipit alius, qui, postquam proprio cruore honorificentissimum obtinui munus, insidiis unius perfidi rivalis, plurium errorum reus accusatus sum, de quibus nunquam somniavi; Tot sudoribus per plurium annorum centurias exantlatis meus honor tandem ignominiosè sepultus est. Vnica sola suspicio maiorem meretur fidem, quam mille opera. Videte nunc oro, an hic sit modus venandi pacem, dum ipsa obsequia bellum indicunt.

VI. Vos amici mei hoc intelligitis, & vobiscum concinit sanctus Augustinus: *Quanto plus honoramur, tanto plus periclitamur.* Qui non vult lacrymari, fumum fugiat. Sed quia discursum incepistis, qui hodie vix potest finiri, & nos venatores celeri ambulamus passu, permittite nos anteire, quia, quoad me, ego credo Poetæ: *Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra fortunam debet quisque manere suam.* In ps. 106. Ovid. 3. trist. eleg. 4.

Tertia modo restat via grandis, in qua sine dubio pacem indagando assequemur; unde, dum odorator canis Zenonis, postquam è his tribus viis duas primas odoratus fuisset, in bona logica conclusit leporem sine dubio in hac tertia delitescere; ita etiam nos sine tot discursibus eũ iaculari possumus. Et meo videri iam conspicio illud magnum ostensum Joannis in Apocalypsi. Conspexit ille fœminam equo vectam, manu craterem aureum gestantem, cunctis potum propinasse, unde catervatim eam insequebatur adolescentia labris aridis præ intempestivo bullore sitiens. Et hæc via nil aliud est, quam voluptas, ceu Circe, quæ corda incantat, ita, ut paucissimi sint viri, & fœminæ, qui in hac via pacem non indagent.

Non credo, quod in tam conferta multitudine diu progredi, & procedere possim; attamen incido in Salomonem, qui, postquam totam hanc viam peragravit, omnibus delitiis imaginabilibus sese dando, totus contritus, & pœnitens gressus revocat, ab hoc informabor, num pax in ea reperiatur; & maxi-

maximè, cum etiam videam ſanctum Auguſtinum, qui à ſeipſo confuſus luget, quod per triginta annos Sardanapalum, & Epicurum inſecutus fuerit.

VII. Patere Rex pacifice, ut verbo te alloquar. Dic ſereniſſime Monarcha, an in hac via pacem inveniſti? Minimè, reſpondet, ſed dolenter dico, mille angores inveni: *Quoniam adoleſcentia, & voluptas vana ſunt.* Illam ſemitam, quam tu cernis veſtitam roſis, tota pavita eſt ſpinis. Quod ſi quinquaginta ſolum conficias paſſus, conſpicies, quod non mentiar. Eheu! quot non ſunt, qui ſuis crapulis ſibi morbos adſciſcunt? Quot non ſuis intemperantiis mortem accelerant? Quot non voluptate brevi pœnas plurium annorum ſibi conquirunt, derivando in ſe infames morbos, & calamitates, quæ, uti Deus ſcit, nonniſi ſulphure infernali curabuntur? Aguntur choreæ, id non nego, ſed quam paucæ ſunt, quæ non deſinunt in miſerias, rixas, & occiſiones!

Eccleſ. 11. v. 10.

Inſtituuntur convivia, ſed quam pauca ſunt, in quibus non miſcentur venena! Sunt matrimonia, ſed quam pauca ſunt felicia! Nuptiarum gaudia, *tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.* Quælibet umbra novum amorem offuſcat, unica zelotopia eum inquinat, unicus torvus aſpectus eum lædit. Quot non Samſones traduntur à ſuis Dalilis? Quot non Vriæ per ſuas Bethſabeas neci deſtinantur? Quot non Jobi vel maximè cruciantur à ſuis uxoribus? Non ſine myſterio Ægyptii in urbe Thebenſi columnam infamem, mille execrationibus refertam, Regi Nino erexerunt, eo, quod primus fuerit, qui ſe voluptatibus dedit. Experientia ſatis clarè demonſtrat, quod, qui animi tranquillitatem vult, eam alibi quærat, quam in deliciis corporis. Tales itaque omnes *erraverunt in invio, & non in via, & viam pacis non cognoverunt.* Quis de hoc dubitet?

Sap. 5.

Plutarch. de Iſide.

Pſalm. 13.

VIII. O ſenſuales, qui nec Baſilio vultis credere, qui tamen ſolenniter proteſtatur, has veſtras voluptates eſſe hamos piſcatoris dæmonis, nec Platoni, qui iurat, quod ſint eſcæ ad attrahenda omnia mala, nec illi alteri, qui vult, quod ſint antrum Æoli, in quo omnes noſtræ tempeſtates oriuntur, nec Pythagoricis, qui ſcalam effinxerunt, quâ ad abyſſum miſeriarum deſcenditur, in eaque primum gradum voluptati aſſignarunt. Putarem, quod, cum tamdiu cibis te diſtendiſti vetitis, ad minus ſemel ſatiandus fores. Sed tuæ aquæ, *quò plus ſunt pota, plus ſitiuntur.*

Exhortat. ad bapt. in Philebo.

Iamblycus in vita.

Hodie magis eſuris, quam unquam; nam in tui deſpectum experiris eſſe verum illud Philoſophi: *Intemperanti ſemper voluptas affert dolorem.* Ergo mei confratres venatores, mutate viam, mutate viam; nemo enim unquam intactus, & illæſus ex ea exivit. Sed quid ego incipiam, cum in hac ſilva mea nil aliud inveniam? *Quidquid enim eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Et quia impii his viis non egrediuntur, ideo tam aſſeveranter dicit Dominus: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* O nos miſellos! Ergone ita ſine pace vivamus? Siccine inutili meo diſcurſu fruſtra vos duxi ad venationem tanti boni?

1. Ioann. 2. v. 16.

Iſaia 48. v. 22.

IX. Non ſanè, quin potius vobis paravi *fructum labiorum pacem.* Ita, Domine, nobis *ſervabis pacem, pacem, quia in te*

Iſaia 57.

Iſaia 26. v. 3

speravimus. S. Paulus, ne ego à cœpto desistam, è Cælo clamat: *Pacem sequimini cum omnibus.* Omnia bene, sed ego nullam aliam conspicio semitam, nisi unicam, & quidem tam arctam, ut plures in ea pellem reliquerint. Ast enimvero conferamus nos ad eam, maximè, cum audiam quandam vocem, &, ut ego puto Baruch, & si bene audivi, is ad me dixit: *Si in via Dei ambulasses, habitasses utiq; in pace super terram.* Heus tu, qui totos dies quærendo comburis, quod nequeas pacem in mundo reperire, adesdum an observasti viam, quam tibi Deus monstravit? Oro te, vel semel post tot vanos circuitus: *Disce, ubi sit sapientia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitæ, ubi lumen oculorum, & pax.*

Hebr. 12. v. 14.

Baruch. 3.

Profectò semita super rupem asperam alta est. Venator interim, si sit lassus, & horreat difficultates, nunquam insignem prædam captabit. Heus Alacriter, generosè, sine dubio pax in illo clivo reperitur. Et sanè Lucanus de hoc me certum reddit: *Pacem summa tenent.* Nec solus est Elias, qui dum scanderet hunc Oreb, lassus subtus iuniperum decidit. Sunt plures, qui turpiter retrocedunt. Ne tamen animum despondeatis; nam postquam ascenderimus, inveniemus quandam planitiem ibi extensam per totã æternitatẽ ad multa milliaria.

Lucan. in Pharsal.

X. Et an non videtis, quod, dum atrocissimum nobis imaginamur bellum, Christus nobis obvius procedat, qui est nostra pax? Videte eum totum micantem, & ramum olivæ ore gestantem: *Pax vobis ego sum.* An forsan tu quæris pacem? En eam. Quid de me dicitur in mundo? An quod sim austerus, & durè habeam meos servos? Viden, an sit unus eorum, qui de me conqueratur, & annon omnes protestentur cum Polyparco, quod me non possint deserere, eo, quod à me non nisi delitiis sint recreati. Dicantne quod inediis, & pœnitentiis mortem accelerem? Remitto me ad Antonios, Hieronymos, Hilariones Columbanos, Arsenios, qui ciliciis vestiti, cubarunt humi, & solis herbis sani, & vegeti centum annos combusserunt.

Luca 24. v. 36.

An dicant, quod non velim admittere Cælo nisi rusticos, plebeios, & laceros? Eos convincant Ludovici, Henrici, Casimiri, Stephani, Leopoldi, Amadæi. An asserant, quod meos non conficiam nisi tormentis, obiiciendo eos equuleis, crucibus, flagris, fluminibus, ferris, ignibus? Id non nego, sed insuper attendant, quam largiter tormenta corporis animi quiete, & lætitia munerem. Martyrum numerus excedit undecim milliones, mundus autem me crudelem vocet, si vel unus ex illis fuerit, qui se non censuerit felicem in tormentis. Verum quidem est, quod *visi sunt oculis insipientium mori.* Sed quid? Illi autem sunt in pace. O filii Adam, vos hoc non vultis capere, sed de reliquo currite quantum velitis, quia veram pacem non invenietis, nisi in sinu veræ iustitiæ, quæ consistit in observantia meorum mandatorum. *Erit opus justitiæ pax.* Hic fructus nequit expectari à qualibet radice. Si non velitis iustitiam, non fruemini pace; nam *iustitia, & pax osculata sunt,* nec per momentum separari possunt. Hunc discursum capite, Auditores mei. A Christo diffiti, dirum bellum probabitis: *Quoniam ipse est pax nostra.* Si totis diebus in vobis ipsis dissensiones foveatis, vos ipsos culpate, qui dum scitis,

Sap. 3. v. 2.

Isaiæ 32.

Psalm. 84.

Ephes. 2.

tis, ubi ſit pax, in alio tamen loco eam
*AdRom.*14. quæritis. Hem vel ſemel, *quæ pacis ſunt, ſectemur.* Sinamus avaros divitiis diſtendi, linquamus ambitionem honorum ſuperbis, luxurioſis intemperiem voluptatum, nos autem divinæ legi alligati
*Pſ.*4. *v. ult.* dicamus. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Præda huius venationis veſtra eſt Auditores. Nec tamen ego ſolus laſſus ſum, ideo quieſcamus, quia eſt tempus.

PARS SECVNDA.

Gen 27. XI. AFfer mihi de venatione tua, ut comedam & benedicat tibi anima mea, dicebat quondam bonus Iſaac, iam limini vitę admotus ad filium ſuum Eſau, venatorem expertiſſimum: Et ego, cum ſciam, quod nullus ſit veſtrum, qui non totâ vitâ venatus ſit pacem, & quietem animi, in fine mearum concionum optarem, ut me participem veſtræ prędæ faceretis. Edic Sodes, poſt tot, & tantos gyros, & revolutiones negotiorum, contractuum voluptatum, delitiarum, quomodo tua conſcientia pacata eſt? Eheu! Eſt campus aſſiduarum pugnatum, paſſiones indomitæ ſemper in armis ſunt, ut nos obruant. Fides te culpat, quod contraria agas iis, quæ credis, ſpes tibi litem movet, eo, quod ei non fidas, charitas te accuſat, quia eam non æſtimas. Venatio tua non
Svetvn. in Domit. differt à venatione Domitiani, qui ſolum muſcas à facie abigebat.

Ergone ita finias? Deus omnium tuorum operum pacem ſtatuit. *Poſuit fi-*
*Pſ.*147. *v* 14 *nes tuos pacem.* Inſtinctus naturæ ad nil aliud te ducit, nempe, ut ſemel poſſis frui quiete ſine faſtidio, & id melius diutina experientia, quam mea concio, tibi potuit monſtrare, quod hæc pax & quies in ſolo Chriſto reperiatur. Ergone hanc veritatem ſpeculativè edoctus ad praxin nolis reducere? O quot ſunt inter nos Chriſtianos Forcæ! Fuerunt hæ ſorores Meduſæ, &, ut refert Thales Pythagoricus, monoculæ erant, nec tamen eum habebant in fronte, ſed eum arculæ incluſum in ſacco geſtabant, unde ſi ambularent, allidebant ad ſcopulos, cadebant in ſcrobes, inter ſpinas lacerabantur.

XII. Multi habent oculum fidei, ſed eum non portant in capite, ſed in manu, & ambulando eo non utuntur, ac ſi
eo carerent. Sciunt quidem illud Jobi *Cap.* 9. *v.* 4.
eſſe veriſſimum: *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* nec tamen icere fœdus volunt, ut cum eo pax coaleſcat, unde & conficitur, quod in morte reperti arma manibus geſtare igni deſtinentur. Auditores mei, ſi velitis lumine adiuvari, illud manibus geſtate. Si ſciatis, quod ſolus Deus poſſit dare pacem, extra illum eam non quæratis. Veniamus ad praxin. Nulli rei magis incumbitis, quam ut bene ſtetis cum illo, de quo dixit Da-
vid: *Pax multa diligentibus legem tuam, &* *Pſalm.* 118.
non eſt illis ſcandalum. Qui probus eſt Chriſtianus, habet multas paces; imò habet omnes; nam, ut dicit Tertullianus, *Chriſtianus non habet inimicum.*

Bella ſæviunt, nec tamen pacem turbant, qui Deo ſe committit; miſeriæ temporum ei accumulant meritum, & non augent iram, ſed ſcit, quod incidere debeat in manum amicam, ac hoc
modo vivit, & moritur, *in multitudine* *Pſ.* 36. *v.* 11.
pacis, & Deo alligatus clamat: *Si exurgat*
adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo Et *Pſ* 26. *v.* 3.
ſanè ſtolidi eſſemus, ſi vellemus pacem ſine bello.

XIII. Vita noſtra eſt palæſtra, bella noſtra per pacta ſopiri non poſſunt, pa-

cem solis victoriis obtinere debemus, & has per prælia, & certamina. Interim animos sumite; nam si nos ipsos devicerimus, omnia salva sunt. An unquam observastis progressus Reipublicæ Romanæ? Centeni iverunt anni, priusquam Italiam, quæ erat vicinior, subiugarint, illâ autem victâ, alias partes orbis levi brachio devicerunt. Vincat aliquis seipsum, & brevi pacem habebit. O ambitiose, vince illam stultitiam, quæ tuum caput ascendit, & illam dignitatem sibi destinavit, nec ullo modo affligeris, quia quamvis tuus æmulus promoveatur, invidiâ non adureris. Et difficultas, quæ sese tibi obiiciet, in tristitiam te non aget. Tot annis vixisti sine illo titulo, opes tibi sufficientes sunt; eccur ergo velis esse ex iis, *qui seminant dolores, & metunt eos?*

Ex Floro.

Iob. 4. v. 8.

O avare, ecquid tibi deest, si centum ducatos minus habeas? Cur te vexas? Pro tuis prolibus? Deus scit, quod omnia tua habebit aliquis consangvineus ingratus, vel quod ea rapiet fiscus. Nec in somno pacem habes, & tamen sunt milleni in hac urbe, qui cum medietate tuarum facultatum pacatissimi viverent. *Acquiesce igitur Deo & habebis pacem.* O sensualis, hodie adhuc vis frui cupitis amplexibus, & dein non amplius. Tot iam annis ita vivis, nec tamen unquam tranquillaris, ereptus illo spontaneo delirio impurissimorũ amorũ, muni te contra occasiones, & quod si õ habeas pacẽ, me querelis proscinde.

Iob. 22.

XIV. Quomodo columba tam enormiter errat, ut à Spiritu sancto dicatur non habere cor: *Columba seducta, non habens cor?* Scitis caussam? Aliæ aves nunquam nidificant in illo loco, in quo iis pulli sunt sublati, columba autem nescit ex columbario abire, in quo tamen experitur, quod vix possit frui suâ menstruâ fecunditate. In omnibus deprehendis fraudes, & tamen in iis solum nidificas. Quatuor sunt, inquiebat ille servus Dei, quæ pacem domus turbant: *Hostis, uxor, servus, propinquus.* Hostis, qui te in continuis exercet excubiis, uxor, quæ semper est in fermento, servus, qui omnia præcepta sugillat; vicinus, qui nunquam est quietus.

Osea 7.

Non absimiliter quatuor sunt, quæ pacem animæ lædunt: Hostis, puta dæmon, uxor, id est caro, servus, id est mundus, propinquus, hoc est proximus scandalosus. Qui hæc quatuor non domuit, potest quidem pacem desiderare, sed eâ non frui. Auditores mei, concludam cum sancto Paulo: *De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, siquà virtus, siquà laus disciplinæ, hæc cogitate, & Deus pacis erit vobiscum.* Nec putetis hunc esse exiguum fructum vestrorum operum, & quousque vivatis, orate: *Dominus det nobis suam pacem.* Nam & post mortẽ idẽ oratur: *Requiescãt in pace.* *Ad Phil. 4.*

Illa quam vobis jam dono, ad me non redeat; nam scitis, quod Christus à se missis dixerit: *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis requiescet super illo pax vestra sin autem ad vos revertetur.* Oro vos, ne pax, quam per sacrosancta Sacramenta suscepistis, sit pax torrentis, qui citò exsiccatur, sed fluminis, quod semper durat. *Sit sicut flumen pax tua.* Interim ego, quoad vixero, non cessabo orare, ut pax Dei, *quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu,* cui honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Lucæ 10.

Isaiæ 48.

Phil. 4. v. 7.

FINIS.



ARGUMENTA CONCIONUM QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

Feriâ Quartâ Cinerum.

PRimum cognitum Christianæ Philosophiæ est scire, quod terra nobis non conveniat.

Dies Jovis Quadragesimæ.

Catholico maxima est consolatio, quod certus sit se in fide non errare nec decipi.

Feria Sexta post Cineres.

Sermo Jesu Christi pro dilectione inimicorum.

Dominica prima Quadragesimæ.

Occasio peccandi est Dæmonium Dæmoniorum.

Feria secunda.

Ephemeris diei Domini.

Feria tertia.

Delegitur maximus error mundi in negotiatione hominum, qui dum æquissimo & vilissimo possent emere Deum, reliqua omnia carissimè coemunt.

Feria Quarta.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione istâ, & condemnabunt eam.

Feria quinta.

Ostenditur quam sit portentosa insensibilitas nostra in malis extremis hujus ævi.

Feria sexta.

Nemo est miser nisi talis esse velit.

Dominica secunda Quadragesimæ.

Amatoribus mundi exprobria fiunt.

Feria secunda.

Insultus generalis in cor peccato inveteratum.

Feria tertia.

Conspicilia quæ convincunt ambitiosos, & superbos debili pollere visu.

Feria quarta.

Inimici nostræ Perseverantiæ.

Feria quinta.

Primus intuitus miseri damnati terminatur ad præteritum, præsens & futurum.

Feria sexta.

Plurimum interest in viâ iniquitatis non incepisse.

Dominica tertia Quadragesimæ.

Incantatio, qua incantantur humanæ miseriæ, diabolicæ furiæ, divinæ vindictæ.

Feria secunda.

Privilegia bonæ Conscientiæ.

Feria tertia.

Accusantur omissiones velut causæ communissimæ malorum totius Universi.

Feria quarta.

Judicat sine judicio qui faciliter condemnat actiones alterius.

Feria quinta.

Alchimia Sanctorum, in quâ ostenditur, quomodo desolationes in consolationes transformentur.

Feria sexta.

Refocillatio sitientis Christi.

Dominica quarta Quadragesimæ.

Advocatus Pauperum.

Feria ſecunda.

Flagellantur Conſcientiæ, quæ in templis minus reverenter ſe habent.

Feria tertia.

Sæculum apparentiarum.

Feria quarta.

Verus interpres propriarum & alienarum tribulationum.

Feria quinta.

Quodlibet momentum vitæ noſtræ eſt articulus mortis.

Feria ſexta.

Planctus ad tumbam peccatoris annihilati.

Dominica paſſionis.

Portentum eſt, quod homines non ament Chriſtum.

Feria ſecunda.

Monſtruoſa inſenſibilitas eorum, qui parvi ducunt, quod perdant Deum.

Feria tertia.

Feſta non ſunt amplius feſta, quia in iis non reperitur Deus.

Feria quarta.

Apologia Divinorum judiciorum.

Feria quinta.

Summum miraculum Redemptoris.

Feria ſexta.

Monentur Politici, quod velle ſua promovere ſine Deo, ſit compendioſiſſima via ad perditionem.

Dominica Palmarum.

Deplorantur animæ, quæ non obſervant tempus, ut correſpondeant Divinis vocationibus.

Dies Paraſceve.

Interpres mundi turbati in paſſione Chriſti.

Dies Sanctus Paſchæ.

Exequiæ mortis, & omnium afflictionum humanarum.

Dies Secundus Paſchæ.

Spes deſperatorum.

Dies Tertius Paſchæ.

Venatio pacis.

FINIS ARGUMENTORUM CONCIONUM.





INDEX CONCIONATORIUS

AD FORMANDAS CONCIONES EX HOC QVADRAGESIMALI PER TOTVM ANNVM.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Thema Primum.

Erunt signa in sole, Luna, & stellis, &c. Lucæ 21. v. 25.

SEd cur hæc signa? Nonne sine his Deus posset judicium exercere? Quinimo. Cur ergo id facit? vult ex insensibilibus convincere hominis duritiem, sicut ex vitâ Gentilium confundet vitam, & virtutes Catholicorum. Vide insignem de hoc discursum concione septimâ per totum.

Arescentibus hominibus præ timore. Ibid. v 26.

Nimirum injustis, quia inter omnes tribulationes nulla est gravior, & major, quam prava conscientia; Concione 17. unde mirum est quod homines de illa non curent, nec sint soliciti. Vide etiam calamato discursu seu de peccati gravitate Momigno in quadragesimali, & Engelgrav. tom. 2. in Dominicali.

Respicete & levate capita vestra. Ibid. v. 28.

Nimirum his fieri incipientibus ubi notat singulariter tempus observandum esse; nam si diutius expectarent forsan nimis sero foret capita levare. Concione 35. ubi de hoc insignem habes concionem.

Dominica secunda Adventus.

Thema Primum.

Cum audisset Ioannes in vinculis, &c. Matth. 11. v. 2.

Ex hoc apparet enormitas Monstruositas nostri ævi, Joannes in vinculis non deposuit memoriam Dei, è contra nos quamvis maximis miseriis affligamur, tamen nec in minimo movemur, aut convertimur. Concione 8 per totum. Potest & agi de tribulatione, quod nos male ea interpretemur cum sint signum amoris, & majoris prosperitatis concione 25. similiter Joannes misit in vinculis ad Christum, quia non desperavit, nam respexit alios adhuc miseriores se. Concione 20.

Mittens duos de discipulis suis. Ibid.

Christus interrogatus non statim respondit, ne responsio jactantiæ adscriberetur, neque discipulos averteret à Joanne, quin imo & hac de causâ à prædicatione cessavit ex

quo videmus, quam merito Christus sit amandus, ita ut sit miraculum, quod non ametur. Concione in Dom. Passionis, seu Concione 28.

Ecce ego mitto Angelum. Ibid. v.20.

Sanctus Joannes fuit Angelus per gratiam, quia fuit amicus Dei, peccator autem bellua est, Dæmon imo peior quam bestia cum sit nihil, & annihilatus. Concione 29. Per totum, vide & Januarium Matta concione. 9. Qui modo sudat sub prælo.

Dominica Tertia.

Thema Primum.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes, & levitas, &c. Joan. 1.v.19.

Non alium in finem, nisi quia non recte sentiebant de operibus Joannis, quæ sugillabant, & scrutabantur; ego sane irrisissem illos legatos, & melius domi mansissent. Genius est quotidianus mundi censurandi actiones proximi. Concione decima nona.

Non sum. Ibid. v.21.

Joannes respiciebat opera digniora, & excellentiora Christi, & ego dicit. *Ego non sum Christus*, quia nullum est medium efficacius ad superandam vanam gloriam, quam si respiciat ad eos, qui te sunt excellentiores, & quia hoc non facis ideo superbus es. Concione 11. per totum, ubi egregios habes conceptus.

Ego vox clamantis in deserto. Ibid. v.23.

Sis tu quoque vox clamantis, & non erubescentis in confessione; sic enim multa bona tibi procurabis. Dom. 3. Quadragesimæ, vide & Januarium Matta, & Engelgrav.

Dominica Quarta.

Thema Primum.

Venit Prædicans baptismum pœnitentiæ. Luc. 3.v.3.

Cum mundus esset perditus, & submersus in peccatis intrat prædicans pœnitentiam, quia illa Deo gratissima est, & merito hodie deberet prædicari, quamvis omnibus in honore sit. Vide concionem diei veneris Dom. quartæ, ubi habes exquisitos conceptus.

Ego vox clamantis in deserto. Ibid. v. 4.

Sed cur in deserto? cur in tam asperâ, & rigida regione; sine dubio, ut fugeret occasiones peccati; illæ siquidem magis formidandæ sunt, quam Dæmones, & ideo Eremicolæ in eremum fugerunt. Dom. prima quadragesimæ.

Rectas facite semitas ejus. Ibid. v. 5.

Hoc est viæ vestræ non sint lubricæ sed planæ ac Deo placitæ, quia si semel ingressi fueritis vias peccatorum, non poteritis tam faciliter gressus retrotrahere. Die ven Dom. secundæ. Potest etiam agi de via rectâ, qua venemur pacem internam animæ; quam viam pauci incedunt. Concione ultima feria tertia Paschæ.

Dominica infra octavam Nativitatis.

Thema Primum.

Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum. Lucæ 2.v.34.

Ne te vexes inquirendo, & disputando an sis de numero eorum, qui peribunt, vel resurgent, sed te totum Deo committas, qui omnibus dat media sufficientia ad salutem, quique nullius libertatem lædit. Concione 31. quæ est valde consolatoria.

Quæ non discedebat de templo jejuniis, & obsecrationibus, &c. Ibid. v.37.

Id est incessanter, & perseveranter, id quoque tu fac in servitio Dei, quia innumeris solicitudinibus exemptus eris, & quamvis labaris tamen fac, ut cito surgas, & Deum incessanter pro perseverantia ora. Concione 13. die Mercurii Dom secundæ.

Quæ non discedebat de templo, &c. Ibid.

Cognovit siquidem domum Dei esse domum orationis, & in ea velut in cœlo vivendum; nam Deus nullum amplius habet locum in hoc mundo, quam templum, eo quo etiam ei erectus videtur. Concione 23. Die lunæ. Dom. Quartæ.

Dominica prima post Epiphaniam.

Thema Primum.

Dolentes quærebamus te. Lucæ 2. v. 49.

Merito, id enim summopere deplorandum est, quando Deus abit, & perditur; sicut enim non est majus bonum, quam Deum habere, sic non est majus malum, quam eo carere, & mirum est quod hoc hodie homines non deplorent. Concione vigesima octava die Lunæ Dom. Passionis.

Non cognoverunt parentes ejus. Ibid. v. 43.

Quomodo hoc? An non fuerunt soliciti in eo custodiendo? Quinimo, & quia tamen non omnino sufficientem curam adhibuerunt, ideo perditus fuit, ut sciam' ab omissionib' in mundo omne malũ provenire. Concione 18. die Martis post Dom. Tertiam.

Quærentes eum in comitatu venerunt iter Diei. Ibid. v. 44.

Sine Dubio mox ut cognoverũt Jesum nõ adesse eum quęsiverunt, nec moras traxerunt; idem & tibi faciendum est peccator, quia si diutius in peccatis hærens difficulter ex iis emerges concione 11. & omne tempus observandum est. Concione 34 & quodlibet momentũ vitæ nostrę est articul' mortis. die Jovis Dom. quartæ Potest etiam agi de observatione festorum, & reverentia in templis, vide indicem concionatorium.

Dominica secunda post Epiphaniam.

Thema Primum.

Vocatus est Iesus ad nuptias. Joan. 2. v. 2.

Jesus vocat' est ad nuptias noluit iis abesse, ut ostenderet nullum statũ esse in quo aliquis non possit salvari, & cui ipse non det auxilia sufficientia, & ideo ut convincat hoc negantes in quolibet statu ipse aliquos justos, & Sanctos conservat. Die Mercurii Dom. Passionis, & quod potuit gratia Dei in illis, ut vocarent Jesum, id & potest in te. Feria secunda Paschæ.

Deficiente vino. Ibid. v. 3.

Quid mirum, nihil enim est in hoc mundo, quod pure nos delectare, & recreare queat, & ideo bona cœlestia solum sunt attendenda. Dom. secunda Quadragesimæ, ubi improperationes fiunt amatoribus mundi.

Implete Hydrias aquâ. Ibid. v. 7.

Magna semper, & mirabilia Deus operatus est in aquis. Sed cur? siti crudeli torquebatur, & ideo semper circa aquas egit, & nil aliud quam aquas quærit, nempe aquas lacrymarum Concione die Ven. Dom. Tertiæ.

Dominica 3. post Epiphaniam.

Thema Primum.

Ecce Leprosus veniens adorabat eum. Matth. 8. v. 2.

To *Ecce* insigne videtur continere mysterium, quod nempe leprosus nõ neglexerit temp' sed illud recte observarit; & id sane tibi quoque faciendum est, quia alias hoc valde deplorabis. Dominica Palmarum.

Veniens adorabat eum. Ibid.

Leprosus iste non solum accedebat corpore, sed & corde, & ideo etiam mundatus est; nos miramur, quod in nostris miseriis non exaudiamur; causa porro est, quod non accedamus corpore, & corde; siquidem ex animo ac nostris malis liberari non volumus concione 8. parte secunda.

Volo mundare. v. 3.

Voluntas ejus est prompta, & parata, ad benefaciendum, defectus solum est ex parte nostræ voluntatis, quâ à miseriis liberari non volumus; quia nemo est miser, qui talis esse non vult.

Dominica quarta post Epiphaniam.

Thema primum.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8. v. 24.

Et unde quæso magnus ille motus maris turbationes, & pericula? A præsentiâ Judæ. Conversatio siquidem cum malis, & occasio peccati maxime turbant mare animæ; vide de hoc concionem Dom. primæ.

Ita ut navicula operiretur fluctibus. Ibid.

Per naviculam intelligitur Ecclesia; quam quamvis fides Christi fundarit, Judas tamen conturbavit hoc est Ethnici, & hæretici, nec tamen ob hoc est submersa, quin potius magis emersit, & floruit; nam ejus fides securissima est, ac certum est quod non erret.

Quid timidi estis. Ibid. v. 26.

Ac si dicere noluisset; quamvis ex vobis ipsis non possitis hanc tempestatem sedare, attamen ego, qui vobis præsens sum id facere queo; sic esto ex nobis parum possimus, attamen gratia Dei in nobis plurima potest. Concione trigesimâ septimâ; nam illa valde potens est, nec timere debemus, quia afflictiones jam sepultæ sunt. Concione trigesima sexta.

Dominica Quinta post Epiphaniam.

Thema Primum.

Cum autem dormirent homines. Matth. 13. v. 25.

Quid mirum quod regna, provinciæ, civitates, monasteria, familiæ extremæ subjaceant ruinæ, quando Reges, & superiores ac parentes dormiunt, hoc est correctionem omittunt; nam ab omissionibus omnia mala in mundo proveniunt Concione 18.

Venit inimicus homo. Ibid.

Subintrat in foveam cordis nostri velut Ericius in foveam vulpis de quo calamato discursu 2. N. 9. quia primo petit minimi peccati patrationem, dein autem pergit ad majora, ideo videndum ne in minima prolabamur, quia multum refert in via iniquitatis non incepisse. Concione 15.

Inimicus homo hoc fecit. Ibid. v. 28.

Et quidem hominibus dormientibus, nam forsan iis vigilantibus dedit optime verba, velut nobiles nostri, qui non utuntur nisi meris cæremoniis, nec mirum, nam modernum sæculum est apparentiarum. Concione 24.

Dominica sexta post Epiphaniam.

Thema Primum.

Simile est Regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13. v. 31.

Ergone non sit Regnum cœlorum præstantius grano sinapis quod si ita cur vexamus nos pro eo tot laboribus, jejuniis &c.? Non sine mysterio illud comparat grano sinapis, ut ostendat, quod levi pretio possit quis illud emere. Concione sextâ per totum.

Simile est Regnum cœlorum grano sinapis. Ibid.

Per Regnum cœlorum intelligitur Ecclesia, quæ merito grano sinapis comparatur; nam esto ejus fides videatur minima, & humillima doctrinarum terrræ, tamen non obstantibus persecutionibus alias sectas vicit, & deglutivit ita ut securi simus nos non errare. Concione secundâ.

Fermento quod abscondit mulier in farinæ satis tribus. Ibid. v. 33.

Hoc est in Christo, quia omnia sua retulit in Christum; non sic nos, qui omnia nostra committimus terræ, quæ tamen infidelissima est, & nil servat ex iis, quæ ipsi commissa sunt. Concione primâ.

Dominica Septuagesimæ.

Thema Primum.

Conducere operarios. Matth. 20. v. 1.

Vult nos operarios ut simul eamus cum eo, ut ipse faciente pro sua parte quod nostram salvationem tangit, tu quoque tuum facias, ut sic non est quod timeas, quia si tu tuum feceris salvaberis, nec poteris damnari Concione trigesimâ primâ.

Invenit alios stantes. Ibid. v. 3.

Non lego quod bis vocaverit eosdem, sed semper alios, & alios, unde merito timere debemus, ne si inspirationibus non correspondeamus, non amplius nos vocet; unde merito illæ animæ deplorandæ sunt, quæ tempus vocationis non observant. Concione trigesimâ quartâ.

Circa undecimam. Ibid. v. 9.

Exit ad finem diei, ne tamen ob hoc sis incurius, eo quod multæ diei horæ videantur restare, nam omnes quantumvis juvenes sunt, in articulo mortis, & mirum est, quod dentur aliqui senes, cum quodlibet momentum vitæ nostræ articulus mortis sit. Die jovis dom. quartæ. Potest & agi de gloriâ cœlesti de quo vide Dom. 2. De pretio vili, quo comparatur vide Con. quintam, item de perseverantia vide Con. 12.

Dominica Sexagesimæ.

Thema Primnm.

Exiit qui seminat seminare semen suum. Matth 3. v. 13.

Videmus quomodo Deus non solum vocet nos, sed etiam quomodo ad nos accedat, ut ei serviamus; ne ergo diffidas animo, & desperes, quia paratus est omnibus dare gratiam, concione trigesimâ primâ, & fragilitatem cujuslibet adjuvare Concione 37.

Aliud cecidit super viam. Ibid. v. 4.

Et illud sunt lachrymæ effusæ propter res caducas, & temporales, debent autem solum effundi ob Deum offensum; sunt enim ipsi gratissimæ; & sitim ejus restaurant. Concione 21.

Quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Ibid.

Non debet tamen ob hoc homo desperare si conversus denuo labatur, vel tentetur. concione 37. parte 2. Sed debet statim resurgere concione undecima, parte secundâ, & occasiones peccandi fugere. Concione quartâ.

Dominica Quinquagesimæ,

Thema Primum.

Ecce Ascendimus Hierosolymam. Lucæ 18. v. 31.

Quæ dicitur visio pacis; eam quidem quærunt mundani per alias vias, attamen quo magis procedunt eo minus eam inveniunt, tu autem per aliam viam pacem quære. Concione trigesimâ octavâ.

Quid vis ut faciam tibi? Ibid. v. 41.

Ita etiam supra interrogavit, alios quos voluit sanare, nec sine mysterio, ut ostenderet neminem esse miserum, nisi quia vult. Concione nonâ. Illa interrogatio etiam ostendit nobis suam bonitatem, ut merito mirandum sit, quod Christus non ametur.

Qui præibant increpabant eum, ut taceret. Ibid v. 39.

Ita tractat mundus pauperes, omnes enim eos transeunt, nec compatiuntur iis, imo fastidiant clamores eorum, cum tamen pauperes sint optima portio mundi. Dom quartâ potest & agi de tempore observando Dom. Palmarum, & de insensibilitate nostri temporis, quod in miseriis ad Deum non confugiamus Concione 8. item de afflictionibus vide Feriam 4. Dominicæ Quartæ.

Dominica in albis.

Thema Primum.

Venit Iesus. Joan. 20. v. 26.

Nimirum ad discipulos quorum unus eum negaret, alii fugerant; unde immerito peccatores desperant; siquidem ille iis familiarissimus fuit con. 37. vide amabilitatem Jesu in hac apparitione. Dom. passionis.

Pax vobis. Ibid.

Sincerè & candidè iis pacem optavit, non sicut mundani apud quos omnia sunt ficta, & fucuta; cum modernum sæculum sit sæculum apparentiarum. Die mortis. Dom. quartæ.

Gavisi sunt discipuli. Ibid. v. 20.

Non fuissent gavisi nec vidissent gloriosa vulnera Christi nisi antea fuissent afflicti; nulla enim tribulatio immittitur nisi ob majus bonum. Die Mercurii Dom. Quartæ. Judæi voluerunt Christum supprimere, sed magis gloriosus redditus est; nam se perdit, qui sine Deo vult emergere. Concione 33.

Dominica Secunda post Pascha.

Thema Primum.

Et alias oves habes, &c. Joan. 10. v. 16.

Vides quomodo Deus nullum spernat, sed omnibus per sufficientia media ad salutem, tuum autem est cooperari illis sic erunt omnia bona. Concione 31.

Et lupus venit, & dispergit oves. Ibid. v. 13.

Quis dissensiones movet lupus est Deo invisus, qui discordias summe amat, ac ideo vetat vindictam, tu ergo ignosce, quia Deus est, qui hoc præcipit, cum tamen id sæpè facias in gratiam hominum. Concione Tertiâ.

Animam meam pono pro ovibus meis. Ibid. v. 11.

Vide ergo quantum obligatus sis huic pastori, qui omnia tibi dedit, ubi est ergo amor tuus, quo eum diligis? Dom. Passionis. Cur ei non servis cum vili possis emere cœlum, dum alia caro compares concione sexta.

Dominica Tertia post Pascha.

Thema Primum.

Modicum & non videbitis me. Joan. 16. v 16.

Tribuit Deus nobis modicum tempus ne illud contemnamus, nec perdamus; hoc enim nos solicitos, & anxios reddere debet, ut tempus bene usurpemus; & dolendum est, quod illud non attendamus. Dom. Palmarum.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ibid. v. 20.

Et cur non verteretur ait Joannes de la Hay, cum sancti sint Alchymistæ, qui ex tribulationibus solatia haurire possunt. Concione vigesima. Cum & afflictiones sint mortuæ. Dom. Paschæ.

Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ibid. v. 22.

Vita enim cœlestis non est mutabilis, sed stabilis & gaudent sancti dum eam considerant Dom. secunda, & quo magis afflicti fuerunt in hoc mundo eò magis sublimiores erunt in gloria. Feria quarta Dom. Quartæ.

Dominica Quarta post Pascha.

Thema Primum.

Quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum. Joan. Ibid. v. 6.

Non est gravius tormentum, quam quod anima privetur præsentia, & visione Dei. Concione quarta decima.

Et *cum venerit arguet mundum de judicio.* Ibid. v. 8.

Nempe temerario; ostendet quippe, quod judi-

judicando temere proximum usurpaverimus jurisdictionem Dei; dicit autem mundum, quia omnes nati ad hoc videmur, ut proximum judicemus. Concio. decima nona.

Argues mundum de peccato. Ibid.

Et hoc ex ipsa visa gentilium quod post Adventum Messiæ, & salvatoris nostri adhuc tam obstinati fuerimus in peccatis, & tepidi in virtutibus. Concione septima. Potest & agi de efficacia illius verbi *vado* de quo vide Concionem die lunæ post Dominicam Passionis. Item tristantur Apostoli, quia non bene interpretantur tribulationes. Vide Feriam quartam Dominicæ Quartæ.

Dominica Quinta post Pascha.

Thema Primum.

Si quid petieritis patrem. Joan. ibid. v. 23.

Dices quod sæpe tribulationibus pressus fueris usus hoc remedio, sed sine remedio? Tu qui hæc dicis lege partem 2. Concionis 8.

Petite, & accipietis. Ibid. 24.

Quia tu non petis sicut debes ideo non exaudiris, est ergo voluntatis tuæ si non audiaris quia; quilibet miser est, quia sic vult. Concio nona. Vides etiam quod habeas gratiam ad orandum alias non præciperes hoc tibi. Concione trigesima prima. Vides etiam hic bonitatem Christi ergo ama ipsum Dom. Passionis.

Vt gaudium vestrum plenum sit. Ibid.

Ut scilicet acquiras beatitudinem, quia illa est gaudium plenum, & ideo debemus frequenter de hoc cogitare Dom. secunda, & gaudere si hic affligamur, quia habemus gaudium plenum Feria Quarta. Dominicæ Quartæ.

Dominica Sexta post Pascha.

Thema Primum.

Cum venerit Paraclitus. Joan. ibid. v. 13.

Hic est spiritus virtute cujus omnes mundi vires superabunt, quando vero hic deficiet vide concionem vigesimam nonam, & sane quamvis ex natura nostra fragiles simus; attamen ejus gratia reddimur valde fortes. Concione trigesima septima.

Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini. v. 1.

Ergone Apostoli, qui toties conciones Christi audiverant adhuc queant scandalizari? quis ergo non justè metuat, ne non perseveret? supera ergo inimicos perseverantiæ, & sequere monitum concionis decimæ quartæ.

Vt omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium præstare Deo. Ibid. v. 2.

Nimirum putabunt sic legem Christi abolendam; sed non ita quin potius ex hoc fides Christi magis roborata fuit. Concione secunda, etiam ipsi potius fuerunt destructi, quam fides Christi, quia perditur, qui sine Deo vult se evehere. Con. 33. Ita fuerunt excœcati, & hoc ideo, quia inceperunt in minimis, tanti refert nunquam in via iniquitatis incepisse Concione ibid.

Festum solenne Pentecostes.

Thema Primum.

Si quis diligit me sermonem meum servabit. Joan. 14. v. 23.

Mirum est quod tam pauci sint, qui Christum ament, cum tamen ipse sit portentum amoris. Dom. Passionis.

Mansionem apud eum faciemus. Ibid. 24.

Felix sicut est illa anima quæ habet Deum; ita & infelicissimus est peccator qui

caret

caret Deo; nam caret omni bono, adeoque omnibus malis involvetur concione vigesimâ nonâ, imo sine Deo nihil est, concione vigesimâ septimâ.

Et sermo quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me. Ibid.

Ex quo discimus quod singulariter debeamus obedire Evangelio, quia Deus sic mandat, & specialiter illud mandatum de dilectione. Concione tertiâ, & ideo à Gentilibus condemnabimur, si Evangelium non observemus. Concione septimâ. Potest etiam hic agi de pace, & efficacia gratiæ spiritus Sancti. Vid. Con. 37. & 38.

Dominica Prima post Pentecosten.

Thema Primum.

Docentes eos servare. Matth. 28. v. 20.

Ne cogitet fidelis quod satis si credat, nam fidem suam debet illustrare virtutibus, concione secunda.

Ecce ego vobiscum sum. Ibid.

Magna hæc est felicita, è contra magna miseria si nobiscum non esset, vide con. 29. Et ideo Synagoga fuit misera, quia non mansit in ea usque ad consummationem sæculi, concione vigesima nona; nobiscum etiam est in templo ideo reverenter in eo nos debemus habere, concione 23. & in pauperibus, erga quos misericordes esse debemus. Concione vigesima secunda.

Ecce ego vobiscum sum. Ibid.

Quamdiu Deum tecum habes, tam diu gaudere debes, quia habes bonam conscientiam, conscientia autem maxima lætitia est concione decima septima. Pro alio Evangelio nolite judicare habes integram concionem, potest etiam agi de misericordia.

Dominica secunda post Pentecosten.

Thema Primum.

Parata sunt omnia. Lucæ 14. v. 18.

Ex parte Dei omnia jam sunt facta, solum nunc exigitur, ut illa facias ex parte tua, quæ necessaria sunt, Deus enim omnes vocat, & omnibus dat sufficientia media. Concione trigesima prima.

Villam emi. Ibid.

Et forsan nimis carò, nec hoc est mirum, nam mundani carò emunt temporalia, cum tamen cœlum vilissimo pretio emere possent. Concione sexta.

Uxorem duxi, & ideo non possum venire. Ibid. v. 20.

Duo præcedentes adhuc habent aliquam reverentiam invitatori, & ideo se petunt excusari, hic autem simpliciter dicit, quod non possit; nam summum miraculum est, quod libidinosus convertatur. Vide Concionem trigesimam secundam. Merito tamen Deus in tales irascitur, quia Gentiles uxoratos Catholicos confundent, si non bene vivant. Concione septima. Potest etiam agi de extremo judicio.

Dominica tertia post Pentecosten.

Thema Primum.

Relinquit nonaginta novem in deserto. Lucæ 15. v. 4.

Non in civitate, non in cauponis ubi maxima, viget malorum conversatio, & peccandi occasio, sed in deserto; ibi quippe securiores sunt; & ideo Eremicolæ ad desertum fugerunt. Concione quarta.

Imponit in humeros. Ibid. v. 5.

Non voluit virga minari gregem, nec ictibus ad ovile propellere, sed his omissis eam in humeros assumit, ut doceat correctionem, quamvis summe necessaria sit, eam tamen debere adhiberi in spiritu lenitatis. Concione decima quinta parte secunda.

Gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Ibid. v. 7.

Ex quo liquet, quod Deus te nolit deſerere, & hoc quamvis maximus ſis peccator, quia Deus cum pœnitentibus ludere ſolet. Concione trigeſima ſeptima, ac ideo pœnitentibus maxima bona in Eccleſia contulit. Vide concionem 32. & concionem 21. & ideo ut Deum lætifices inſtitue rectam confeſſionem. Dominica tertia. Vide & in eadem Dominica Mattam, & Engelgrav.

Dominica Quarta poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Et ſedens de navicula docebat. Lucæ. 5. v 4.

Ordinariè Jeſus ambulabat juxta aquas, quia magna ſiti torquebatur, eadem autem adhuc torquetur, & petit maxime in æſtate à te potum, tu autem illum ei des nempe lachrymas. Concione vigeſima nona.

Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Ibid.

Perſevera in exercitio bonorum operum, & magnam tandem capies meritorum multitudinem; hoc autem fiet ſi caveas perſeverantiæ hoſtes. Concione 14.

Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. Ibid. v. 5.

Nec hoc eſt mirum, quia nil in hoc mundo confidimus nos terræ, quod illa nobis fideliter reddat; nam primum cognitum Philoſophiæ Chriſtianæ eſt ſcire, quod terra non faciat pro nobis. Concione prima.

Dominica Quinta poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Phariſæorum, & ſcribarum. Matth. 5. v. 20.

Nam alias illi nos arguent in judicio, dum oſtendent, quod in virtutibus fuerint multo perfectiores, quam nos, & ideo convincemur à gentilibus in judicio. Concione ſeptima.

Qui dixerit Fratri ſuo Racha. Ibid. v. 22.

Racha ut ſupponit noſter Hay in indice concionatorio hujus Dominicæ tomo in Exodum ex Petro Damiano, & D. Paſchaſio, & aliis non eſt vox propria hominum, ſed beſtiarum, ut ſignificetur iracundus, & quilibet peccator eſſe beſtia. Vide Feriam ſextam Dom. quartæ, & Januarium Mattam Concione nona.

Reus erit Gehennæ. Ibid.

Gehenna ut obſervat Hay idem eſt Hebræis, quod Gehennon, ſive Gebentinnon, erat enim vallis delitiarum, viri, qui dicebatur *Hinnon* ut aliqui voluere, interpretatur tamen vallis triſtitiæ, quia damnati ex hoc maxime cruciabuntur, dum recordantur delitiarum quas in hac valle mundi habuere. Poteſt etiam agi de delectione inimicorum.

Dominica Sexta poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Ecce triduo ſuſtinent me. Marci 8. v. 2.

Non eſt mirum, quod Chriſtum triduo ſuſtinuerunt, quia quamvis portentum non ſit, quod aliquis inter delicias Chriſtum non ſequatur, attamen prodigium eſt, quod afflictus illi non adhorreat, unde patet noſtrum ſæculum eſſe monſtruoſum. Concione octavâ.

Miſereor ſuper turbam. Ibid.

Mirum ergo eſt, quod à turbâ non ametur; cum enim iis ſemper ſe affectuoſiſſimum oſtenderit piæ cunctis eum amare deberent, Dominica Paſſionis.

Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia. Ibid. v. 9.

Non sine mysterio hæc addit Evangelista, & numerum manducantium annotavit, ut magis corroboraretur fides miraculi, Deus enim fidem nostram miraculis corroborare solet. Concione secunda.

Dominica septima post Pentecosten.

Thema Primum.

Attendite à falsis Prophetis. Matth. 7. v. 15.

Hoc est ab Hypocritis, qui se simulant sanctos dum non sunt, & dicit attendite monens, ut bene caveamus; nam mundus talibus plenus est, cum sit sæculum apparentiarum, & nil melius est, quam talem se exhibere qualis quis est. Feria tertia post Dom. quartam, per falsos Prophetas etiam potest intelligi occasio prava, ideo illa vitanda, quia pessimus est Dæmon. Concione 4.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Ibid. v. 16.

Sed quomodo à fructibus? Dicere voluit ab operibus, illa enim faciunt ad ostentationem, & non ad ædificationem; quia enim se aliis præferunt, & aliorum opera non attendunt, ideo vanâ gloriâ efferuntur; subtile sane est hoc vitium. Concione undecima.

Omnis arbor, quæ non facit. Ibid. v. 19.

Non dixit, quæ non fecit ut observat de la Hay, sed quæ non facit, ut ostendat nos bonis operibus semper insistere debere, nec ab iis cessandnm; in quo docetur perseverantia. Concione 14.

Dominica octava post Pentecosten.

Thema Primum.

Diffamatus est apud illum. Lucæ 16. v. 1.

Ne quæras quis tibi coram Deo detrahat teque accuset, est enim tua propria conscientia, quæ te quiescere non sinit. Concione decima septima: Similiter potest dici, quod omnes illi, qui non habentes tot gratias, quot tu, te accusabunt, quod melius vixerint. Concione septima.

Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me? Ibid. v. 3.

Prudenter egit, quod statim consuluerit sibi, quid agere deberet, nec hoc consilium distulerit usque ad morbum, & lectum, quia tunc valde periculosum, & difficile est, prius rationes instituere, maxime si cor sit inverteratum in peccatis. Concione duodecima.

Prudentiores sunt Filii hujus sæculi. Ibid. v. 8.

Quamvis mundani tenebris immergantur, tamen diligentiores sunt in suis lucris quærendis, ubi tu cum cœlum possis vili emere id tamen negligas, vide quos labores impendant sæculares, ut parvum lucrum conquirant. Concione sexta. Potest hic etiam agi de misericordia erga pauperes, de judicio.

Dominica nona post Pentecosten.

Thema Primum.

Videns Iesus civitatem flevit super illam. Lucæ 19. v. 41.

Eccur flevit? Flevit primo, quia non cognovit tempus visitationis suæ, de quo vide Dom. Palmarum. Secundo flevit ob causam ob quam flevit ad mortem Lazari, de quo vide concionem 28. Tertio flevit, quia ab iis discessurus erat, in quo maxima earum miseria erat futura. Vide concionem 29. Quarto

poteſt dici fleviſſe, eo quod lacrymis ejus ſitim non extinxerint. Concione 21.

Circumdabunt te inimici tui. Ibid. v 43.

Hoc eſt Romani; nam dum vos putatis, quod ſi ego ſupervivam ſubjiciendi ſitis Romanis, ſcire vos velim contrarium futurum; nam dum conſervare intenditis civitatem, ut perdatis me, vos ipſos perdetis de hoc vide concionem 33. per totum.

Quia ſi cognoviſſes & tu. Ibid. v. 43.

Scilicet inſenſibilitatem tuam; dum in tot miſeriis ad me non es convertenda; ſed potius excæcanda, eodem modo poſſet & de nobis flere, qui inter tot calamitates ad eum non confugimus, in quo maxima monſtruoſitas conſiſtit. Poteſt & hodie haberi concio ſexta, cur nempe ejecerit ementes, & vendentes; & concio 29.

Dominica decima poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Dixit ad quoſdam, qui in ſe confidebant. Lucæ 18 v. 9.

Quia vana gloria, & ſuperbia pluſquam aliæ paſſiones vexant hominem, ideo tam frequenter de iis diſcurrit, & monuit ab ea nos abſtinere, tu ab hoc ſubtili vitio ut abſtineas lege concionem 13. nam ſane Phariſæus opera ſua non jactaſſet, niſi ad Publicanum inferiorem ſe oculos non conjeciſſet.

Deus propitius eſto mihi peccatori. Ibid. v. 14.

Ad ſedandam iram Dei nil melius eſt quam culpas rite, & recte confiteri; nam confeſſio eſt incantatio potentiſſima ad humanas miſerias, diabolicas furias, & Divinas vindictas ſedandas, quam cum inſtituiſſet publicanus, juſtificatus deſcendit è templo.

Jejuno bis in Sabbatho. Ibid. v. 12.

In hoc iterum oſtendit ſuam vanam gloriam; quia recreationes non ſunt interdictæ in diebus feſtis, dummodo fiant moderate, & ad honorem Dei, ac ideo ipſi ſancti in ipſis feſtis lautius epulari conſueverunt. Vide concionem 30. & concionem in feſto Paſchæ. Poteſt & agi de judicio temerario, & de oratione circa quæ vide indices.

Dominica undecima poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Adducunt ei hominem ſurdum, & mutum. Marci 7. v 32.

Sanctus Chryſoſtomus obſervat, quod eum curaturus abſtraxerit à turba, ut nimirum vanam gloriam fugiendam duceret. Concione 13. Et quamvis eſſet impeccabilis tamen periculum vanæ gloriæ vitare voluit, ut nos vitaremus occaſiones peccandi. Concione quarta.

Et ſuſpiciens in cœlum ingemuit. Ibid. v. 34.

Et cur? ut doceret primo, quod non debeamus noſtra recondere in terra, ſed in cœlo quia terra infidelis cuſtos eſt. Concione prima. Secundo, ut doceret nos lachrymari; quia ſane nil gratius eſſe Deo poteſt, quam lachrymæ ob ejus offenſam omiſſæ. Concione vigeſima prima.

Mirabantur dicentes bene omnia fecit. Ibid. v. 37.

Confundebant ſane hi Phariſæos, qui cum ſcire potuiſſent illa magna fuiſſe miracula, non tamen Deum laudabant; ſic & tu à Gentilibus, & infidelibus in judicio extremo confunderis. Vide Concionem ſeptimam. Poteſt & dici concio in dominica Palmarum de obſervatione temporis.

Dominica Duodecima post Pentecoſten.

Thema Primum.

Quid faciendo vitam æternam poſſidebo. Lucæ 10.v.26.

Ac ſi dixiſſet cum multa expendi pro mundanis,ac terrenis, ſed ut video nil effeci,quid ergo faciam,ut vitam poſſideam æternam? Reſpondit Chriſtus diliges dominum Deum tuum; ex quo videmus quam vili poſſimus emere cœlum. Concione 6.

Ecce quidam ſurrexit tentans eum. Ibid. v.25.

Exterius dabat bona verba , ſed interius non ita ſentiebat, nil frequentius eſt in mundo, quam dare verba byſſina , interim tale nil cogitando,hoc ſæculum eſt enim ſæculum apparentiarum.Feria 5.Dom.quartæ.

Vitam æternam poſſidebo. Ibid. v. 26.

Bene dicit poſſidebo , nam quod poſſidetur permanens eſt; vult ergo denotare ſtabilitatem,& perennitatem gloriæ cœleſtis. Vide Concionem 11.

Dominica decima tertia poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Occurrerunt ei decem leproſi. Lucæ 17.v.12.

Merito occurrerunt Chriſto , & petierunt ab eo liberari à leprâ , quia in Chriſto omnia nobis repoſita ſunt.Dom.Paſſionis.

Vnus autem ex illis videns , quia mundatus eſt,&c. Ibid. v.14.

Ut obſervat Titus apud de la Hay per hoc oſtenditur, quod promptiores erant ad fidem alienigenæ, Iſrael enim erat lentus ad fidem,imo Gentilibus pejor , ac ideo ille Alienigena confundet alios in judicio. Concione ſeptimâ.

Cecidit in faciem ſuam. Ibid. v. 16.

Cadere in faciem ſuam eſt erubeſcere de peccatis,& hoc faciunt boni,ut Deum placent; erubeſce & tu , & confitere peccata tua,ſic enim Deum placabis.Dom.3. Poteſt & hodie haberi concio 8,& concio in Dom. Palmarum.

Dominica decima quarta poſt Pentecoſten.

Thema primum.

Reſpicite volatilia cœli. Matth.6. v.26.

Cur aves reſpiciendas monuit , & non alia animalia,quæ in terrâ degunt? ideo ne noſtræ terræ fidamus , ſciamuſque nos natos eſſe cœlo, & non terræ. Concione primâ dein ſi allegaret homines poſſemus dicere, quod nobis non prideat ſicut illis, quod falſum eſt , ſiquidem omnibus dat media ſufficientia. Feria quarta Dom. Paſſion.

Nonne anima plus eſt quam iſta? Ibid.v.25.

Quod ſi Deus tribuat animæ gratias ſufficientes,multo magis tribuet ea corpori , unde conqueritur Deus , quod ei diffidamus , ne facias hoc , nam paratus eſt tibi omnia dare.Concione trigeſima ſeptima.

Nolite ſolliciti eſſe. Ibid.v.31.

Nam ſi anxiè bona mundi quæratis,nunquam eritis pacati,& quieti , ut ergo pacati , & quieti ſitis quærite Deum , & Chriſtum; nam in ipſo pax ſumma eſt. Concione trigeſima octava.

Dominica decima quinta poſt Pentecoſten.

De Evangelio hujus Dominicæ habes integram concionem. Die Jovis Dominicæ Quartæ.

Do-

Dominica decima ſexta poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Cum intraſſet Ieſus in domum cujuſdam principis Phariſæorum. Lucæ 14. v. 1.

Non ſine myſterio Evangeliſta ſpecialiter notat illum hydropicum ſtatim Chriſtum adiiſſe, quando reſcivit, quod ibi eſſet, & optime quia Chriſtus benefaciebat tranſeundo, & poſtea forſan eum non inveniſſet. Concione 34.

Cujus veſtrum bos, aut aſinus in puteum cadit? Ibid. v. 5.

Merito comparat hydropicum Aſino, quia peccator per peccatum fit beſtia, imo nihil. Vide Concionem vigeſimam nonam.

Et ipſi obſervabant eum. Ibid. v. 1.

Erant enim critici, & cenſores actionum, & nil miri, quia hoc vitium adeo commune eſt, ut quilibet alterius actiones judicet. Concione 19. poteſt & hodie dici de obſervatione feſtorum concio nempe trigeſima, & concio nona, concio decima, quod nemo ſit miſer, niſi quia vult.

Dominica decima ſeptima poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Audientes Phariſæi. Matth. 22. v. 22.

Convenerant Phariſæi, & Saducæi in unum, & deliberaverant quomodo Chriſtum caperent, ſed per illud conſilium confuſi, & convicti ſunt; qui enim ſine Deo vult lucrari, ille ſe perdit. Concione 33.

Interrogavit eum unus legis Doctor. Ibid. v. 35.

Hic reliquis erat audacior, & impudentior, & veriſimile eſt, quod Chriſtum ſæpius interrogaverit, tanti refert in via nunquam incepiſſe peccati, quia difficulter ex ea quis redire poteſt. Concio decima quinta.

Non ſunt amplius auſi eum interrogare. Ibid. v. 46.

Cum enim nonniſi terrena cogitarent non capiebant cœleſtia, ita & vide tu ne terreus ſis, ſed cogita te pro cœlo eſſe conditum. Concione prima.

Dominica decima octava poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto. Matth. 9. v. 2.

Figura eſt hæc peccatoris maxime habituali, qui ſe movere non poteſt ad veram converſionem, ideo videndum eſt, ut cito ſurgamus à peccatis. Concione 12.

Vade in domum tuam. Ibid. v. 7.

Cur dimittit ſanatum Paralyticum in domum ſuam? Ne ejus præſentia conciliaret ſibi laudem, & ut nos doceret vanam gloriam fugere. Vide Concionem decimam tertiam.

Surrexit, & abiit in domum ſuam. Ibid.

Statim juſſus ſurgere ſurrexit, & ivit in domum ſuam, reticetur autem, quod humeris grabatum portarit, nec ſine myſterio, nam quando venimus ad do-

mum cœleſtem obliviſcimur omnium difficultatum. Vide concionem undecimam maxime parte ſecunda etiam miraculum eſt, quod ſtatim ſurrexerit. Vide Concionem 32.

Dominica decima nona poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Simile eſt Regnum cœlorum homini Regi. Matth. 22. v. 1.

Hanc parabolam Chriſtus Judæis propoſuit, ut ex illa ſuam notarent ruinam, ſi ab illis diſcederet, & nobis eam proponit ut nobis invigilemus. Concione 29.

Reliqui tenuerunt ſervos ejus, &c. Ibid. v. 6.

Ad hoc ſervit concio decima ſexta in qua oſtenditur, multum intereſſe ne in via iniquitatis incipiamus; nam hi ſane non ita male tractaſſent ſervos niſi gradatim à minoribus ad majora perrexiſſent.

Ite ad exitus viarum. Ibid. v. 9.

Per exitus viarum teſte de la Hay nonnulli intelligunt adverſitates, & tales afflicti merito vocantur, quia facilius cum Deo connectuntur. Die Mercurii Dominicæ quartæ. Poteſt hodie dici de confeſſione, bonâ conſcientia ratione illius *Tò* obmutuit, item de pœnis inferni, & haberi Concio 31.

Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Erat quidem Regulus cujus filius infirmabatur. Joan. 4. v. 46.

Nil miri talem juvenem infirmari, tot enim hoſtes intrinſeci, & extrinſeci vitæ noſtræ inſidiantur, ut quodlibet momentum vitæ, ejus articulus cenſeri debeat. Die Jovis Dom. 4.

Vade filius tuus vivit. Ibid. v. 50.

Ac ſi diceret inquit Theodoretus, *Vade* id eſt profectum continuum circa bonum oſtende, & tunc filius tuus vivet, ſi autem ambulare ceſſaveris, mortificabitur tibi intellectus circa boni operationem. Vide Concionem 14. de perſeverantiâ, & concionem 16.

Credidit homo ſermoni quem dixit ei Ieſus, & ibat. Ib.

An non ſatis erat dixiſſe, quod credidit? Cur additur quod ibat? Ut ſignificetur ſolam fidem Chriſti non ſufficere, ſed & addenda eſſe bona opera. Concione ſecunda maxime parte ſecundâ.

Dominica vigeſima prima poſt Pentecoſten.

Thema Primum.

Oblatus eſt enim ei unus, qui debebat decem millia. Matth. 18. v. 24.

Miror quod Deus tam diu expectarit, & non vocaverit citius, illum ſervum ad reddendam rationem, ſed hoc juſte fecit, ut nimirum diutius maneret in peccatis, non poſſet exire. Ideo monentur peccatores, ut cito pœniteant. Concione 12.

Patientiam habe in me. Ibid. v. 29.

Mox ut cœpit eum minis exagitare, cœpit ſervus quoque ſe convertere, in quo elucet magna noſtra ſtoliditas, & monſtruoſitas, quod affligamur, nec tamen convertamur. Concione octava.

Nonne

Nonne oportuit te misererere. Ibid. v. 33.

In quo docemur misericordiam exhibere erga pauperes, sunt enim potissima, & nobilissima pars Ecclesiæ. Vide Dominicam quartam.

Dominica vigesima secunda post Pentecosten.

Thema Primum.

Ostendite mihi numisma census. Matth. 22. v. 19.

Quamvis cognosceret nequitiam eorum, & perversitatem; tamen noluit eos acriter objurgare, & reprehendere, sed solum dixit ostendite mihi numisma census, ut doceret correctionem esse caute adhibendam. Feria tertia Dominica tertia.

Cujus est imago, & superscriptio? Ibid. v. 20.

Cur interrogat cum hæc fuerint manifesta? ostendere voluit non esse faciliter judicandum de actionibus proximi, ad quod nos tamen proni sumus, & quasi nati. Vide Concionem Decimam nonam.

Magister scimus, quia verax es. Ibid. v. 6.

Mendaciter adulantur ut ad respondendum alliciant, & respondendo verba capiant; frequens est hoc in mundo, cum sit sæculum apparentiarum. Die Martis post Dominicam Quartam.

Dominica vigesima tertia post Pentecosten.

Thema Primum.

Cum Iesus venisset in Domum Principis, ut vidisset tibicines. Matth. 9. v. 23.

Confundit ille princeps plures Christianos, qui immoderatos lacrymas in funere prolium spargunt, cum tamen forte esset unica ejus filia, ubi nos innumeras spargimus, quas tamen deberemus solum spargere ob peccata. Die Jovis post Dom. 4. potest & servire concio septima.

Non est mortua puella, sed dormit. Ibid. v. 24.

Hoc est quamvis sit mortua puella tamen est resurrectura, is enim est præcipuus articulus nostræ fidei, quod post hanc vitam simus resurrecturi. Concione 36.

Ecce mulier & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Ibid. v. 21.

Fimbriam tangere est aliquod minimum implere, sicut hoc Christo placet, & salutem consequitur, ita non parum est in via iniquitatis incipere, & quia statim perdimus timorem, & verecundiam. Concione 16.

Dominica ultima post Pentecosten.

Thema Primum.

Orate ne fuga vestra fiat in hieme. v. 20.

Hoc est vide ne differas conversionem tuam de die in diem, quia si radicatus fueris

fueris in tuis peccatis difficulter te poteris ex iis expedire. Concione duodecima.

Tunc plangent universæ tribus terræ. Ibid. v.30.

Sed sero sapiunt Phryges, jam enim tempus neglectum; & Christus non legitur, quod sæpius eosdem vocarit. Vide Dominicam Palmarum.

Ab arbore ficus discite parabolam. Ibid. v.32.

Hoc est sicut ficus bis producit fructus in anno, ita & tu si velis salvari debes conari, ut bonos fructus facias, quia perseverantia ad salutem necessaria est. Vide Concionem decimam tertiam.

FINIS INDICIS CONCIONATORII.



